


V
B
J
C

G

SIMONIS STAROVOLSCI

TRACTATUS TRES,

I. POLONIA.
II. SARMATIÆ BELLATORES.
III. SCRIPTORUM POLONICORUM ΕΚΑΤΟΝΤΑΣ,

Seu

CENTUM ILLUSTRIUM POLONIÆ SCRIPTORUM ELOGIA ET VITÆ.

EDITIO NOVA.

WRATISLAVIÆ MDCCXXXIV.
apud IOANNEM IACOBUM KORNIUM.

SERENISSIMO
ET
POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
AUGUSTO
III.
REGI POLONIARUM,
Magno Duci Lithuaniæ,
Rufsiæ, Prufsiæ, Mafoviæ,
Samogitiæ, Kioviæ, Wolhyniæ,
Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ,
Smolensci, Severiæ
& Czernichoviæ,
Hæreditario Duci Saxoniæ,
Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ
& Weftphaliæ,

S. R. I. Archimareſchallo
& Electori,
Landgravio Thuringiæ,
Marchioni Miſniæ,
Nec non
Superioris & Inferioris Luſatiæ,
Burggravio Magdeburgenſi,
Comiti Principi Hennebergenſi,
Comiti Marchiæ, Ravensbergæ
& Barby,
Domino in Ravenſtein,
&c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

NEC NON

SERENISSIMÆ
AC
AUGUSTISSIMÆ
PRINCIPI AC DOMINÆ

MARIÆ JOSEPHÆ,

ARCHIDUCISSÆ AUSTRIÆ,
REGINÆ POLONIARUM,
Magnæ Ducissæ Lithuaniæ,
Ducissæ Saxoniæ,
Et
Romani Imperii Electrici,

Juliaci, Cliviæ & Montium,
Angriæ & Weſtphaliæ
Duciſſæ,
Landgraviæ Thuringiæ,
Marchioniſſæ Miſniæ,
Nec non
Superioris & Inferioris Luſatiæ,
&c. &c.

DOMINÆ MEÆ CLEMENTISSIMÆ.

SERENISSIME AC POTENTISSIME

REX,

DOMINE CLEMENTISSIME,

Nec non

SERENISSIMA ET AUGUSTISSIMA

REGINA,

DOMINA CLEMENTISSIMA.

Inter iteratos omnium Ordinum & Ætatum applausus, quibus REX SERENISSIME & REGINA AUGUSTISSIMA, Princeps Poloniarum Vos excepit Urbs CRACOVIA & tot inter communis Lætitiæ Monumen-

numenta, quibus primi ſurgentis Anni Menſis Dies decimus ac ſeptimus Vos Coronâ donavit, eâ quæ MERUIT & TUEBITUR *Starovolſcii Generoſâ Polonorum Gente nati Libelli ad vitam quaſi & lucem revocati prodeunt, & ad Solares quibus Solium Veſtrum coruſcat Radios, ſe provolvunt. Deſcripſit optimus Autor Poloniam, quam* DUX SAXONIÆ OTTO III. *Imp.* AUG. *ad regium Faſtigium extulit, eâ dicendi facultate, ut aliorum Induſtriam longe ſuperaſſe videatur, hæc nunc in ſinum* VESTRUM *confugit,* TE*que* REX SERENISSIME *Magni* REGIS AUGUSTI II. *Filium,* JAGELLONICA REGIA POLONIÆ STIRPE *oriundum, Salutis & Securitatis ſuæ Cuſtodem certâ divinitatis fide* OPTIMO PATRI *elegit Succeſſorem, ne tamen ſola in publicam Lucem prodiret, maximos Belli Duces priſcis illis Heroibus pares, comites addidit Starovolſcius Sarmatiæ Bellatores vocans, quorum & nunc Sanguis bellicis laudibus innutritus ſupereſt,* PRO FIDE, REGE ET LEGE *nullum Laborem & Periculum recuſans: Et tanti Regni Famam, tantorumque Nominum Gloriam, ne qua interciperet oblivio Scriptorum Polonicorum agmen junxit, quorum Monimentis æterna Regni & Bellatorum Sarmatiæ Laus inciditur. Iisdem ergo quibus Starovolſcius ſcriptionis argumentis uſus, nunc audaciæ cauſis fretus, hoc quicquid eſt Thuris,* REGIIS VESTRIS *Nominibus ſupplex adoleo, accipe* REX SERENISSIME, *accipe* REGINA AUGUSTISSIMA, *ſerena Fronte Libellos,* VESTRAM *quod offerant Poloniam, quæ ut*

amnem

amnem suum Ægyptus opem Vestram invocavit, summamque ex adventu Vestro percepit lætitiam, quod omnibus VOS venisse cognoscat. Ibit in Secula, REX SERENISSIME, cum Te Fama, Gloria, Salus & Libertas ut Reipublicæ Poloniarum Gubernacula susciperes, invitarent, non pro Tua Gloria, sed utilitate communi, TE Iter suscepisse, & eo vultu, ea oris humanitate Regiam Cracoviæ Arcem inter circumfusa occursantium Gaudia ingressum esse, ut ingrata TIBI videretur publica Pietas, si REGEM TE potius quam Patrem vocaret. Et vel hoc uno nomine TE, REGINA AUGUSTISSIMA, omnium Laudum omnisque Gloriæ manet Concentus, quod nec Sexus TE retardaverit, aut Hyberni temporis & Itineris fastidium, a Regio cui hæres latere, maternum populo applaudenti animum AUSTRIACA virtute exhibentem, quibus MAGNORUM PARENTUM ut olim M. Alexandri Statua Cæsar excitatus, optimus Juventutis Princeps AUGUSTUS Filius Regiæ indolis pulcherrimum edidit specimen, ejusdem itineris difficultates sibi ceu diludia poscens præmonente quis quantusque futurus sit fortuna. Qui VOS ergo SERENISSIME REX & REGINA AUGUSTISSIMA in amplissimum hoc terrarum Orbis fastigium Auctor & Stator DEUS T. O. M. extulit, partam Vestris Auspiciis rerum temporumque Felicitatem custodiat, servet, protegat, & solaribus, quibus Vestro Imperio subditæ recreantur gentes, radiis addat perpetuitatem, TIBIque REX SERENISSIME, annos PIASTI, & Boleslai I. Regis fortunam victricem, TIBI vero REGINA AUGUSTISSIMA, Conjugis consumatissimæ

tiſsimæ Caſimiri IV. Regis, Reginæ Eliſabeth AUSTRIACA gente oriundæ, fœcunditatem largiatur. Hæ preces, hæcque vota

SACRARUM REGIARUM
MAJESTATUM VESTRARUM

A. O. R. cIↄ Iↄccxxxiv.
Kal. Febr.

Humillima devotione
ſubjectiſſimi Servi

Johannis Jacobi Kornii,
Civis & Bibliopolæ
Wratislavienſis.

SIMONIS STAROVOLSCI
POLONIA
NVNC DENVO RECOGNITA ET AVCTA,

ACCESSERIT

INDEX RERVM

LOCVPLETISSIMVS,

CVM PRAEFATIONE

HERMANNI CONRINGII.

ANNO MDCCXXXIII.



HERMANNVS CONRINGIVS,

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

QVæ tibi nunc exhibetur Starouolscianæ Poloniæ editio, Lector optime, illa expressa quidem est ex ista, quæ ante hosce quatuor annos, cura GEORGI Forsteri, Gedani in Prussia prodiit in lucem; innumeris tamen locis emendatior est, atque ad vsum ciuilem aptior: locupletior quoque saltim ob indicem. Auctorem ipsum Polonum esse, palam est. Eius viri doctrinam & mores non patiuntur nos ignorare, præter hunc libellum, etiam alia illius nonnulla, Eques præsertim Polonicus, Elogia bellica virtute illustrium Polonorum & Hecatontas scriptorum Polonicorum: in quibus Latina eloquentia, prudentia, studium libertatis, amor patriæ, odium protestantium immane, perinde vt Romanensium sacrorum inconsulta veneratio, nusquam pene non elucent.

Hunc libellum initio quidem conscripsit Rege adhuc SIGISMVNDO: at passim interpolauit, quo tempore Polonis rex præfuit Vladislaus, anno circiter seculi huius quadragesimo. Qua re interdum multa turbata sunt: vtpote, quum rerum status passim mutauerit paucos intra annos: libellus vero nunc Sigismundi, nunc Vladislai tempora referat: & qui-

dem posteriora hæc interdum non expunctis prioribus; auctoris ipsius incuria, an culpa librarii, incertum. Occupatur porro libellus potissimum quidem ἐν τῇ χωρογραφίᾳ omnium Polonici regni, quod sane amplissimum est, regionum prouinciarumque; idque adeo argumentum ita plene pariter nitideque exsequitur, vt aliorum industriam longe superauerit. Attingit vero etiam alia quam multa, quæ ad rempublicam attinent, non minore felicitate. Nam & præclare sentit saltim de plerisque & sine fuco sententiam promit in publicum; quorum alterum prudentis, alterum generosi est animi. Ipsa sane etiam reipubl. patriæ vitia usque adeo non dissimulat, vt nisi illa iam tum nimium quantum in vniuersi orbis conscientiam venissent, possit videri peccasse in patriam isthac propalatione. Nec vero arcana ciuitatis mala fas est nudare: tegenda illa sunt, pallianda, etiam purpurisso nonnunquam fucanda, si res ferat. Quorum nihil tamen patitur historia, nudam quippe veritatem professa: in iam apertis quoque reipubl. id conari, ridiculum est. Infestus auctoris in Protestantes animus (quem cui Scholæ debeamus, haut temere quem latet) sæpenumero iudicium, cætera satis exquisitum, transuersum rapit, ac linguam fœda deturpat maledicentia. Quam iniquus sane sit in Rigam Liuoniæ metropolin, vel ex vno *Paulo Piasecio* discas, etsi & hic Romana sacra amplexus sit, imo suæ gentis Episcopum egerit. Non tango hominis ulcera reliqua: quum hoc vnum satis ostendat, quam ille in similibus nihil mereatur fidei. Et vero aliis quoque in libris suis, perinde turpi maledicentia in Protestantes iniurius est. Quam intoleranda enim illa sunt conuitia, quibus tanquam gemmis Hecatontadem suam illustrauit; dum Lutherum *lutulenti subulci*: Melanchthonem, Pomeranum, aliosque, nunc *cœnosororum Witebergensium porcorum*, nunc *lutulenti Saxonicorum porcorum gregis*, nunc *lenonum Saxonicorum*, *perditorum ac perfidorum hominum*, aliisque extriuio petitis contumeliis incessit. Cæterum in omnes Germanos quoque quam sit maligno animo, imo quam contemptim tantum non omnes

popu-

populos exteros præ ſuis Polonis habeat, vel hic ipſe libellus loquitur. Non eſt tamen, quod illa nos moueant, quo minus auctorem in præclarorum ſcriptorum cenſum recipiamus; imo quo minus hunc libellum annumeremus melioribus rerumpublicar. deſcriptionibus.

Nec vero libellus pretio ſuo fraudandus eſt, propterea quod næuis illis ſit deformis; perinde vt nec ideo meretur reiici, quoniam reipubl. Polonicæ omnia non eſt perſecutus. Nam hoc quidem ipſi commune eſt cum omnibus rerumpublicarum deſcriptoribus: quorum tamen nonnulli laudem ſibi æternam iure ſunt hinc conſequuti. Multa ſcilicet pertinent ad plenam reipubl. alicuius notitiam: id quod libro de ciuili prudentia pluribus docemus: illorum vero nonnulla non eſt fas vulgare, alia occultiora ſunt, quam vt facile poſſis aſſequi: quorum proinde ſilentium per iniuriam cui vertas vitio. Quin tamen longe vberiora *& licuiſſet*, *& potuiſſet*, *& debuiſſet* de Polonica republ. *Starouolſcius* dicere, haut diffitemur; eoque ab omni illum culpa vacuum non pronunciauerimus. Maiore ſane induſtria locum hunc tractauit Martinus CROMERVS, vir cum antiquitate comparandus. Vel ideo tamen Starouolſcium Cromero ipſi prætuleris, quod hic doceat nos recentiſſima, quæque adeo hodie magis ex vſu ſunt: ille vero ea tradat, quorum pars eximia in deſuetudinem iam abiit: vt ſolent respubl. pleræque perpetuo quaſi motu agitari, nec unquam ſtabili pede conſiſtere; etſi eorundem vocabulorum inanis ſpecies imprudentibus illudat. Non vna vero ratione poterit nunc Starouolſcius prodeſſe in publicum. Nec enim non quiuis curioſior deſiderabit ſcire cauſam lapſus illius, quo nunc concidit, illa hactenus robuſtiſſimis annumerata Polonica respubl. Illam vero quaſi oculis ſpectandam exhibet hic libellus, interim dum deſcribit vires, opes, militiam & regimen Polonicum. In hunc ſcilicet modum habentibus ſeſe alioqui ciuitatis rebus, fieri non poteſt, vt vel ſalus ipſa eam conſeruet; tantum abeſt, vt non concidat respubl. ſi quo grauiore malo præter ſolitum afficiatur.


Simul itaque isthoc exemplo alii, ad res ſuas cautius meliusque inſtituendas, excitari poterunt: *ac proinde ex Starouolſcio diſcere omnibus in promptu erit, quæ fugienda & vitanda ſint ſibi rebusque publicis ſuis, niſi parem cum Polonis fortunam velint experiri.* Taceo nunc, quod ipſa Poloniæ vicinitas merito ſaltim omnes illos, qui ad clauum Imperii ſedent, ad reipubl. vicinæ notitiam inuitet: quum non ſatis ſit ad id, vt ciuitati alicui exacte conſulas, res domeſticas nouiſſe; verum ad omnes etiam alias, quibuscum poteſt commercii aliquid intercedere, ſit reſpiciendum.

Quidquid huius ſit, neminem lectionis & operæ in Starouolſcium impenſæ unquam pœnitebit.



SIMO-


Nova totius
REGNI POLONIÆ
Magniq. Ducatus
LITHUANIÆ
cum suis
PALATINATIBUS
ac confinijs.
Declaratio.
Urbs Antiqua Christiana
Civitas Christiana
Civitas primaria Palatinatuum
Civitas Turcica et Tartarica.
Duc. Ducatus.
P. Pal. Palatinatus.
Cast. Castellanatus.
Scala
Milliaria Polonica Communia.
Milliaria Germanica.
Milliaria Veronica.
Milliaria Moscovitica.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
SVECIÆ PARS.
MARE BALTICUM Vulgo De Oost Zee.
MOSCOVIÆ PARS.
Sinus Fini cus.
Esthonia
LIWONIA
DUCATUS Curlandia.
DUCATUS SAMOGITIÆ
DUCATUS POMERANIÆ
PRUSSIA
MAZOVIA
POLONIA MAIOR
POLONIA MINOR
LITHUANIÆ
MAGNUS DUCATUS
RUSSIA ALBA
Smolenscensis
SEVERIA
Magnus Ducatus Severiensis.
RUSSIA RUBRA
Volhynia
Podolia
UKRAINA
Kyowia
WALACHIA
MOLDAVIA
Campi Deserti
ASIÆ PARS.
Tanais vulgo Don fl.
Boristenes Nunc Nieper fl.
Limen Meotis Palus
CIRCASSIÆ PARS.
Czarne Morze vulgo Pontus Euxinus
BULGARIÆ PARS.
AUSTRIÆ PARS.
HUNGARIÆ PARS.
Transsilvaniæ Pars.
MORAVIA
BOHEMIÆ PARS.
SILESIA
Mosqua
Kiow
Cracovia
Warschaw



ERKLÆRUNG


Der grossen Buchstaben, so auf dieser Charte vorkomen PREUSSEN wird erstlich eingetheilet in das Brandenburgische und Polnische Preussen. Das erste ist nunmehro in ein Königreich verwandelt, und man theilet es ein in drey grosse Landschafften, alß

S. SAMLAND, welches man wiederum in 3. Kreyße abgetheilet hat. Solche sind
S. Samland.
Sch. Schalavonien welches man auch Lithauisch Preußen nennet,

N. Nadrau.
N. NATANGEN, wird auch in 3. Kreyße eingetheilet, dergleichen sind
Nat. Natangen.
B. Barten und
Su. Sudin.
H. HOCKERLAND oder Oberland dieses theilet man auch in 3. Kreyße, als.
G. Galinder-Land.
P. Pomesanien und
H. Hockerland

POLNISCH PREUSSEN begreifft 4. Landschafften in sich alß:
K.P. Klein Pommern.
C.G. Culmisch Gebiethe.
M.G. Marienburgisch Gebiethe.
E. Ermeland.

Angräntzende Länder sind
gegen Morgen
Litthauen und ins besondere
S. Samogiethen
T. Trokij
gegen Mittag
Groß Pohlen, sonderlich
P. Podlachien,
M. Mazovien,
Cu. Cujavien,
Po. Posen,
gegen Abend
H.P. Hinter Pommern,
gegen Mitternacht
Die Ost-See,



I

in R
situ
ania
De
den
har
rion
acc
nos
mo
qua
spe
con
Sar
den
pro
sim



SIMONIS STAROVOLSCI

POLONIA

SIVE STATVS

REGNI POLONIÆ

DESCRIPTIO.

POLONIA, antiquis *Sarmatia Europæa* dicta, vti nunc a ſapientiſſimo Rege Sigiſmundo III. moderatur, octo in vniuerſum Prouincias ſub vno ſceptro continet: moribus, legibus, lingua, ex parte differentes: viuendi vero genio, libertatis prærogatiua, capeſſendorumque in Republica honorum aptitudine, omnes ex æquo pares, & iuribus neceſſitudinum inter ſe inuicem adſtrictas. Hoc eſt, *Poloniam vtramque*, *Lituaniam*, *Ruſſiam*, *Pruſſiam*, *Maſouiam*, *Samogitiam*, *Pomeraniam & Liuoniam*. De quibus ſingulis, quamuis & ſigillatim & in communi, plurimi viri prudentes, tum noſtrates, tum extranei, ſcripſerint; quia tamen aſſidua eſt harum ſublunarium rerum mutatio, & potentiſſimorum quorumuis imperiorum fatalis quædam hæc conditio, vt ſingulis fere ſeculis ac ætatibus accipiant nouas inclinationes, aut incrementa: Ideo, qualem nunc patria noſtra ſortiatur ſtatum; qualesue ſeruent ſub coronam aggregati populi mores & conſuetudines inter ſe; quas vires; quas opes; quod regimen; quam religionem; quos denique vicinos habeant, & quam potentes: hoc ſpeciali libello perſtricta, poſteris tradere conſtitui. Ut candidus lector, conſeruatam hactenus, prout a maioribus noſtris accepimus, imo auctam Sarmatiam noſtram videns, non prudentiæ alicui humanæ (ut ſolent moderni politici) aut potentiæ ampliſſimi Regni, hoc adſcribat, ſed diuinæ prorſus benignitati, quæ veros ſui cultores, quamuis in faucibus immaniſſimorum hoſtium poſitos, incolumes pro ſua miſericordia ſeruat, & a primo

gentis authore Lecho, in hodiernum, liberos atque florentes, nec ullius unquam iugo pressos, circumvicinis etiam populis, fœderum leges præscribere sinit.

SITUS POLONIÆ.

REgnum *Poloniæ*, cum adiacentibus sibi prouinciis, extenditur in longum, à tricesimo octauo gradu, ad quinquagesimum quartum, ab occasu æstiuo versus ortum hibernum, amplius quam per ducenta quadraginta milliaria Germanica. In latum vero à montibus *Carpathiis*, usque ad mare *Balthicum* seu *Venedicum*, per ducenta plus minus milliaria. Ab occasu cingitur *Marchia Brandeburgensi & Pomerania vlteriore*. A septentrione *mari Venedico & Sarmatico*, cuius aduersa littora *Gotthi* atque *Suedi* tenent. Ab ortu *Moscouia*, & campestribus *Scytharum* solitudinibus. A plaga demum Australi, *Valachia*, *Ungaria*, atque *Silesia*. Regio tota fere plana & aprica est, nisi qua ad fines *Ungariæ* accedit, montana & sylvestris. Quo longius autem inde recedit, eo lenius decliuis est, magisque culta, & meliore gleba. Nisi quod in meditullio minoris Poloniæ *Caluus mons* supereminet, in quo monasterium est *S. Crucis* nomine, lignoque, in quo Saluator noster pependit, celebre: reliqui colles fere in toto Regno sunt potius quam montes. Syluestris sane fuit superioribus temporibus pleraque omnis Polonia: sed nunc ubique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis abundans. Et quamuis cœli intemperie nimium laborat; pomaria nihilominus non infrequentia & fructuosa passim habet: in quibus pyrorum, malorum, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas & varietas certat cum Ungaricis & Italicis. Sunt & vites pluribus in locis, quarum vuæ esui quidem non insuaues sunt, præsertim si æstas & autumnus temperiem suam seruent: sed vinum inde expressum acerbius, vbi defæcatum est. Neque negat solum Polonicum castaneas, mora, cotonia, ficus, amygdala, crocum, oryzam, pepones, melopepones, herbas & flores omnis generis, & alias hortenses Italiæ delicias, palatinariumque lenocinia. Nec metalla fossiliaque desunt, vt suis locis dicetur, plumbi, ferri, æris, cupri, argenti & auri. Auium quoque & altilium magnam habet copiam: Itemque iumentorum omnis generis, & ferarum; ceruorum videlicet aprorum, vrsorum, luporum, sciurorum, dorcarum, leporum, onagrorum, bisontium, caprarum, vrorum, pantherarum, mardurum, vulpium, rosomacorum, lutrium & castorum. Similiter piscium diuersorum, quotquot nominari possunt

ſunt: nam fluuiis, lacubus, piſcinis atque ſtagnis ſupra modum abundat Inter fluuios tamen præcipui ſunt *Viſtula*, *Donaiecius*, *Sanus*, *Nieper*, *Varta*, *Noteſſius*, *Duna*, *Nemenus*, *Neſter*, *Prutus*, *Bugus*, *Bohus*, *Pripetius*, *Narua*, *Dreuantia*, *Bereſina*, *Boriſthenes*, omnes fere nauigabiles. Sed ſigillatim, quamlibet prouinciam cum ſuis qualitatibus videamus.

MAIOR POLONIA.

TOta in vniuerſum Polonia extenditur in longum per nonaginta milliaria Germanica; incipiens à *Marchia Brandenburgenſi* ab occidente, usque ad *Visloсam* fluuium; qui è *Carpathiis* montibus profluens, *Ruſſiam* à *Polonia* diſterminat, & quatuor à *Reſouia* milliaribus *Sano* illabitur. Latitudinem vero habet 50. mill. à prædictis montibus *Carpathiis*, usque ad oppidum *Parcouiam*, in confinibus *Lituaniæ* poſitum. Diuiditurque in *Maiorem & Minorem*. MAIOR verſus occaſum eſt, tota fere plana & fluuiis irrigua, niſi quod *Cuiauiæ* nonnulla pars cliuoſa eſt, collibusque molliter & ad fertilitatem commode diſtincta. Habet à meridie *Sileſiam*; *Marchiam* ab occaſu & *Pomeraniam ulteriorem*: *Pruſſiæ* partem & *Maſouiam* à ſeptentrione, à quibus *Viſtula* diſterminatur: ab ortu vero *Minorem Poloniam*, variis, iisque ignotis terminis diuiſam, ſed quos inter *Pilcza* fluuius præterlabitur. Tota autem hæc *Maioris Poloniæ* amplitudo, in *octo ſatrapias* diuiditur: in *Palatinatum* videlicet *Poſnanienſem*, (cui & *Wſchouienſe* territorium adiungitur) *Caliſienſem*, *Lancicienſem*, *Breſtenſem*, *Iunouladiſlauienſem* (& hæ duæ ſatrapiæ vulgo *Cuiauia* dicuntur) *Siradienſem*, *Rauenſem* & terram *Vielunenſem*.

Prouinciæ metropolis POSNANIA eſt, ad fluuium *Vartam*, longitudinis gradu 39. latitud. 52. ſita, à qua & diſtrictus nomen habet, primumque ſibi locum inter ſatrapias vendicat. Vrbs quidem ipſa parua eſt, ſed pulchra ſatis, & commerciis emporioque Germanorum exculta, Suburbia ampliſſima habet; vbi & templum Cathedrale cum Collegio Canonicorum, & aula Epiſcopi, inter paludes ſitum eſt; vulgo *Valiſouiam* dicunt, quæ inſtar oppidi locum munitioni aptiſſimum habet. *Ioannes Lubranſcius* Epiſcopus loci, memoria omnium ſeculorum & laude vir digniſſimus, publicum ibi Gymnaſium, patrum memoria, erexit, Cracouienſisque Academiæ (quæ ſemper habita eſt domicilium omnis ſapientiæ, & in qua ipſe quoque omni meliori doctrina perpolitus, I. V. lauream promeruerat,) Profeſſoribus curandum reliquit. Quod deinceps *Adamus Conarius*, eius ſucceſſor, auguſtiori ſtructura exornauit, Comes

vero *Rosrasceuius* maioribus stipendiis auxit. Unde, quamuis Clerici *Societatis JEsu* in vrbe ipsa habeant suum Collegium, in quo studiosam iuuentutem erudiunt; floret nihilominus in suburbano *Lubranscianum* Athenæum, certatim eo nobilitate concurrente, ob Mathematicas disciplinas, & Juris prælectiones. Florent & in Monasteriis studia Religiosorum; Sed præcipue apud Dominicanos sodales Theologia, magno auditorum concursu viget: pietas æque apud omnes.

Septem inde milliaribus *Gnesna* distat, cuius Archiepiscopus Ecclesiæ Polonicæ Primas est, & Regni totius Primus Princeps: olimque urbs ipsa Regni caput erat, quod nimirum a *Lecho* gentis anthore primum erecta esset, & a regiæ auis omine auspicato nomen sortiretur. Nidus enim in Sclauonico, *gnesdo* dicitur. Cum autem ille in eo loco nidos aquilarum plurimos reperisset, vrbem quam inibi condidit, a nidorum multitudine *Gnesnam* appellauit: pro insigni autem militari, *aquilam albam* assumpsit, quo etiamnum Regnum Poloniæ vtitur. Archiepiscopus igitur Gnesnensis, a Concilio Lateranensi, in spiritualibus vices summi Pontificis gerit, & *Legatus Natus* appellatur: in politicis autem, præcipue interregni tempore, *Proregis* authoritatem habet. Et prout Collegium illius, ob excellentiam suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, præter aliarum Cathedralium morem, Cancellarium cum dignitate habet, qui munimentorum & libertatis illorum (omnes enim nobiles esse debent, nec ad præbendas admittuntur plebeiis orti parentibus, in vllo Capitulo Cathedrali, in tota ferme Polonia, nisi certus Doctorum numerus, assignatus ex fundatiotione,) custos quodammodo est: sic Archiepiscopus ipse, supra dignitatem & prærogatiuam aliorum Antistitum, aulicos, cubicularios pueros, aliosque ministros & satellites, more regio habet, & qui inter eos eminent, Cancellarium Specialem, atque Mareschalcum. Quorum ille, iudiciis spiritualibus, quæ ad curiam Archiepiscopi deuoluuntur, cum authoritate præest: hic, cum in publicum Princeps prodit, baculum seu virgam illi præfert, prout Regibus ipsis præferri in Polonia mos est, & aulam ipsius totam ipse moderatur. In Metropolitana itaque *Gnesnensi* Ecclesia, Diui *Adalberti*, Archiepiscopi olim loci illius, honorantur reliquiæ, sepulcro in medio templi pulcherrime exstructo; pro quibus asseruandis, serenissimus Rex *Sigismundus III.* tumbam argenteam donauit precii haud contemnendi; cum & antea cistæ argenteæ inclusæ fuissent, sed non ita affabre extructæ. Habetque sane templum illud inæstimabilem thesaurum in vasis aureis, argenteis, & gemmatis, quæ veteres Principes & Archiepiscopi tabulis legarunt; & nuper defunctus *Henricus Firlei*, præter alia vasa & vestes pretiosas, quas Ecclesiæ illi donauit, dedit etiam

tiaram

tiaram suam Episcopalem, viginti quatuor millibus florenorum æstimatam.

Cætera oppida *satrapiæ Posnaniensis* sunt, *Costenum, Uschouia, Slupcia, Pysdra, Coninum, Kcina, Kazimiria, Nacum, Curnicum*, quæ & muris exornata sunt, & non infrequentia habentur: reliqua vero omnia sine ullis mœnibus sunt, & nec nisi ligneis ædificiis constant, præter templa, & castella, siue arces adiunctas, aut monasteria Abbatiarum præpinguium, quale est, *Landense, Obrense, Lubinense, Blesouiense, Vongrouecense, Paradisense, Mogilnense, Tremesnense, Præmentense*, & reliqua Ordinum mendicantium.

Senatores vero huius satrapiæ sunt, *Archiepiscopus Gnesnensis, Episcopus Posnaniensis, Palatinus Posnaniensis, & Castellani* septem, *Posnaniensis, Medirecensis, Rogosnensis, Stemensis, Præmentensis, Criuinensis* & *Santocensis*. Sunt & *officiales* tam terrestres, quam castrenses; *Præfectique* ciuitatum partim cum iurisdictione partim sine iurisdictione, vt in omnibus regni prouinciis habere mos est. *Posnaniensis* nihilominus *præfectus* prærogatiuam habet hanc, vt *Generalis* Maioris Poloniæ dicatur, & in aliquot districtibus suam iurisdictionem exerceat.

CALISSIUM urbs ad fluuium *Przosna* inter paludes sita: muro latericio, cum turribus, cincta, aliquot religiosorum monasteria & templum Canonicorum habet; itemque Collegium *Societatis Iesu* sumptuosissimum, quod *Stanislaus Karncovius*, Archiepiscopus olim Gnesnensis, vir rerum Ciuilium cognitione, cum eruditione eximia, tum prudentia, integritate, aliisque dotibus, in Repub. clarus, suis sumptibus exstruxit, & inibi sepeliri voluit. Regio, sicut & tota Maior Polonia, frugibus, piscibus & pecoribus abundans est; minoribus oppidis admodum frequens, quorum præcipua sunt, *Staum, Colum, Cosminum, Dobra, Grabouia, Opatouecia, Plesouia, Odolanouia*, cum arce in paludibus sita, & *Chocia*, in qua nuper Reuerendissimus Episcopus Cracouiensis *Andreas Lipski*, Ecclesiam Collegiatam & Præpositum infulatum, sumptu ingenti fundauit. Haud procul inde conspicitur *Goluchouia*, arx Comitum à *Lesno*, recentiori architectura exstructa: itemque parte ab alia *Crotosinum*, cum horto pulcherrimo Comitum *Rozrazouiorum*, & oppidum *Borek*, imagine miraculosa *B. Mariæ* percelebre; ingens enim è tota Polonia eo hominum deuotorum concursus fieri solet, qui singularem ibi numinis fauorem experiuntur. Est & *Olobocum* duobus milliaribus à *Calissio*, monasterium Monialium prædiues, & pulchre in modum castelli ædificatum. Habet autem satrapia hæc *Palatinum* proprium, & *Castellanos sex, Calissiensem, Gnesnensem, Landensem, Naciensem, Biechouiensem* & *Camenensem*.

SIRADIA, ad *Vartam* fluuium posita, in *quatuor derritoria* satrapiam suam deuidit; in *Siradiense* videlicet, *Shadkouiense*, *Radomscense*, & *Petricouiense*. Habetque præter *Palatinum*, *Castellanos quatuor* : *Siradiensem*, *Rospirensem*, *Specimiriensem*, & *Conariensem* : Oppida vero præcipua, *Vidauiam*, *Vartam*, *Pabianice*, *Lascum*, vbi olim *Joannes Lascus* Archiepiscopus Gnesnensis, hæres comitatus illius, Præpositum infulatum ditissime fundauerat: auxerunt autem Ecclesiæ suppellectilem, illustres illius fratres, collatis amplissimis donariis. Septem autem milliaribus inde est *Petricouia*, vrbs non inelegans, in qua *Regni Tribunal*, seu *parlamentum*, singulis annis celebratur; & aliquot stadiis inde *Byki*, arx Baronum eiusdem cognominis, pulcherrime exstructa. Est & Abbatia insignis *Vitrouiensis* in proximo: & paulo remotius Italicæ architecturæ palatium *Crusmense*.

Huic Palatinatui adiacet *Terra Vielunensis*, quæ proprios *magistratus* habet & *Castellanum* ; diuiditurque in *territoria*, *Velunense* & *Ostressouiense* ; quæ aliquot oppida in se (præcipue *Boleslaueciam* cum arce munitissima) continent, atque pagos infinitos. Ipsa vrbs *Velunia* pulchras domus latericias habet, & templum Canonicorum fabricæ antiquæ, itemque monasteria aliquot elegantia : sed quæ omnia superat illud *Zloczouiense* FF. Minorum de Obseruantia.

RAVENSIS satrapia habet *Palatinum* & *Castellanos tres*; (in tot enim *territoria* diuiditur) *Rauensem*, *Sochaciouiensem* & *Gostinensem*. Oppida præcipua sunt, *Raua*, ligneis quidem ædificiis constans, sed populata satis, arcem muratam habet, in qua prouentuum e bonis Regiis solutioni militum, quarta pars deponitur : Sic enim Reges superiores voluerunt, vt assiduæ in *Podolia*, contra barbarorum excursiones, excubiæ fierent. In eadem arce communissime asseruantur captiui hostes patriæ, si sunt personæ honoratiores : qualis nostra ætate ibi fuit, filius naturalis *Caroli* Regis Sueciæ, bello *Liuonico* cum aliquot legionum Præfectis captus; & nuper *Baudisius*, *Gustaui* Regis Sueciæ militum Tribunus, itemque *Stressius*, *Taiflius*, & alii alarum ductores, bello *Prussico* capti. Collegium hic studiosorum frequentissimum *Societatis JEsu* clerici habent. Sed longe populosius est *Louicium*, residentia Archiepiscopi Gnesnensis, quinque milliaribus *Raua* distans. Nundinæ quotannis ibi fiunt celebres, vnde ciues quoque mercaturæ addicti. Arx Archiepiscopalis in mediis paludibus sita, pulchra ædificia habet, itidemque Canonici & ciues nonnulli: Ecclesia namque Collegiata ibi est, satis argento & vestibus sacris diues: similiter monasteria & templa alia. In agro *Louiciensi* nobilium auicularum, quæ *Sniegulæ* vocantur (quasi *niuales* aues dixeris, vt *Cromerus* author est: quod non nisi sub hyemem excipiantur & cum hyeme simul dispareant;)

famoſa eſt captura : alibi eas conſpici aut capi negant incolæ loci illius. *Volboria* quoque Cuiauienſis Epiſcopi reſidentia, palatium pulchrum ad aquas ſitum habet, & oppidum ipſum habitatoribus plenum. Eſt etiam alicuius notæ *Gombinum*, *Sochacioula*, *Goſtininum* (nobilitatum carcere *Demetrii Suiſcii* Magni Ducis *Moſcouiæ*, qui ibi in arce longo tempore aſſeruabatur, & tandem pedore conſumptus vitam exſpirauit.) *Squerneuicia* haud inelegans palatium Archiepiſcopi Gneſnenſis continens; *Biala*, Chelmenſis Antiſtitis ditio; vnde conſpicitur *Radzeiouia* eiusdem cognominis Palatini Lencicienſis arx pulcherrima, hortos, fontes & pomaria amæniſſima habens.

Tum *Viasdum* oppidum arcis elegantia conſpicuum, quaſi ad læuam *Rauæ* ciuitatis poſitum. *Rauenſi* vero Satrapiæ vicina eſt LENCICIENSIS, in *tria* ſimiliter, prout & illa, *territoria* diuiſa, *Lencicienſe* videlicet, *Brezinenſe*, & *Orlouienſe*. Præterque *Palatinum*, *quatuor Caſtellanos* habet, qui ad ſenatum Regni ſpectant, *Lencicienſem*, *Brezinenſem*, *Inoulodenſem* & *Conarienſem*. Præcipua diſtrictus urbs *Lencicia* in paludibus ſita, templum Canonicorum longe extra urbem in loco ſane inexpugnabili habet, ſi eum vel leuis ars architectonica iuuiſſet; ipſa nundinis celebris & comitiis nobilitatis illius palatinatus, qui ibi ſua iudicia peragunt. Eſt & *Piontkum* ab una, atque *Vnieiouia* parte ab altera, ciuitates Archiepiſcopi Gneſnenſis non contemnendæ; in quarum poſteriore, arx ad *Vartam* affabre facta, conſpicitur : in priore autem Monaſterium FF. *S. Pauli* primi Eremitæ.

Sequitur *Cuiauia* in *duos Palatinatus* diuiſa, *Breſtenſem* nimirum & *Iuniuladislauienſem*; regio frumenti, pecoris & piſcium ferax; lacus etenim innumeros habet, eosque piſcoſos valde, quos inter præcipuum locum *Goplus* habet, quinque milliaria patens in longum, ſemis in latum.

Et BRESTENSIS quidem ſatrapia *vnum Palatinum*, *tres* vero *Caſtellanos* habet, *Breſtenſem* videlicet, *Cruſuicienſem* & *Coualienſem*: *territoria* autem *quatuor*, *Breſtenſe*, *Cruſuicienſe*, *Coualienſe* & *Prædecenſe*. In *Breſtenſi*, *Vladislauia* eſt, ſedes & oppidum Epiſcopi Cuiauienſis & *Pomeraniæ*, templum Cathedrale, veteris quidem fabricæ, ſed varia ſuppellectili, ac præcipue vaſis argenteis ditiſſimum habens. Circa, domus Canonicorum, ſchola & ſeminarium; arx vero ipſa ad *confluentem Viſtulæ* ſita, ſicut & oppidum, domus latericias complectens. In eodem littore conſpicitur, *Niſauia*, tota murata, nec valde longe *Racienſum*, arce pulcherrima exornatum; item *Radzieiouia*, *Sluzeuia*, atque *Breſte* ipſum, vallo, muris, & foſſa cinctum, latericiisque domibus interiectu trabium exornatum. Regio hæc, ferendæ ſegeti habiles campos oſtendit, omniumque frugum

copi-

copiam habet, quæ non modo in domesticos vsus suppetant, verum etiam *Dantiscum* ad nobilem illum mercatum secundis amnibus deuehantur.

Eodem modo JUNIULADISLAVIENSIS satrapia *tria territoria* complectitur, *Bydgostense*, *Bobrounicense* & *Iuniuladislauiense*, quod statim à *Goplo* lacu & oppido *Crusuicia*, usque ad *Vistulam* & fines *Pomeraniæ* extenditur, habetque complura oppida & villas, quamuis ligneas omnes: & præter *Palatinum*, *tres* ad Consilium Regium *Castellanos* mittit, *Iuniuladislauiensem*, *Bydgostensem* & *Conariensem*.

Crusuicia quæ ad *Brestensem* palatinatum spectat, & in *Iuniuladislauiensis* satrapiæ finibus posita est, habet templum extra oppidum, *S. Petri*, è quadrato lapide extructum cum Collegio 24. Canonicorum, & arcem latericiam in *insula lacus Goplensis*, in qua olim Regem *Popielium*, diuina vltione permittente, mures deuorarunt, quod plurimos consanguineos suos, regnandi cupiditate, veneno in conuiuio sustulisset.

Bydgostia est ciuitas murata, Collegio Clericorum *Societatis Iesu* nobilitata, habetque maximam copiam sulmonum; sicut & *Pacostia* rhombuum. Sunt & alia ibidem non contemnenda loca, populationesque bonæ, ut *Gnieucouia*, *Vratislauia*, *Solecia*, *Dibouia atque Strelce*, vbi Monialium totius *Maioris Poloniæ* ditissimum monasterium habetur.

POLONIA MINOR.

TAm in longum, quam in latum, quinquaginta fere milliaria Germanica, *MINOR POLONIA* habet; & in *tres* communissime *satrapias* seu Palatinatus diuiditur, *Cracouiensem*, *Sendomiriensem* & *Lublinensem*, hoc ipso ordine, quo nunc sunt enumerati, versus Aquilonem & ortum æstiuum sitos. Et à septentrione quidem *Masouiæ* atque *Podlachiæ* tractui, ab occidente *Maiori Poloniæ*, ab ortu *Russiæ*, à miridie vero *Ungariæ* & *Silesiæ* finitima est. Quoque propius accedit ad fines *Ungariæ*, hoc magis montana est & sylueſtris: quo longius autem inde recedit, eo lenius decliuis est, magisque culta, & meliore gleba. Tametsi in meditullio quoque *Sendomiriensis* terra, aliqua ex parte leniter montosa, seu verius clivosa apparet: Vno *Caluo monte* excepto, in quo monasterium Benedictinorum est, *S. Crucis* nomine lignoque celebre; tum aliud ad radices eius, duobus milliaribus inde *S. Catharinæ*, FF. Minorum de obseruantia.

CRACOVIENSIS Palatinatus, præter suos *quatuor districtus* (*Cracouiensem* videlicet, qui *duo territoria* complectitur, *Xianzense* & *Prossouiense*; *Lelouiensem*, *Biecensem & Sandecensem*, in quos diuiditur,) etiam *tres* *duca-*

ducatus in ſe continet, *Oſuecimenſem*, *Zatorienſem*, *Seuerienſe*, qui partes ſunt *Sileſiæ*, & Comitatum *Scepuſienſem*, qui eſt pars *Vngariæ*, *tredecim oppida* continens, inter quæ *Luboulia* præcipuum locum ſibi vendicat, arcem munitisſimam, & in ea perpetuas excubias habens; *Podolinecia* quoque Collegio piarum ſcholarum percelebris. Reliqui vero omnes huius ſatrapiæ diſtrictus, *tres & nonaginta populationes*, præter pagos & villas continent, templis, monaſteriis, & caſtellis exornatas. Ac præter iſtas, ſunt etiam arces in editioribus locis & rupibus extructæ, *Melſtinum*, *Rabſtinum*, *Tencinum*, *Landiscorona*, *Morauica*, *Xianſia*, *Ogrodenecia*, *Lipouecia*, *Ociecium*, *Viſnice*, *Pilcia*, *Sorſtenum*, *Bobrek*, *Spitkouice*, *Soben* & cœtera. Sed ſunt & monaſteria ad munitionem pariter & commoditatem habitatorum exædificata, & vicis pagisue non longe diſtantibus frequentata, *Tinecenſe*, *Mogilenſe*, *Bielanenſe*, *Caluariæ*, *Miechouienſe*, *Sielecenſe*, *Visnicenſe*, *Siricienſe*, *Hebdouienſe*, *Aluernenſe*, *Stanantecenſe*, *Andreouienſe*, *Prerouienſe*, *Gidlenſe*, *Mſtouienſe & Czenſtochouienſe*.

CRACOVIA, caput prouinciæ & regni totius Metropolis, poſita longitudinis gradu 42. latitud. 50. quæ cum ædificiorum priuatorum iuxta ac publicorum ſplendore atque munitione, tum rerum omnium ad victum cultumque corporis pertinentia, & mercium exoticarum copia, hominumque frequentia & ciuilitate facile cum claris *Germaniæ Italiæque* urbibus comparari poteſt. Habet adiuncta ſibi duo oppida, à meridie *Cazimiriam*, à ſeptentrione *Clepardiam*, arcem vero in rupe, quaſi medium, *Viſtulæ* imminentem, & magnificis ædificiis exornatam. Ibidemque Baſilicam S. *Stanislai*, in qua eius ſepulchrum nuper à *Martino Szyſchouio* loci Epiſcopo ſumptuoſiſſime reſtauratum eſt; cum etiam antea tumbam argenteam multaque aurea vaſa cultui diuino ſacrata habuerit: ſed ea longe auxit piorum Regum è *Iagellonica* proſapia liberalitas, tum *Sigismundi* III. eiusque filii *Vladislai* IV. pietas. *Sigismundusque ſenior*, præter donaria alia in crucibus aureis & veſtibus gemmatis oblata, argenteum altare, ad *Diui* ſepulchrum erexit; eiusque deinde filia, *Anna* Regis *Stephani* vxor, aliud argenteum altare in capella *Annunciatæ Virginis*, vbi *Regum ſepultura* eſt, patris ſui Manes venerata, ſtatuit: tectoque deaurato Oratorium illud condecorauit. Taceo hic tot Reliquias *Sanctorum*, auro, argento, gemmisque precioſiſſimis exornatas; taceo cruces lapidibus & margaritis lucentes, quæ tot millibus aureorum æſtimantur; taceo mitras Epiſcopales, caſulas, & pluuialia ex ipſiſſimis gemmis facta; cum hæc precium fere omne ſuperent, faciantque eo maiorem ſtuporem mirantibus, quo magis conſiderantur & diligentius inſpiciuntur. Hoc dicam, quod ditiſſime etiam in Europa prouiſis Eccleſiis cum hac noſtra commune non eſt, quod in ea videlicet

licet perpetuo cantetur & nusquam ſilentium fiat, ſacerdotibus in certas claſſes ob id diſpoſitis, qui per totam noctem pſallunt. Cumque *centum* circiter ſingulis diebus in ea ſacrificia peragantur, *octo* Myſſæ ordinariæ cantantur à ſacrorum myſtis, & ex eis *duæ* concentibus Muſicis. Epiſcopus ipſe, *tredecim* ciuitatum dominus eſt, & ducatus *Seuerienſis* ſupremus Princeps. Capitulum, quod 36. Canonicis conſtat, cum reliquis inferioris ordinis ſacerdotibus, tantundem in reditibus, quantum & Epiſcopus, habent. Omitto hic alias *quinque* Eccleſias tam in arce, quam in vrbe ſitas, quæ proprios Canonicos & Capitula ſua habent. Omitto Monaſteria ditiſſima, & parœcias vrbis; inter quas principem locum tenet illa in Circulo Cracouienſi, *Beatæ Mariæ Virginis*, quæ Archipresbyterum infulatum habet, & ob cleri numeroſitatem, ſimiliter prout & in arce, totis noctibus aſſidue laudes diuinas concinit.

Venio ad *Academiam*, eruditorum omnis generis fertiliſſimam officinam, quæ totius *Sarmatiæ* ſidus lucidiſſimum eſt, pariter vt olim *Græciæ* oculus *Athenæ*. Hæc in vniuerſum *undecim Collegia* habet. *Collegium maius*, in quo *Philoſophi*, & *Collegium Iuriſperitorum*, in quo eius artis *Profeſſores* habitant & prælegunt. *Medici* enim, quia communiſſime vxorati ſunt, *extra Collegium* manent quisque in domo propria. *Burſa Iuriſperitorum* ſeu *Collegium Dlugoſſianum*, in quo Aſtreæ candidati manent. *Collegium pauperum* ſeu *Burſa*, *Iagelloniana*, *Collegium Philoſophorum* ſeu *Burſa Noscouiana*, *Collegium Hieruſalem* ſeu *Burſa Oleſniciana*, *Collegium Ziſinianum* nouiter erectum, *Collegium Staringilianum*, *Smiescouicianum*, & *Collegium* ſeu *Claſſis artium humaniorum*. His adiungi poſſunt 14. *ſcholæ Grammatices*, ſparſæ per vrbem, in quibus alias etiam ſuperiores artes Academiæ Magiſtri docent, ſub vno capite Magnifico Academiæ Rectore; ſingulæque Facultates, certis legibus ſuos regunt, & ſtudium magna ſedulitate dirigunt ita, vt nullus fere Eccleſiaſticæ aut Politicæ dignitatis ordo ſit, in quo non reperiantur, qui in Alma hac vniuerſitate exercitati non fuerint. Faxit immortalis Deus, vt florentiſſimæ Academiæ gloria, quæ tam multorum in ſe amorem, variis exercita ærumnis conuertit, & pietatem excitat, nulla aut fortunæ aut inuidiæ vi vnquam collabaſcat.

Sunt & in *Monaſteriis* Religioſorum Mendicantium ſtudia tam *Philoſophiæ* quam *Theologiæ* florentiſſima, apud *Auguſtinianos* in Monaſterio *S. Catharinæ*, apud *Franciſcanos*, tam Conuentuales, quam de Obſeruantia, apud *Carmelitas Diſcalceatos* in ſuburbano, apud *Ignatianos*, ad *ſanct. Petrum* Maiorem, apud profeſſos *ſanct. Pauli* Primi Eremitæ, in *Rupella*, atque alibi apud alios. Sed maxime apud *Dominicanos* ad ædem *SS. Trinitatis*, qui antiquitus eruditione ſimul & vitæ integritate excelluerunt, & etiamnum

num habent prælectores viros omni iudicio doctiſſimos, & vna verbi Dei prædicatores celeberrimos.

Sed & *corpora Sanctorum* quieſcunt in hac vrbe plurima, ac præcipue quæ miraculis clarent ſunt, *ſanct. Stanislai*, *S. Prandothæ*, *S. Ioan. Grothii* in arce, *S. Hyacinthi & Iuonis Epiſcopi* apud Sodales Dominicanos, *S. Iſaiæ Confeſſoris* apud Auguſtinianos Eremitas, *S. Stanislai Cazimirienſis* apud Canonicos Regulares, *S. Simonis Lipnicæ* apud Minoritas de Obſeruantia, qui omnem ætatem ſuam, tam in ſeculari, quam monaſtica vita, magna puritate & innocentia peregit, ita vt cunctis exemplo eſſet. *Sanctus* quoque *Ioannes Cantius* Academicus, vir vti eximia vitæ ſanctimonia, ſic & præſtanti excellens doctrina apud *S. Annam* quieſcit, & cum illo plurimi pietate inſignes viri: *Antonius Andpachaniæ*, *Rochus Posnanienſis*, *Simon Halicius*, aliique plures alibi, morum ſuauitate, & vitæ inculpatæ innocentia celebres: vt *Stanislaus Kokoſzka*, *Bartholomæus Bontkouius*, *Ioannes Vielicius*, *Sebaſtianus Nucerinus*; ſed principaliter apud *S. Marcum*, *B. Michael Gedrucius*: Reliqui, quorum præter ſummam vitæ integritatem, doctrina quoque varia & recondita fuit, ſunt ſcripti in libro vitæ.

Sunt & *Confraternitates* piorum hominum in hac vrbe celeberrimæ, quæ ſolemnioribus feſtiuitatibus, iuxta veterem ritum, diuerſis coloribus in proceſſionibus veſtiuntur, videlicet; *Confraternitas Roſarii* colore rubro, *Confraternitas Miſericordiæ* colore viridi, *Confraternitas Scapularis* colore cœruleo, *Compasſionis Chriſti* colore nigro, *Confraternitas Italorum* colore niueo, *Confraternitas Corporis Chriſti* colore niueo cum caputiis rubris, *Confraternitas ſanct. Sophiæ* colore albo nitido, *Confraternitas ſanct. Annæ* albo obſcuro, *Confraternitas ſanct. Monicæ* colore lazuro &c.

Sed nos, facta obiter religioſæ pietatis mentione, quæ ad eandem normam in omnibus *Poloniæ* vrbibus ſeruatur, ad reliquam huius nobiliſſimæ ſatrapiæ deſcriptionem procedamus. Habet itaque illa præter *Epiſcopum, Caſtellanum, & Palatinum Crac.* alios *quatuor Senatores* ad Conſilium Reipubl. pertinentes, *Caſtellanum* nimirum *Voinicenſem*, *Oſuecimenſem*, *Sandecenſem & Biecenſem*; Præterque alios *magiſtratus* terreſtres, & caſtrenſes, (quos inter *Generalis Præfectus Cracouienſis*, eſt primarius cuſtos ac defenſor, non tantum arcis regiæ, in qua corona aſſeruatur, verum etiam pacis atque tranquillitatis publicæ: Vnde Iuriſdictionem habet late patentem, non modo in agreſtes & oppidanos, verum etiam in equeſtris ordinis homines) *Magnum Procuratorem Cracouienſem* numerat, qui ſartorum tectorum arcis & redituum Principis curam habet. Arxque ipſa *Crac.* peculiariter *decem* cuſtodes habet, qui *Burgrabii* ſumpto à *Germanis* vocabulo appellantur, pacisque iuxta ac

belli tempore, nocturnas atque etiam diurnas, quando opus est, excubias per se vel per administros suos seruant; debentque omnes nobiles esse.

Nec est prætereundum, quod præ omnibus Regni *Poloniæ* satrapiis, una *Sendomiriensi* excepta, huic soli omnia metalla fossiliaque contigit possidere: plumbi & argenti apud *Ilcussiam*, *Slaucouiam*, *Seueriam* & *Nouagoram*: æris atque auri ad *Nouotargum*, & in montanis circa *Sandeciam*: salis metallici, instar ingentium saxorum, apud *Boehnam* & *Velicam*: marmoris omnis coloris, apud *Seleciam*, Carmelitarum Discalceatorum Eremitorium: nitri apud *Visliciam*: vitrioli apud *Bieciam*: cupri & carbonum ad ignem fouendum apud *Tencinum*: chalybis apud *Podoleneciam*: ferri vero simplicis & vasorum vitreorum officinas, apud *Olstiniam*, tum & aliis compluribus in locis.

Quæ vniuersa quamuis, sed in submontana regione potissimum, hortis haud incultis, (vt hic de suburbanis *Cracouiensibus* taceam) & pomariis fructuosissimis referta sunt: in quibus castaneas, mora, cotonea, ficus, amygdalas, pepones, melopepones, herbasque ac flores omnis generis, *Italiæ* delicias reperias. Et in primis CREPICIIS *hortum* vt vulgo dicunt *Italicum* cultissimum videbis: itemque palatium laquearibus deauratis, recentis architecturæ, tum quoque monasterium & templum Canonicorum Regularium, sumptu & cura excellentissimi olim viri, & cuius nomen famaque nec vetustate obrui, nec obliuione deleri poterit, *Nicolai Volscii*, Regni *Poloniæ* supremi Marschalci, exstructum. Et in vicinia Castelli, viuarium diuersorum animalium amplissimum, in quo nostris temporibus, præter castores, capras, damas & danielos, mille sexcenti solummodo cerui ipsi numerabantur. Eiusdem illustrissimi viri studio, & magnificentia CLOBUCII, templum & monasterium, similiter Canonicorum Regularium, & Palatium penes affabre factum & *hortus*, vt dicunt, *Italicus* conspicitur.

Sequitur *Czenstochia*, oppidum quidem bona cereuisia, quæ non tantum per *Poloniam*, sed etiam per vicinas *Imperii Germanici* prouincias distrahitur, percelebre. Monasterium vero extra oppidum in *Claro monte* situm, egregieque nunc restauratum & munitum, *B. Virginis* miraculosa imagine a *S. Luca* Euangelista depicta, fere toti Christianitati notum. Solent enim eo, e longissimis partibus Europæ, deuoti homines venire, aut saltem donaria sua mittere, difficultatibus aliquibus impediti. Hinc thesauros ibi ingentes in gemmis, auro, argento, & vestibus sacris videbis, Religiosorumque inibi degentium, *S. Pauli* primi Eremitæ, frequentiam non contemnendam. In proximo templum *S. Apolloniæ*, & turris conspicitur: atque inde FF. Dominicanorum residentia *Gidlensis*, itidem *B. Virgi-*

Virginis imaguncula miraculosa percelebris; vbi & Carthusia nouiter extructa est.

Ad *confluenta* deinde *Vartæ*, oppidum *Mslouia*, Canonicorum Regularium, ditio amplissima, qui Præpositum infulatum loco Abbatis habent; & ad manum dextram inter syluas, arx in scopulo eminentissimo *Olstinia*: Tum procedendo versus ortum æstiuum, *S. Annæ* templum *Pirirouiæ*, sub cura FF. Minorum de Obseruantia, piorum hominum assiduis peregrinationibus famosissimum.

Ad fluuium vero *Pilciam*, *Nouopolia*, nidus *Koniecpolsciorum* cum arce elegantissima, & castellum *Potok* conspicuum, eiusdem familiæ amænissima possessio.

Lelouia deinde sequitur, territorii caput, & muro vetusto permunita. Hinc *Pilcia*, *Zbarauii* Ducis ditio, templum Canonicorum in Oppido habens, in monte vero munitissimum propugnaculum, ad præsentem Geometriam dimensum; intus palatium superbissimum, & hortus more *Italico* excultus.

Inde versus meridiem eundo, primum occurrit *Ogrodenecia*, in scopulo arx *D. D. Firleorum* vetustissima; deinde oppidis aliquot ignobilioribus interiectis, *Seueria* caput amplissimi cognominis Ducatus, arcem habet satis munitam in *insula* vnius latissimi stagni; & aliam *Lipoueciæ* in scopulo eminenti, famosam carceribus *insolentioris Cleri* Diœcesis Cracouiensis. Cum enim Episcopus Cracouiensis supremus Princeps sit Ducatus *Seueriensis*, qui aliquot oppida continet, *Lipoueciam* inter illa, tanquam viciniorem vrbi *Crac.* vbi communissime iudicia peraguntur, incarcerandis *licentiosis Clericis* antiquitus deputauit.

In eodem Ducatu est *Slaucouia*, fodinis argenteis percelebris, ac ob id multum Episcopis Cracouiensibus amata. Vicina illi *Ilcussia* vrbs regia, itidem plumbi atque argenti fodinis diues & famosa; ciues habet, vt in luxu plus nimium superbos, sed ad deuotionem & pietatem nihilominus pronos, & bene moribus politos; vrbem ipsam mœnibus cinctam, & domus pulchre e laterculis factas: panis hic semper optimus & caro bubula, vt etiam *Cracouiam* ipsam superent; a qua vix quinque milliaribus distant. Quo spacio videbis tot Castella, tot monasteria, totque palatia nobilium, sacerdotum, mercatorum, & in primis *Tencinum*, in monte eminentissimo situm, arcem pulcherrimam Comitum ab illa cognomen suum deriuantium, originem vero a *Lecho* ipso gentis *Polonæ* authore: deinde ad sinistram *Piescouam* scalam, inter syluas arcem in rupe prærupta sitam: Itemque *Ociecium*, arcem simili situ gaudentem: Et a tergo quasi *Rabstiniam Ilcussiæ* imminentem. Versus autem *Cracouiam* procedendo, *Morauiciam* *Bali*-

Balicios, *Midlnicos*, palatia pulcherrima, & ante ipſam jam vrbem, *Voliam* caſtellum elegantisſimum, induſtria *Italorum* opificum exſtructum. Tum denique in ſuburbano, *Lobzouia*, palatium ſumptuoſisſimum regium, & hortus vndequaque cultisſimus. Ad occidentem vrbis, vno milliari conſpicitur in monte eminentisſimo *Argentineo* nuncupato, Patrum *Camaldulenſium* Eremitorium, prædicti viri excellentisſimi *Nicolai Volſcii* ſumptibus magnificentisſime exſtructum; ubi eſt quod viator miretur, cum ſint omnia ad amusſim, iuxta proportiones geometricas in fabricando obſeruata. Medio quaſi milliari inde *Tinecium*, Benedinorum ad *Viſtulæ* prælerlabentis littus monaſterium, Abbatem *quinque* ciuitatum, & *centum* villarum Dominum habens, qui eſt perpetuus Canonicus Cracouienſis. Et pergendo ad confinia *Sileſiæ*, Palatium *Spitcouienſe* ad eiusdem *Viſtulæ* confluuium occurrit: deinde arx *Bobrcenſis*, in Ducatu *Oſuecimenſi*, vt ipſam *Oſuecimiam* inter paludes ſitam omittam. Inque Ducatu *Zatorienſi*, palatium *Oſiecenſe* haud indecore permunitum. Similiter in comitatu *Ziuecenſi* Monaſterium Canonicorum Regularium, & palatium pulcherrimum in *Sucha*. Arx deinde *Landiscoronenſis* in rupe excelſa, per tot milliaria vndique conſpicitur; tum in ditione illius, *Mons Caluariæ*, ab illuſtri olim viro *Nicolao Zebridouio* Palatino Cracouienſi appellatus, inque eius hæreditario fundo a viris religioſis, piorum deuotioni locus delectus, obſeruata omni ſimilitudine ſitus, cum ſitu vrbis *Hieroſolymitanæ*, in qua Chriſtus Dominus operatus eſt ſalutem noſtram. Ergo collibus impoſitis ſuis cognominibus, oratoria ſparſim per campos pulcherrima extruxit: in monte vero ipſo *Caluariæ*, monaſterium ſumptuoſiſſimum FF. de Obſeruantia erexit; impetrata a ſummo Pontifice gratia, quo a peregrinantibus ea loca licite viſitari poſſint: Fitque eo maximus hominum concurſus, non *e Polonia* tantum, aut vicinioribus locis, ſed ex *Vngaria*, *Tranſyluania*, *Sileſia*, *Morauia*, aliisque remotioribus populis.

Ab alia parte vrbis *Cracouienſis*, eſt Abbatia diues, monaſteriumque Ciſtercienſium, ſatis munitum & pulcherrimum *Claretumbæ* ſeu *Mogilenſe*. Et aliud ex oppoſito fere, *Viſtula* tantummodo ſuperata, *Staniontecenſe*, Monialium *D. Claræ*: Tum in ſyluis palatium regium *Niepolomicenſe*, venationes diuerſarum ferarum & hortum excultum habens: Et ſyluis ſuperatis quarto ab vrbe milliari aut quinto, Præmonſtratenſium Abbatia *Hebdouienſis*. In ſubmontanam vero regionem vergens *Veliſca*, ciuitas ſalis metallici fodinis nota per Europam, vel ex ſolius *Rhetici* Mathematici celeberrimi deſcriptione: itemque *Bochnia*, æmula *Veliſcæ*, iisdem foſſilibus abundans. A cuius latere dextro verſus *Vngariam*, primo conſpicitur *Dobcicia*, ciuitas cum arce: deinde *Sciricium* intra montes, Ciſtercien-

ſtercienſium Abbatia non contemnenda. Et verſus ortum in *Viſnicia*, Comitis *Lubomirſcii*, Cracouienſis Palatini, arx munitisſima, & PP. Diſcalceatorum in vno monte vicino Eremitorium: vtraque modernæ architecturæ, excellentisſimas picturas diuerſaque marmora, & artificioſos in hortis aquæductus continens.

Omitto oppida ignobilia, & veteris fabricæ arces: omitto villas & domus nobilium affabre factas, cum non in vrbibus modo, ſed etiam in villis, lautius nunc & quodammodo magnificentius habitare noſtri homines ſtudeant; præcipue autem in ſatrapia *Cracouienſi*, quæ & *Germaniæ* vicinior aliis eſt, & Italos mercatores atque opifices, quorum opera & induſtria in ædificando vtitur, complures ſemper habet. *Sandecia* itaque in ſubmontana hac regione, ciuilitate alias circumuicinas populationes ſuperat, quæ & Abbatem Præmonſtratenſium Monachorum, & Eccleſiam Collegiatam habet: & homines Mercurio deditos, non pigros aut agreſtes, vti communiter fiunt montani omnes, ſed politos, induſtrios, & negotiis ſuis intentos. Vrbs muro cincta ad ripam *Dunaiecii*, in loco amœnisſimo, quaſi vno milliari in proſpectu veterem *Sandeciam* habet, vbi Moniales Præmonſtratenſes ditisſimum tota *Polonia* monaſterium incolunt. Quinque milliaribus inde *Biecia*, vrbs pulchra & loco munito ſita, ſui territorii, prout & *Sandecia*, caput; tandem *Tucholia, Zmigrodum, Dembouecia, Ducla, & Tarnouia.* Eccleſia collegiata marmoribus perpolitis conſpicua tum muris ædificiisque vrbis, atque extra paulo in monte eminenti arce perinſignis, cui viuarium amplisſimum adiunctum, conſpicitur. Eſt hic in ſuburbano FF. Minorum de Obſeruantia & Monialium *D. Benedicti* haud inelegans, & in templo Canonicorum, ſepultura *Tarnouiorum* Comitum, & *Ioannis* vltimi Ducis *Oſtrogii*, varie marmoribus exornata, & tota ſane Phidio opere ſculpta.

Ad ſeptentrionem itaque procedendo, inter nobiliora oppida huius Palatinatus cenſentur eſſe *Opatouecia, Coſicia, Proſouia, Miechouia* militum ſepulchri Chriſti ditio, qui in ea monaſterium multis poſſesſionibus ditatum habent, Præpoſito infulato ſuperiori vtentes. *Xianſia* monaſterium Auguſtinianorum, & palatium marmoribus pulcherrime variegatum, extra ſepta oppidi habet. *Andreouia* Abbatia prædiues, & oppidum non contemnendum. *Scarbimiria* frugum diues, & Collegio Canonicorum honorata. *Chroberſcum* arx pulchra Marchionis *Miſcouii*, atque eiusdem ciuitas *Pinczouia*, palatium ſuperbisſimum continens, in quo maxime balneum a poëtis celebratur. Terra abundat lapide viuo pro fabricis exſtruendis apto, & agros per totum fertilisſimos habet.

Sed iam tranſeamus in SENDOMIRIENSEM Palatinatum, qui in *octo territoria* diuiditur, *Sendomirienſe* videlicet, *Radomenſe, Stenzicenſe, Corcinenſe,*

cinense, *Vislicïense*, *Chencinense*, *Opocinense* & *Pilsnense*. Habetque *Senatores* ad consilium Reipub. spectantes numero *nouem* : *Palatinum* inprimis, tandem *Castellanos* sequentes, *Sendomiriensem*, *Vislicïensem*, *Radomiensem*, *Zauichostensem*, *Zarnouiensem*, *Malogostensem*, *Polanecensem* & *Cechouiensem*. Abundat metallis, auri, argenti, æris, & lazurii apud *Kielcios*: plumbi & argenti apud *Chenciniam*: ibidem marmoris nigerrimi & viridis atque rubei apud *Cunouiam*: ferri & chalybis ad *Vonchociam*, *Bodzantinum*, *Sydlouециam*, atque alibi passim. Sicut & pomaria fructuosa vbique reperias, sed maxime in suburbanis *Sendomiriæ* ipsius & *Zauichosti*, in quibus pirorum, malorum, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas atque varietas certat cum *Vngaricis* & *Italicis*. Sunt & vites, quarum vuæ non insuaues sunt, præsertim si æstas & autumnus temperiem suam seruent; sed vinum inde expressum acerbius, vbi defecatum est. Vrbs in scopulo eminenti posita ad *Vistulam*, prospectum amœnissimum habet, satisque ciues politos sortitur, cum magna ibi semper nobilium sit frequentia, ob assiduam iurisdictionem *magistratuum* prouinciæ ibi residentium. Est quoque ibi & Collegium Canonicorum locupletissimum & Collegium Clericorum *Societatis IEsu* iuuentutem docentium, & Collegia Religiosorum virorum, & arx Regia satis pulchre fabricata, in qua residet *Præfectus*. Secundum illam est OPATOVIA *quatuor* inde milliaribus distans, in loco fertili & amœno sita; itidemque templo Canonicorum, viris religiosis, & populi frequentia vrbs insignis, atque munitio *Viazdensis* nouiter erecta. *Radomia* territorii sui caput, muro cincta, templum Minoritarum inter alia, pulcherrimum habet. Oppidum *Iedlinskio* dictum Gymnasium Academicum celebre, & templum affabre exstructum. *Tarlouia* quoque templum inter nouas fabricas magnificentissimum. *Solecia* ad *Vistulam* sita, arcem à Duce olim illustri, *Christophoro Zbarauio* restauratam & recentiori architectura exornatam, hortoque cultissimo auctam continet. *Ilza* urbs domibus latericiis elegans, Episcopi Cracouiensis est, ollas pulcherrimas toti *Poloniæ* subministrat; cui arx adiuncta veteris quidem fabricæ, in loco editiori, sed pro commoditate Aulæ Episcopalis satis auguste exstructa. Ad eam pertinent *Cunonia*, marmoribus omnis generis & omnis coloris percelebris. Illi vicina *Vonchocia*, monachorum Cistercienfium Abbatia pinguis, aquisque irriguis & hortorum amœnitate læta: Habet in fundo suo lapidem pro fabrica optimum, itemque cotes, acuendo ferro, qui per totam *Poloniam* distrahuntur. Ferri autem officinæ, passim ibi per syluas & montes sparsæ reperiuntur, sed præcipue in ditione Episcopi Cracouiensis, qui suam residentiam *Bozentini* communissime habere solet: ciuitas est haut inelegans, muro & vallo septa, palatium pul-

pulchrum, & hortos Epiſcopi continens; eſtque quaſi ad radices *Calui montis*, quo in tota *Polonia* altior non inuenitur. In iugo ipſo, Benedictinorum Abbatia eſt, celebris ligni *S. Crucis* veneratione; Populus enim ex tota *Polonia* eo concurrere, & vota ſua exſoluere ſolet, miraculorum quæ ibi patrantur fama aſſidua concitatus. Itidem ad radices montis celebre eſt monaſterium *S. Catharinæ*, FF. *Sancti Franciſci* de Obſeruantia, prout & alia complura per circuitum ſparſa. Et verſus occaſum procedendo, *Kielciis* (Eccleſia hic Collegiata pulchra, & palatium Epiſcopale marmoribus exornatum ad ſymmetriam *Italicam*) æris & cupri, lazuriique fodinæ famoſæ, Epiſcopi Cracouienſis ſunt: prout *Chencinia* plumbi, argenti, atque marmoris diuerſi, tribus milliaribus inde, Regis ipſius. Arx ibi in monte prærupto ſita, iurisdictionem in totum illum diſtrictum exercet.

Sequitur *Malogoſtia* titulo *Caſtellani* nota, aliaque plurima ignobilia oppida: inter quæ *Sulouia* alicuius nominis eſt, quod Abbatem Ciſtercienſium Monachorum habeat, dominum aliquot circumuicinarum ciuitatum. *Dreuicia* caſtro antiquo notabilis, ſicut & *Inoulodia* ad fluuium *Pilcam* ſita: ſed vtriusque claritatem obſcurat *Sidlouecia*, Ducum *Radiuillorum* non contemnendus Comitatus, & bonas piſcinas, & frequentes ferri fodinas, & Syluarum copiam, & pulchra vrbis ædificia habens. Hæc in ſeptentrionaliori parte huius ſatrapiæ, quæ quaſi pro additamento, *Viſtula* ſuperata, diſtrictum *Stenzicenſem* habet; in tranſitu vero ipſo *Seciechovienſem* Benedictinorum Abbatiam, ad ipſam fluuii ripam ſitam; & paulo ſuperius *Ianoueciam*, arcem in editiore ripa haud in elegantem habentem. In *Stenzicenſi* vero tractu, arx *Vilciscenſis*, primum inter omnes nobilium villas locum habet, quoad elegantiam fabricæ; reliqua omnia vetuſto more, in toto illo territorio ædificata.

Cum itaque per medium quaſi palatinatum *Sendomirienſem*, à meridie ad ſeptentrionem *Viſtula* decurrat, & hanc partem quæ verſus occidentem eſt, per medium etiam *mons Caluus*, ab ortu in occaſum ſecet: enumeratis notabilioribus locis, quæ in parte Boreali erant; nunc ea, quæ in Auſtrum vergunt, breuiter percurramus. Ac primum ad montis ipſius radicem *Slupeciam*, Abbatis *S. Crucis* oppidum haud ignobile intueamur; deinde *Lagouiam* Epiſcopi Cuiauienſis ciuitatem, ollis conficiundis, quæ per *Poloniam* diſtrahuntur, celebrem.

Hinc ſequitur *Racouia*, nidus *Arrianorum*, olim populoſa ciuitas ſatis, & Synagoga impiorum, Gymnaſioque inficiendæ verius, quam erudiendæ iuuentutis, apud ſuos Sectatores famoſa; ſed nunc expulſis publico Comitiorum decreto Blaſphemiæ magiſtris, tota in Catholicæ Eccleſiæ gremium gratia & aſſiſtentia diuina reuocata, & cura pietateque ſanctæ memoriæ

Antiſtitis *Iacobi Zadzicii* templo magnifico, & circa eam clero religioſo, conſpicua.

Vicina illi *Sydlouia*, muro vetuſto circumdata, & inſuper arce itidem munita, Catholica; & quæ parte quaſi ab vna, poſt multa alia oppida ignobiliora & villas, *Pocriunicíam* Ciſtercienſium ditiſſimam Abbatiam habet; parte vero ab alia, arcem *Rytuianenſem* Comitum *Tenciniorum*, & ab illis exſtructum in ſyluis Eremitorium Patrum *Camaldulenſium*, *ſancti Romualdi* Sectatorum.

Eſt ibidem monaſterium in vicinia FF. *ſancti Pauli* primi Eremitæ, *Bieſophiæ*, quod ſimiliter prædictorum *Camaldulenſium* fundator, Illuſtriſſimus Comes *Io. Tencinius*, Palatinus Cracouienſis, variis pro ſuo deuotione donariis exornauit. Sequuntur alia celebriora oppida, *Oſiecum*, *Staſouum*, *Polanecia*, *Paczanouia*, *Stobnicia*, *Oleſnicia*, *Oſſolinum*, Palatium elegans, & Monaſterium Dominicanorum *Climuntouiæ*, atque Eccleſiam collegiatam cum Præpoſito infulato habens. *Corczynum* territorii caput, arcem loco munito inter aquas habens; & *Viſlicia* demum, mediis in paludibus ſita, vbi templum Canonicorum ex lapide quadrato, & Cleri habitationes bene exſtructas videbis; tum infinitam multitudinem ſerpentum, aliorumque infectilium paſſim, ſed quæ à Pontifice Romano, vt ſcripturæ regiſtratæ teſtantur, excommunicata, incolis minime nocent, transportata vero ſtatim emoriuntur. *Sborouia* arx antiqui operis, eſt quaſi media inter *Viſliciam & Corczynum*, viuaria animalium ampliſſima, & piſcinas optimas circumcirca habet.

Sed ad trans *Viſtulanam* partem huius ampliſſimæ ſatrapiæ tranſeamus, quæ inter oppida *Pilsnam* territorii caput numerat, templum pulchrum & organa celeberrima habentem. Deinde *Sendiſouiam*, *Zarnouecciam*, *Socolouiam*, *Præclauiam*, *Zaclicynum* foro pulcherrimo conſpicuum, & *Lezaiſcum*; tum templo parochiali, militum ſepulchri Domini, illuſtre; tum extra oppidum Monaſterio FF. Minoritarum, ad quod populi vndique deuotionis ergo in *Beatiſſ. Virginem*, cuius imago ibi miraculoſa aſſeruatur, concurrunt, per omnes circumvicinas prouincias celebre. Sunt & arces nobilium in hoc diſtrictu non contemnendæ plurimæ, ſed hæ *tres* præcipuæ cenſentur eſſe, *Rzemienium* munitiſſimum, *Vieuiorka* amœniſſima, & *Baranouia* elegantiſſima. Sed quas nuper ab *Oſſolinio* Palatino Sendomirienſi *Chriſtophoria* elegantiſſime exſtructa ſuperat.

Tertia & vltima pars *Minoris Poloniæ* LUBLINENSIS ſatrapia, cui adiuncta eſt Terra *Lucouienſis*, circiter *duo millia* domus nobilium habens. Et cum tota *Minor Polonia* vnum tantum Epiſcopum Cracouienſem habeat, qui *mille octodecim* templa (inter quæ *tredecim* Eccleſiæ collegiatæ ſunt)

ſunt) ſua iurisdictione complectitur, idcirco Lublinenſis quoque Palatinatus eidem Epiſcopo ſubiectus exiſtens, præter complures ciuitatum *Præfectos*, & varios *magiſtratus*, *duos* tantum in ſua amplitudine *Senatores* habet, *Palatinum & Caſtellanum Lublinenſem*. Porro *Lublinum* ipſum long. 45. fere gradu. lat. amplius 51. quamuis non adeo ſpacioſum ſit, ita bene tamen exædificatum eſt, vt vix vlli totius *Sarmatiæ* vrbi ceſſerit, vel amœnitate ſitus, vel cœli ſalubritate, vel fœcunditate ſoli, vel aliarum quarumlibet rerum vitæ degendæ conducibilium aut etiam ad ſplendorem & luxum pertinentium vbertate. Habet templa & monaſteria magnifice exſtructa: habet Eccleſiam Collegiatam: habet Collegium Clericorum *Societatis JEſu* frequentiſſimum: habet ter in annum nundinas celeberrimas, ad quas concurrunt *Angli, Scoti, Itali, Germani, Moſcouitæ, Perſæ, Armeni*: habet *Parlamentum* ſeu *Iudicia Tribunalicia* totius *Poloniæ*, atque ex eo maximam frequentiam nobilitatis. Secundum poſt eam locum tenet *Cazimiria*, ad *Viſtulæ* ripam ciuitas pulcherrime exædificata, & ſatis mercatoribus abundans. Reliquæ ſunt *Opolia*, *Curouia*, *Craſnicia*, *Leuartouia*, *Vrzendouia*, *Lenczna*, Sed inter quæ *Czemiernicos* primo loco adſcribemus, ob pulchritudinem palatii, ab egregio olim & excellentis prudentiæ viro *D. Henrico Firleo*, Archiepiſcopo Gneſnenſi, magnificentiſſime exſtructi: tum ob amœnitatem hortorum. Quamuis & *Dombrouicia*, earundem *DD. Firleorum*, arx non inelegans habeatur.

LITUANIA.

SYlueſtris ſane fuit ſuperibus temporibus pleraque omnis *Lituania*, ſed à *Sigismundi Senioris* temporibus ad hodiernam vsque diem, optimorum Regum ſtudio, diuturnam pacem nacta, nunc vbique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis, hortis, pomariis, abundans: villis, pagis, oppidis, caſtellis, recentiorisque fabricæ ædificiis, non modo in vrbibus, ſed etiam in prædiis refertiſſima: Fluuios complures, & lacus ingentes, ſed piſcoſos paſſim habet. Extenditurque à confinio ſatrapiæ *Lublinenſis*, vsque ad terminos *Liuoniæ*, in longum per nonaginta milliaria Germanica, in latum per quadraginta & amplius; à finibus *Pruſſiæ* ab occaſu, ad *Albæ Ruſſiæ*, (quæ ad magnum Ducatum *Lituaniæ* ſpectat) conterminia verſus ortum: Et diuiditur communiſſime in *hos tres Palatinatus*, *Vilnenſem*, *Trocenſem*, & *Breſcianenſem*.

VILNENSIS ſatrapia ſeu Palatinatus, primum in Magno Ducatu *Lituaniæ* locum tenet. Habetque Epiſcopum (qui ſe Ducem *Iuanum* ſcribit) ita late ſuam iurisdictionem extendentem, vt in tota *Lituania* atque

Alba Russia, quæ tot satrapiis constat, vsque ad confinia *Moscouiæ*, non nisi illius *Vicarii* seu *Officiales* sacris Christianis præsint & invigilent: nullius alterius Diæcesis interuenit. Habet & *Palatinum*, atque *Castellanum*, qui ad *Senatum Regni* spectant; sed *Palatinus* ipse quoque & vrbis *Vilnæ Præfectus* est, exercetque iurisdictionem suam in omnes, exceptis *magistratibus* aliis, qui ibi sui residentiam habent. Nam & *Parlamentum* seu *Tribunal* totius *Lituaniæ*, prout cum adiacentibus sibi prouinciis extenditur, ibidem celebrari mos est. Vrbs magnitudine non superat *Cracouiam*; sed quia forum strictius habet, videtur plateas ex eo longiores ducere, a porta nimirum *Rudnicensi* vsque ad *arcem inferiorem*; vbi templum Cathedrale est, & in eo corpus integrum *S. Cazimiri* Principis *Poloniæ*, Fratris Germani *Sigismundi senioris*, Regis olim *Poloniæ* sapientissimi, qui eum a *Leone X.* Sanctorum Catalogo inscribi curauit. Huic tanquam auo suo serenissimus Rex *Sigismundus III.* tumbam argenteam nuper, tria millia librarum ponderis habentem, fieri curauit: itemque altare argenteum, capellam marmoris exquisitissimi: campanam ingentem, (similem Cracouiensi illi, quæ a *Sigismundo I.* facta, nomen illius retinet) votum expugnati *Smolensci*; ad quam pulsandam *viginti quatuor* robusti homines requiruntur: & demum sub titulo & patrocinio illius, basilicam *Italicæ* architecturæ, *Societatis Jesu* Clericis, in medio vrbis foro, magnificentissime erexit. Quæ prædicta *Societas*, Collegium studiosorum a Rege *Stephano* fundatum, in platea *Castrensi* superbe ædificatum, ad *D. Joannis* templum Parochiale possidet, nouitiatum vero in alio loco habet. Collegium istud sub titulo *Vniuersitatis* erectum est a *Gregorio XIII.* Anno 1579. vrgente inprimis fundatore *Valeriano* Episcopo Vilnensi, & *Stephano* Rege, aliisque viris piis; de quo vide *Albertum Koialouicium*, *Societat. Jesu* Theolog. eiusdem Vniuersitatis Procancellarium, in *Miscellaneis* rerum, ad statum Ecclesiasticum in Mag. Duc. *Lit.* pertinentium. Theologiam hic profitentur *sex* Professores, *septimus* linguam sacram; Philosophiam *quinque*; Jus vtrumque *quatuor*; Humaniores litteras *septem*; Arces in hac vrbe Regia *duæ* sunt, *superior* vetusti operis & plane iam desolata: *inferior* autem proportionatæ geometriæ, & satis pro regio comitatu augusta. Reliquorum nobilium Palatia minora, sed pulchre fabricata, sicut & ciuium priuatorum domus, qui post illud incendium grande, quo vrbs tota perierat, Anno 1610. cum bellum cum *Moschis* haberemus, elegantius lapidibus & laterculis ædificare cœperunt. Sunt hic monasteria complura, tam *Græcorum*, quam *Latinorum*. Erat & Synagoga *Caluinistarum* qui itidem suum Gymnasium habebant, petitis ex *Germania* suæ impietatis magistris, (namque vrbs ista plurimos, & opifices & mercatores, *Germanos*, *Scotos & Anglos* habet)

habet.) Sed itidem decreto Comitiorum regni, prout & Racouiensium *Arrianorum* funditus extirpata est. Bombardæ bellicæ æneæ, & sclopeta minora, hic præstantissima conficiuntur, tum alia quoque militum vtensilia & arma. Quatuor ab vrbe milliaribus est in sylvis *Rudnikum*, aula regia ornatissima & hortus amœnus, & venationes ferarum & viuaria illarum amplissima habens. Inter oppida autem, *Lida* atque *Osmiana*, quæ sunt territoriorum capita, & Ducis *Radiuilli, Bierze*, cum arce munitissima præcipua censentur esse; reliqua fere omnia lignea sunt, & parui momenti.

TROCENSIS satrapia *Palatinum* tantum & *Castellanum* habet, quamuis illi subsit Terra *Grodnensis*, quæ etiam sibi territorium *Volcouiscense* adscriptum iactet, & vtraque illarum *Magistratus* proprios habeat, superetque magnitudine ipsum districtum *Trocensem*: Quia tamen in *Lituania* non est mos *minores Castellanos* creare, prout in *Polonia* ideo quælibet satrapia *duos* tantum *Senatores* habet, *Castellanum & Palatinum*.

Ciuitas itaque *Trocensis* quatuor *a Vilna* milliaribus distat; estque posita *inter paludes* inaccessibiles, quæ etiam intensissimo frigore non plane congelantur; & arcem quamuis vetustam, bene tamen munitam habet; tum monasterium Benedictinorum satis firmum. Hic in templo Parochiali Imago *B. Virginis* miraculis clara habetur, quo de longinquo fideles concurrere devotionis causa solent, diuersaque beneficia & extraordinarias gratias, orantibus in prædicto loco, aut votum coram illa imagine concipientibus, DEus omnipotens largiri solet.

Grodna autem ad fluuium *Crononem* seu *Memenum* sita, arcem haud inelegantem in loco editiori habet, exstructam a Rege *Stephano*, qui ob venationes ferarum maiorum, puta alcium, vrorum, atque vrsorum, libentius hic immorabatur. Serenissimus autem Rex *Sigismundus III.* pontem *Memeno* imposuit, ligneum quamuis, sed ita affabre factum, vt similem *Polonia* non habeat. Complura hic monasteria sunt, & templum Parochiale pulchrum. Ignatiani quoque Collegium non ita pridem, pro studiosa iuuentute hic erexerunt.

BRESCIANENSIS quoque Palatinatus, *Lublinensi* satrapiæ vicinus, easdem fere qualitates, quas & reliqui districtus *Poloniæ*, possidet: oppida lignea & villas habet, pecoribus & frugibus abundantes, præcipue *Camenetiam, Cobriniam, Janouiam*, quibus arces impositæ sunt, *Voiniam, Rososiam, Vlodauam, Bialam*, vbi palatium Ducum *Radiuillorum* pulcherrimum est, & nunc Gymnasium publicum erectum, vocatis ex Academia Cracouiensi Magistris & Professoribus in omnibus disciplinis peritis.

Reliqua omnia ignobiliora sunt, præter *Brescie* ipsum, quod arcem in scopulo inter *Bugum & Muchauecium* fluuios, sitam habet: Itemque pala-

palatium regium nouæ architecturæ, extra ciuitatem cum hortis delicatis. Sunt & hic Scholæ Ignatianorum, monasteriaque religiosorum virorum non contemnenda. Sed & *Judæi* hic scholam suam in tota Europa celebrem habent; Solentque conuenire eo ex *Italia, Germania, Morauia, Silesia*, non modo studiosorum, sed & promotionum causa, vt *Rabini* post modum fiant, & domum reuersi, suas Synagogas dirigant. *Berezæ* Eremitorium Carthusianorum fundauit *Leo Sapieha* Procancellarius M. D. *Lituaniæ*, suntque vicinæ aliquot Abbatiæ Ord. S. *Basilii* vnitorum.

Pinscensis amplissimus districtus, *proprios* tam terrestres, quam castrenses *magistratus* habens, huic satrapiæ adiunctus est, sed syluis nimium inumbratus, & paludibus immersus; piscium, mellis, & ferarum copia percelebris, tametsi & fruges non maligne proferat, & ceram, sebum, lupulum, in *Silesiam*, atque in *Prussiam Dantiscum* mittat. Habet 1. *Pinscum* oppidum homines industros, & mercaturæ adeo deditos, vt & in *Moscouiam*, & in *Germaniam* sæpissime cum suis mercibus excurrant. Sed vt plurimum religionis sunt *Græcanicæ*, Episcopumque proprium habent. Ubi & Ignatianis collegium Dux *Stanislaus Radiuillus*, Cancellarius *Lituaniæ* erexit.

RVSSIA.

PRout Regi *Poloniæ* amplissima *Russiæ* regio subiicitur, extenditur in longum ab ora *Pocucensi*, ad confinia *Liuoniæ*, per ducenta plus minus milliaria; in latum vero a *Polonia Minori* aut *Lituania*, versus ortum vsque ad vastos *Tartarorum* campos, aut *Moscouiam*, per centum viginti. Diuiditurque in *Russiam albam*, quæ ad Magnum Ducatum *Lituaniæ* spectat; & in *Russiam rubram*, quæ propriæ dicitur *Roxolania*, & ad *Poloniam* pertinet. Nam tertia pars, vltra *Tanaim* & fontes *Borysthenis* posita, dicitur *Russia nigra* ab antiquis, a recentioribus autem vulgo obtinuit, *Moscouiam* appellari; quod totum illud imperium, quaqua latum est, ab vrbe & fluuio *Moscua*, dicatur communiter *Moscouia*: quæ olim *Sarmatia Asiatica* vocabatur. Nostra autem *cis Borysthenica Russia*, *Sarmatia Europea*; & *Polonia* ipsa proprie *Vandalia*. Tota hæc in vniuersum regio, frugum, ferarum, pecoris, piscium & mellis copiam infinitam habet; præsertim in *Podolia*, vbi ex dictamno & aliis bene olentibus herbis ac floribus ab apibus colligitur. Nobiles audaces sunt & strenui omnes, quin & agrestes ad bellum prompti, loricis, sclopetis, hastis, aliisque plurimis armis, præcipue autem cuspide venatorum & phareta utuntur.

RVSSIA RVBRA.

NObiliſſima hæc prouincia, lacte & melle abundans, ab Auſtro *Vngariam*, *Moldauiam & Beſſarabiam* habet; ab Euro *Scythiæ* deſerta, & potentiſſimum *Moſcouiæ* Principem, a ſeptentrione *Albam Ruſſiam*, *Stiro & Pripecio* fluminibus disiunctam, ab occaſu vero *Minorem Poloniam*, *Visloca & Vepro* fluuiis quaſi notioribus terminis diuiſa. Complectiturque in ſe *ſeptem* amplisſimas *Satrapias*, *Ruſſiæ Palatinatum*, inprimis deinde *Podoliæ*, *Volhyniæ*, *Belzæ*, *Braslauiæ*, *Kiouiæ*, & terram *Chelmenſem*, *Halicienſemque*.

RVSSIÆ ſatrapiæ habet *Senatores*, *Archiepiſcopum Leopolienſem*, *Epiſcopum Præmislienſem & Kiouienſem*, *Palatinum Ruſſiæ*, & *Caſtellanos quatuor*, *Leopolienſem*, *Præmislienſem*, *Halicienſem*, & *Sanocenſem*; quia in totidem etiam *diſtrictus* ſeu *territoria* diuiditur.

Et *primi* quidem *diſtrictus* primaria vrbs *Leopolis* eſt, ſita longitudinis gradu 46. lat. 49. Habet propugnacula ſatis firma, & arces duas; habet vti diximus ſedem Archiep. *Catholici*, & *duorum* Epiſcoporum, nempe *Armenici* atque *Ruſſici*. Hæreticos autem nusquam admittit, nec admiſit, ob quod maxime a *Sixto V.* laudata fuit, & inſignibus illius donata. Viros litteratos permultos habet, libenterque promouet, & amat eo concurrentes, atque ex eo, emporio ciuiumque elegantia & humanitate maxime floret. Ignatiani hic Collegium ſtudioſorum habent; ſed & Dominicani, Franciſcani, Carmelitæ, Bernardini, aliique ſtudia *Theologica* atque *Philoſophica* diligentisſime tractant. *Humaniorum* vero *artium* gymnaſium vrbis, optimos præceptores ex Academia *Crac.* ſumit. Nundinæ hic brumales, pro feſto *S. Agnetis* celebres fiunt: ſolentque eo ex *Vngaria*, *Moldauia*, *Turcia*, atque aliis orbis partibus ditiſſimi mercatores venire. Cum autem præter fluuios infinitos, habeat *Roxolania* piſcinas ingentes, & ſtagna arte manuque facta fere innumerabilia, quæ piſces omnis generis pinguisſimos proferunt; idcirco illi hyberno tempore ſale conditi, (cum omnes recentes comedi, & ſeruari ob multitudinem non posſint) vaſis ingentibus, cum ad alias ciuitates, tum maxime nundinarum tempore *Leopolim* conuehuntur, atque demum inde per totam *Poloniam* diſtrahuntur. Templa in hac vrbe pulchra ſunt, & veſtibus ſacris atque vaſis argenteis aureisque ſatis bene ditata. *Societat. Jeſu* Clerici, inter reliqua clenodia, caſulam gemmis totam atq; lapidibus pretioſis variegatam habent, æſtimatam aliquot myriades florenor. Similiter templa alia, multos calices aureos, multaq; veſtimenta ſacerdotalia, margaritis diſtincta habent: ſed præcipue templum Cathedrale, mitram Epiſcop. ingentis precii, gemmis exornatam. FF. vero Minores de Obſerv. qui extra urbis muros ſunt, tem-

templumque magnificentiſſimum ſibi non ita pridem exſtruxerunt, inter alias ſanctorum reliquias, habent quoque ſui inſtituti Fratrem vnum ad altare maius ſepultum, Beatum *Ioannem Duclenſem*, miraculis clarum. Qui dum viueret, in diuini verbi prædicatione inexhauſti plane laboris erat; Eaque fuit in homine iam inde à primis annis pietas, & innocentiſſima ſanctitas morum, vt priſcorum *Anachoretarum* eximium in eo ſpecimen eluceret. Oppida præcipua huius *diſtrictus* ſunt, *Gliniani*, *Zloczouia*, *Zborauia*, *Grodecia*, *Komarna*, *Zolkuia*, arcem pulcherrimam, atque hortos amœnos, templumque vario marmore exornatum habens; quamuis & aliæ ciuitates, cum adiunctis ſibi caſtellis, non ſint plane ignobiles, inter quas *Iauorisuia*, celebris tepidarum aquarum ſcaturigine, in pago *Sclouia* dicto, ebullienti, vtili valde ad curandos varios hominum morbos; vt libro ſuo teſtatur, magnæ experientiæ Medicus *Sixtus Leopolienſis*.

Secundus ſatrapiæ huius *diſtrictus* eſt *Præmislienſis*; vrbsque ipſa *Præmislia*, arce in ſcopulo ſita, & *duobus* Epiſcopis, *Latino* ſiue *Catholico*, & *Ruſſico* ritus *Græcanici*, cohoneſtata eſt. Adſunt & Ordines Religioſorum diuerſi, præter Venerabile Canonicorum Capitulum. Eſt & Collegium pro ſtudioſa iuuentute *Societat. IEſu* Clericorum: ſunt & *magiſtratus* diuerſi, tam caſtrenſes quam terreſtres: ſuntque demum ciues mercaturæ dediti plurimi: nundinaſque celebres quolibet anno habent. Caſtella hic paſſim nobilium munitiora videbis, ob frequentes *Tartarorum* incurſiones, muris, & propugnaculis firmata, *Bialoboki*, *Soſnicia*, *Dombroua*, *Vherce*, *Prochnicum*, *Laski*; ſed quæ inter excellit *Craſicinum*, recentioris fabricæ ad *Sanum* fluuium, palatium, vno aut altero milliari à *Præmislia*. Oppida vero celebriora ſunt *Samboria*, pulcherrimum Minoritarum monaſterium habens: *Fulſtinia*, *Dombromilia*, *Visnia*, *Zidaczouia*, *Moſciska*, *Dubiecia*, *Canczuga*, *Præuorſcia*, *Iaroslauia*, nundinas pro feſto aſſumtionis *B. Mariæ Virg.* in toto Regno, *Poloniæ* celebriores habens; vbi præter alias merces, è *Perſide*, *Conſtantinopoli*, *Venetiis*, *Moſcouia*, & *Amſtelrodamo* apportatas, ſolent amplius quadraginta millia boum venalium fieri, & medium tantum equorum. Ignatiani hic Collegium ſtudentium habent, domumque reſidentiæ extra vrbem; & virgines Veſtales monaſterium regia plane munificentia exſtructum: neque arcis fabrica & munitio contemnenda eſt, quam *Sanus* alluit ab ortu: vrbs autem poſita ab occaſu. Sequitur *Lancutum*, templis ab egregio viro *Stanislao Lubomirſcio*, Palatino Cracouienſi magnifice exſtructis, tum Palatio magnifico munitioneque fortiſſima, & hortis amœnis exornatum.

Reſouia arce eleganti & monaſteriis, nundinis itidem vernalibus pro

pro festo *sanct. Alberti* clara; lactitiniorum hic & linteaminum magna fieri solet copia, quod in toto tractu isto *Germanæ* gentis homines pagos inhabitent, capti in bello quodam à *Cazimiro* magno Rege *Poloniæ*, deductique è *Saxonia* cum liberis & vxoribus, vt eam oram incolerent, vt domicilium proprium: Hi itaque pecorum & lini curam magnam habent, & nundinarum tempore, cum ad alia circumuicina oppida venum comportant, tum maxime *Rosouiam & Iaroslauiam*.

Tertius Palatinatus *Russiæ districtus* est *Sanocensis*, montibus *Vngariæ* vicinus, atque ipsi *Transyluaniæ*: ac ob id totus per colles dispositus, excepto qua *Crosnam* protenditur: quæ vrbs in hoc tractu fere principalior, emporium *Vngarorum* habet. Quamuis non illi passim merces suas & vina, in oppidis submontanæ regionis deponant, huc tamen veteri consuetudine vt plurimum aduehunt. Quare & ciues hic paulo ditiores aliis, & nundinæ apud illos reliquis viciniæ populationibus longe celebriores. Habet hic quoque *Sodalitas JEsu*, Collegium artium humaniorum. Sanocum vero ipsum, quamuis territorii caput, multo iam inferius est quoad ciuilitatem, & frequentiam habitatorum; arcem tamen in saxo supra *Sanum* fluuium sitam non contemnendam habet: sicut & aliæ ciuitates ejus tractus, *Brozouia, Rimanouia, Dinouia, Lesko*; quæ indies, ob metum *Tartarorum*, munitiones suas firmiores faciunt.

Quartus Russicæ satrapiæ districtus est *Halicìensis*, montibus *Transyluaniæ* ab occasu hyberno, à meridie autem *Moldauiæ* faginis syluis cinctus; *Tyra* fluuio rapidissimo è montibus *Carpathiis* orto, versusque Eurum in mare *Euxinum* decurrenti, quasi per medium sectus, cuius pars Australior, quæ trans *Tyram* est posita, vulgo *Pocucia* appellatur. Oppida præcipua habet *Haliciam*, à qua denominatur, olim regni *Russici* caput, Rexque proprie *Haliciensis*, non *Russiæ* (quia hæc tota in plurimas *tetrarchias* scissa, *proprios duces* habebat, sed quos inter primatum & quasi monarchiam *Duces Riouienses* tenebant,) nuncupabatur; vt latius hac de re Historiæ nostræ: sed nunc ne vestigia quidem priscæ illius magnitudinis apparent. Arx est ad *Tyram* sita alicuius notæ, sed oppidum ciues habet subrusticos, agriculturæ non Mercurio deditos. Similiter *Sniatinum*, ad *Prutum* fluuium situm, quod proprie est *Pocuciæ* caput; soletque nundinas semel in annum non incelebres habere, quod *Valachi* emporium ibi suum, tanquam in vicinia faciant. Vnde boum, ceræ, mellis, & equorum generosissimorum copia ingens eo adduci solet. *Colomia* non infrequens ciuitas ob salis cocti copiam, quod inde per totam *Russiam & Lituaniam* distrahitur, quarum omnes fere satrapiæ sale carent, nisi hic & in *Præmisliensi* districtu conficitur. Sunt itaque pagi nonnulli apud *Halici-*

am, in quibus ex aqua è profundis puteis hausta sal decoquitur, & partim in modum farinæ, vel niuis, minutum relinquitur, partim in frustula conformatur, & sic diuiditur; conficiturque pluribus in locis *Russicæ* huius satrapiæ, nempe apud *Riboticios* in tractu *Præmislienſi*, apud *Dobromiliam*, *Samboriam & Solum*, quod etiam à *ſale* nomen habet. In desertis quoque campis *Vkrainæ*, seu *vlterioris Podoliæ*, prope *Boriſthenem*, est lacus quidam, cuius aqua sereno & ardente sole, in solidum salem concrescit, quo circumiacentes accolæ vtuntur. Sed ad rem nostram. In *Pocucia* nobiliora loca sunt *Martinouia*, *Dolina*, *Strium*, arcem in paludibus sitam habens. Cis *Neſtrum* autem aut *Tyram*, *Podocum* arce munita, & templo sodalium Dominicanorum à *Stephano Potucio*, Palatino Braslauiensi, qui ibidem fato functus quiescit, egregie exornatum. Eiusque successorum oppidum & arx *Monaſterziſca*, *Vscie*, *Dobrouoda*, aliaque complura castella; inter quæ *Bucžauia* arce firma conspicua, itemque *Podhaiecia* muro cincta & propugnaculis, atque in vicinia arx *Zaualouia* non inelegans: tum *Brezanum* ciuitas populosa, & templum pulchrum, & palatium splendidum atque bene firmum habens.

Sequitur deinde *Podolia*, continuis barbarorum incursionibus & Præliis famosa: quæ, si optata pace posset ita frui, vt occidentaliores Europæ populi, certe nec *Italiæ*, aut *Vngariæ*, soli vbertatem & diuitias inuideret. Habet & marmora diuersa, atque alabastrum in diuersis locis. Diuiditurque in *tria* quodammodo *Territoria*, *Camenecenſe*, *Tremboulienſe*, & *Laticzouienſe*. *Camenecia* est vrbs cum arce, natura loci manuque permunita, triginta milliaribus bene longis distans à *Leopoli*, versus ortum hybernum, longitudinis gradu 49. lat. 48. Habetque & ipsa *duos* Episcopos, *Catholicum* vnum, & *Armenum* alterum; gens enim hæc lucri causa libentissime in Regno *Poloniæ* immoratur, & merces nobis varias, partim è *Perſide*, partim è Regnis *Turcæ*, præcipue autem equos generosos adducit. Habentque hic, prout & in aliis vrbibus *Ruſſiæ* maioribus, suum *magiſtratum* seu *Seniores* nationis, qui fidem *Regi & Vrbico magiſtratui* pro reliquis spondent, & in vitia gentis suæ ipsi animaduertunt. *Societas* quoque *JESU* Collegium hic suum habet, & instruit artibus iuuentutem. Secundo ab vrbe lapide, est arx *Potociorum*, *Panioucе* dicta, à *Ioanne Potocio*, insigni nostra ætate bellatore, Palatino Braslauiensi, recenti architectura exstructa, celebris oppugnatione *Turcica*, cum anno 1621. bellum cum illis grauissimum, ad *Chotimiam* in *Valachia* haberemus.

Tremboula vero, *Laticzouia*, *Huſiatinum*, *Barum* à Regina *Bona* olim fundatum, vbi etiam *Ieſuitæ* pro iuuentute informanda collegium habent, *Czartcouia*, *Ianouia*, *Zincouia*, *Miſdzibozia*, *Ieſupolis*, *Grodecia*, *Iaelcuecia*, *Satanouia*, *Zuanecia*, *Tarnopolia*, *Kitaigrodum*, *Dunaigrodum*, & alia complura,

huius Dynaſtiæ oppida, ſingula fere ob *Scythiæ* infeſtationem, & quaſi aſſidua bella, non male permunita ſunt; habentque arces ſibi adiunctas firmiſſimas, & incolas bello natos, Martique deditos. *Senatores* huius ſatrapiæ ſunt *tres*, qui ad Reipub. Conſilium pertinent, *Epiſcopus Camenecenſis*, *Palatinus Podoliæ*, & *Caſtellanus Camenecenſis*.

BRASLAVIENSIS Palatinatus vltra *Podoliam*, in confinio *Tartarorum* poſitus, egregias populationes plurimas, atque arces permunitas habet, quas inter eminent, *Morachua*, *Iaroſouia*, *Zitomiria*, *Sarogrodum*, *Felſtinum*, *Chmielnicum*. *Braslauia* ipſa, ad *Bogum* fluuium ſita, atque *Vinnicza* conuentuum nobilitatis, atque iudiciorum deputatus locus; vbi *Societatis IEſu* quoque Clerici, erudiendæ iuuentutis, collegium egregium habent. *Senatores* hic *duo Palatinus & Caſtellanus*; *Diſtrictusque* ſatrapiæ *duo*, *Vinnicenſis & Zitomirienſis*.

Similiter *Tartaris* vicinus eſt palatinatus KIOVIENSIS, ſed qui parte ab altera *Moſchum* quoque habet, & quaſi per medium maximo fluuiorum *Boryſthene* ſecatur. Vrbs *Kiouia* ampla & populoſa ſatis, olim ſedes Ducum ſuorum, qui toti *Ruſſiæ* ſeu *Sarmatiæ*, tam in *Aſia*, quam in *Europa* imperabant, *Romanisque* ipſis, ac poſtea *Græcanicis* Imperatoribus graues; cæterum nunc vix ruinæ veteris illius magnitudinis apparent, eæque paucæ: omnia tempus rerum edax abſumpſit. Eſt hic Archiepiſcopus *Ruſſorum*, omnium quotquot in Regno *Poloniæ Græcanici* ritus Epiſcopi ſunt, primas ſeu Metropolita, qui Romano Pontifici obedientiam nunc præſtat. Eſt & Epiſcopus *Catholici* ritus, qui cum *Palatino & Caſtellano* vrbis, ad *Senatum* Regni pertinet. Templa hic tam *Ruſſorum* quam *Latinorum* compluria, ſed quorum vnum Archimandrita, cum monachis ſuis ſchiſmaticis, & rebellibus ſedi Apoſtolicæ, occupat; habetque *centum* pagos maximos adſcriptitios. Sunt hic ſpeluncæ naturaliter factæ, in quibus olim corpora Ducum *Kiouienſium* reponebantur, hodieque viſuntur nonnulla integra, quæ illi pro ſanctis venerantur; Extenduntur que illæ cryptæ, ſeu ſubterraneæ ſpeluncæ vti ferunt, vsque in *Moſchouiam* per aliquot decumas milliarium. Monachi illorum (*S. Baſilii* inſtituti) qui duriſſimam vitam agunt, intrant eas tempore Quadrageſimali; ibi ſolitarii pœnitentiam peragunt. Alii vadunt in deſerta, cilicio & catenis ferreis induti, interdum vsque in *Scythiam remotiorem*, vbi Euangelium prædicent, & martyrio coronentur: Ignatianorum opera, qui *Kiouiæ* ſuum collegium habent, ad Eccleſiæ Vnitatem reducti. Habentque plurima monaſteria in *Ruſſia*, ſed quorum alia iam ſunt in unione cum Eccleſia *Romana*.

Satrapia hæc late extenditur, tam verſus *Euxinum* mare in meridiem, quam verſus occidentem & ſeptentrionem, ad *Lituaniæ & Albæ Ruſſiæ* confi-

nia: habetque & populata, & arcibus adiunctis permunita oppida plurima, præcipua vero *Caniouiam*, *Circaſſiam*, *Bohuslauiam*, *Pereslaviam*, *Bialocerquam*, *Stepanouiam*, ex arte vallo & foſſis munitam, *Faſtouiamque* Epiſcopi Kiouienſis reſidentiam, vnde *Jeſuitæ* ſuum Collegium *Kiouiam* tranſtulerunt. In hac ſatrapia, & in ſupradicta *Braslauienſi*, plebs aſſiduis bellis exercitata, militares animos gerit, & tam ex oppidis quam ex pagis, in inſulas *Boryſthenis* congregatur, dantque nomina militiæ gratis, & ſe *Coſacbos* vocant, ſeruataque diſciplina veteri, partim in *Scythiam* pedes excurrunt, & prædas inde abigunt, partim in *Turciam* per mare, aut ſi quo iuſſi a Rege fuerint. Fit autem eorum numerus ad quadraginta millia, qui omnes fere in hyberna domo ſua abeunt, paucis relictis in cuſtodiam inſularum, ne a barbaris occupentur: militantqne *Reipubl.* absque vllis ſtipendiis, ſola præda contenti. Quo tamen alacriores ad ſeruitia fierent, ſolet illis Rex ſemper bello peracto, certam aliquam pecuniæ ſummam, ad reficienda arma donare, quo maiorem numerum exercitus ſcribant.

Sed reuertendo quaſi domum, occidua *Kiouiæ* eſt VOLINIÆ ſatrapia, quæ in *duos* maximos *diſtrictus* diuiditur, *Cremenecenſem* & *Luceorienſem*. Habetque *Senatores tres*, *Palatinum* & *Caſtellanum Volhyniæ*, & Epiſcopum Luceorienſem, qui Cathedram ſuam cum Capitulo in arce vrbis habet; ibidemque *Societatis Jeſu* Clericorum Collegium pro ſtudioſis. In vrbe autem ipſa Epiſcopus *Ruſſorum*. Nec multum inde procul eſt ciuitas *Volodimiria*, in qua itidem *Ruſſorum* Epiſcopus ſedem ſuam habet, & iuriſdictionem late exercet. Reliquæ ciuitates ſunt *Rubeſouia*, *Socalia* veneratione miraculoſæ imaginis *B. V. M.* nobilis; Solet enim eo magnus hominum concurſus ſemper fieri, votorum exſoluendorum cauſa, procurantibus ſacra religioſis Viris *S. Franciſci* de obſeruantia, quos vulgo Bernardinos dicimus. Hi igitur in inſula fluvii *Bug*, magnificentiſſimum templum piorum eleemoſynis, & monaſterium propugnaculis firmum, ob metum hoſtium, paucis abhinc annis erexerunt, templumque illud totum pulcherrimis picturis, vaſis argengenteis atque aureis, veſtibusque ſacris gemmatis, ad ſtuporem breui tempore exornarunt. Sequitur *Czartoriſcum*, *Oleſcum*, *Crilouia*, ciuitates egregiæ & arcibus munitiſſimis conſpicuæ. *Brodi* oppidum a *Stanislao Koniecpolſcio*, Caſtellano Cracouienſi & Exercituum Duce ſupremo, inſigni fortalitio, Eccleſia Collegiata, & Gymnaſio publico condecoratum. Vnde non procul *Podhorcenſe*, palatium, cum hortis & aquæductibus egregiis, conſpicitur. Dux quoque *Stanislaus Radiuillus*, Cancellarius *Lituaniæ* ſupremus, in eadem ſatrapia ciuitatem ſuam *Olikam*, arce munitiſſima, atque elegantiſſima Eccleſia Collegiata, ſuppellectili aurea celeberrima, & Academia bonarum Artium illuſtrem, noſtra ætate admodum reddidit, erecto ibidem Præpoſito Infulato & Monte pietatis.

Sequi-

Sequitur *Cremenencia*, territorii ſui caput, arcem in ſaxo eminentiſſimo oſtentans; deinde *Visniouecia*, *Zaslauia*, *Conſtantinouia*, *Baſilea*, *Dubna*, *Oſtrogium*, *Zbarauia*, quælibet arcem munitiſſimam & ornatiſſimam habens, vtpote ſingulæ vetuſtiſſimorum Ducum *Ruſſorum* ſedes primariæ & Lares. Et *Oſtrogium* ſane parte ab vna (quamuis remotius paulo) *Dormanum*, monaſterium *Rusſicum* pulcherrimum habet, in quo inſtituti *S. Baſilii* monachi, ſub proprio *Hegumeno*, in ſchismate ab eccleſia *Romana* viuunt, habentque poſſeſſiones amplas: parte ab alia *Miedireczum* oppidum munitiſſimum, in quo Franciſcanis Conuentualibus, vltimus de familia *Ioannes* Dux *Oſtrogius*, Caſtellanus Cracouienſis, ſumptu (vt ita dicam) regio, templum & monaſterium exſtruxit. In vrbe autem ipſa, neptis illius nuper Ignatianæ Societatis Clericis, Collegium pro erudienda iuuentute, & templum magnificentiſſimum erexit, in quo mariti ſui oſſa *Caroli Chodkieuicii*, viri bellica virtute incomparabilis, cum lachrymis repoſuit.

Iam vero BELZENSIS ſatrapia, *Leopolienſi* diſtrictui, & *terræ Chelmenſi* vicina, in meditullio quaſi *Rubræ Ruſſiæ* poſita, vrbem ipſam inter paludes ſitam (vbi ſodales Dominicani templum antiquiſſimum poſſident) & ab ea cognominatos *duos Senatores* habet, *Palatinum & Caſtellanem Bulzenſem*; diuiditurque facile in *quatuor territoria*, *Belzenſe*, *Buſcenſe*, *Grodlenſe*, & *Grabouecenſe*, in quibus tot oppida & pagi, ſed hæc prædicta *quatuor*, vt ſuorum territoriorum capita ſunt, ita & præcipua aliis cenſentur eſſe, arceſque ſibi munitas adiunctas habent.

Vltimum locum *Terra Chelmenſis* tenet, inter *Lublinenſem ſatrapiam* & *Lituaniæ* confinia poſita, *Volhyniam* verſus ortum reſpicit; Urbsque ipſa *Chelma duos* Epiſcopos habet, vnum *Catholicum*, cuius Cathedra non ita pridem *Crasnoſtauiam* translata eſt: & alterum *Ruſſum*, qui ibidem manet, & templum ſuum Cathedrale tenet. Igitur in *duo territoria* diuiſa, *Chelmenſe* videlicet, & *Crasnoſtauenſe*; *duos* quoque *Senatores* habet, *Epiſcopum, & Caſtellanum Chelmenſem*. Oppida præcipua *Chelma* ipſa, *Rozana*, *Vlodauia*, *Crasnoſtauia*, ad *Veprum* fluuium ſita, vbi & Cathedra Epiſcopi, & arx palatiumue recentioris architecturæ ſunt. Hic Diuæ memoriæ Archidux *Maximilianus*, cum ad Regnum *Poloniæ* paucorum temeritate vocatus, cum exercitu hoſtiliter veniret, a *Ioanne Zamoſcio* profligatus, captusque aſſeruabatur ſub cuſtodia.

Qui quidem prædictus *Zamoſcius* in vicinia pene ſtatim, vrbem *Zamoſcium* in rure ſuo hæreditario, munitiſſimam fundauit, & mœnibus, foſſis, vallo atque propugnaculis ex arte præſentis Geometriæ communiuit; inque ea templum Canonicorum (quorum Decanus infulatus eſt) pro ſumma in DEum

um pietate, magnificentissime erectum, omnibus requisitis sufficientissime locupletauit. Et vt erat maximus ingeniorum liberalium educator, artiumque omnium & elegantiarum pater, euocatis *Cracouia* viris doctissimis Academiam instituit; & non *Zamoscium* modo suum, sed totam etiam *Russiam* Musarum splendore illustrauit. Addidit Collegium sacerdotum & Seminarium Clericorum *Catharina Oscrogia*, *Thomæ Zamoscii* Regni Cancellarii Vxor, auctusque numerus Professorum & Canonicorum egregie.

Circumcirca sunt non contemnenda quoque oppida, vt, *Scebresinum*, *Turobinum*, *Tamogrodia*, *Tomasouia*, *Ctesouia*, aliaque complura; sed omnia fere additionem, *Zamoscii* spectantia, vbi & hortos cultissimos, & piscinas restagnantes, & diuersorum animalium viuaria, & ferrarias officinas passim videre licet.

Similiter quoque & in *Vchanie*, vbi illustris olim vir *Nicolaus Danielovicz* Regni Thesaurarius, templum magnificentissimum exstruxit, & cum preciosissimis aliis donariis, tum argentea suppellectili insigniter ditauit. Palatium etiam hic visitur superbum, & horti amœnissimi; quod commune est omnibus magnatibus *Sarmatiæ*.

Hic addendam duximus *satrapiam Czerniechouiensem*, vltra *Borysthenem* positam, quam *Vladislaus IV. Moschis* ademtam, Regno *Poloniæ* adiunxerat, atque præter ciuitatum *Præfectos*, *duos* in ea *Senatores*, *Palatinum* videlicet, & *Castellanum* constituerat, eisque loca in *Senatu* Regni assignauerat; *Catholici* ritus compluribus in locis templis excitatis, fundatoque pro erudienda iuuentute, Collegio Clericorum *Societ. JEsu Nouogrodiæ*. Sed iam ad *Albam Russiam* procedamus, quia *Czerniechouiensis* prouincia, proprie in *Russia Nigra* posita censenda est.

RVSSIA ALBA.

QVæ Magno Ducatui *Lituaniæ* adiacet subiacetque, *Russia* vulgo dicitur *Alba*; partim quod incolæ eum colorem præferant; partim quod niuibus campi cooperti diutius quam alibi durent, & inspectantibus omnia alba repræsentent, vt etiam in naturam animalium color iste transeat; Siquidem ibi & lupos & vrsos, lepores, vulpes aliaque tam domestica, quam syluestria animalia passim alba videre est, quæ nihilominus in aliis locis nata alium colorem habere solent. Regio est omnium rerum quæ ad victum spectant feracissima, siliginis, hordei, auenæ, tritici, ciceris, canabis, lini, mellis, lupuli, ceræ, pecoris, piscium, auium, & ferarum: hæque sunt diuitiæ ipsorum, quas partim *Duna* fluuio, in *Liuoniam* ad emporium *Rigense* transmittunt, partim *Nemeno*, per *Lituaniam Regiomon-*

giomontem in *Prussiam*. Diuiditur autem hæc nobilissima prouincia, in *sex* maximos *Palatinatus*, seu *satrapias*, quarum prima populosior cæteris est NOVOGRODENSIS; quæ in *duos districtus* diuiditur, in *Nouogrodensem & Slonimensem*: vterque plurima oppida continet & bene populata, sed præcipua hæc sunt: *Nouogrodkum*, vbi alternatis vicibus cum oppido *Minsco*, *Parlamentum* totius Magni Ducatus *Lituaniæ* celebratur, & Ignatianorum residentia habetur, præter alia monasteria *Græci & Catholici* ritus. *Slonimum*, *Rozana*, *Sclecia*, *Mysza*, *Lachouicia*, a felicis olim memoriæ viro *Carolo Chodkieuicio*, Generali exercituum *Lituaniæ*, palatio pulcherrimo, & propugnaculis, ex recenti dimensione factis, firmissime communita. Similiter *Nesuizia*, Ducum *Radiuillorum* nidus, vbi excellentissimus ille, & cum omni antiquitate comparandus vir, *Nicolaus Christophorus Radiuillus peregrinus* cognominatus, (quod habitu peregrini *terram sanctam* adierit) complura monasteria sumptuosissima, Xenodochia, Seminaria, Collegiumque *Societatis Jesu* Clericorum, & Bursas studentium, plane regali animo & sumptu erexit, inque cæteris possesionibus suis, templis passim refectis, aut a fundamentis excitatis, palatium Ducale loco munitissimo moderna architectura extruxit: Similiter prætorium vrbis, & arcem *Myrh* dictam, quarto ab vrbe lapide, cum prædiis, villis, hortis, pomariis, piscinis, & viis quaqua versum per aliquot milliaria, ad regulam rectissime dispositis, fossas a parte vtraque & arbores fructiferas apposuit, inque media *Sarmatia Italiam* nobis exhibuit. Nouem inde milliaribus distat *Sluckum*, vrbs omnium quæcunque in *Polonia* sunt maxima, sed tota fere lignea, templo Catholicorum excepto, & palatio Ducis. Hæc olim, & iam Patrum nostrum memoria, Principem absolutum, sed Regi *Poloniæ* feudatarium, cum amplissimis possessionibus habebat, sed stirpe non ita pridem deficiente, cessit cum omnibus adiacentiis suis, in familiam Ducum *Radiuillorum*.

In *Slonimensi* vero districtu *Rozana*, *Sapieharum* nidus, cum ædificiis magnificentissimis, tum viarum rectissima dispositione percelebris est, monasteriumque Basilianorum Catholicæ Ecclesiæ vnitorum, *Diuæ Virginis Mariæ* imagine miraculosa, per totum Regnum *Zirouiciis* claret.

Secunda satrapia est MSCISLAVIENSIS, *Pripetio* fluuio a meridie, & *Borystheni* ab ortu quasi triangulari forma adiacens, syluis tota inumbrata & aquis immersa; diuiditurque in *duos* districtus amplissimos, *Mscislauiensem & Modzirensem*: & more cæterarum satrapiarum *Lituaniæ* atque *Russiæ*, *duos Senatores* habet, *Palatinum & Castellanum Mscislauiensem*. Oppida autem præcipua, *Cleckum*, *Ouruckum*, *Homliam*, *Criczouiam*, arcibus pulcherrimis & bene munitis exornata, tum *Ostrskum*, *Mscislauiam* ipsam & *Modziriam* in mediis paludibus sitam. Ager tamen vbique vel innata fœcunditate,

ditate, vel accuratiore hominum cultu benigne ſementem reddit; pecorumque omnis generis & armentorum abunde habet; ſed maxime volucrum & ferarum ſylueſtrium.

Tertius Palatinatus eſt VITEBSCENSIS, ſicut & ille ſuperior, ad *Boryſthenem* verſus Eurum poſitus, qui itidem in *duos* diſtrictus bonos diuiditur, *Vitebcenſem & Braslauienſem*: præterque has duas ciuitates, aut verius vnam *Braslauienſem* (nam *Vitebſcum* ipſum, ob occiſum Beatum virum *Joſaphat*, Archiepiſcopum *Ruthenici* ritus Polocenſem, quod eos ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ induceret, amiſit iura ciuitatis, & eſt redactum in pagum, ſole arce regia cum iurisdictione relicta) & oppida ignobiliora, habet *Mohilauiam* vrbem ampliſſimam, mercatoribusque plenam emporio *Moſcouitarum* claram; præcipuæ ſiquidem precioſioresque pelles, quæ ex *Moſcouia* veniunt, per eorum manus tam in *Polonia* quam in *Germania* diſtrahuntur. *Vitebſcum* ipſum Collegium *Societatis JEſu* habet, ex fundatione *Alexandri Goſievvski* Palatini Smolescenſis, reliquaque huius prouinciæ oppida & ciuitates, diuerſorum religioſorum domicilia, conuentus, & monaſteria. Tum palatia nobilium, & arces bene munitas, ipſasque populationes foſſis & propugnaculis cinctas.

MINSCENSIS ſatrapia quartum locum obtinet, præterque ſuum diſtrictum, habet etiam *Boriſouienſe* territorium, omnium frugum copia diues. *Minſcum* arcem bene munitam inter aquas habet; aliudque propugnaculum inferius non contemnendum. Eſt hoc enim *Ruſſis* in more, vt quasuis principaliores ciuitates ſuas duplici munitione firment, communiſſime inferiori & ſuperiori arce. Vnde & *Bariſouia* quoque ad fluuium *Berezinam* ſita, duplex propugnaculum habet, ſicut & *Minſcum*; quod tamen ciues politiores continet, ob concurſum nobilitatis, *Tribunali* ſeu *Parlamento* totius *Lituaniæ* ibi durante. Sic enim conſuetudine obtentum eſt, vt vno anno *Parlamentum Vilnæ* reſideat, altero *Mincii* aut *Nouogrocii*, vicibus alternatis celebretur. *Toloczinum* quoque hic, *Smolniany*, *Coidanouia & Turkum*, haud in celebris oppida habentur. Reliqua fere omnia ignobiliora, Monaſteriis tamen & palatiis Magnatum referta.

Quintum locum occupat POLOCENSIS ſatrapia, *Polotzumque* ipſum, ad *Dunam* fluuium poſitum, vrbem mercatoribus plenam habet, & duplici propugnaculo ſeu arcibus firma, Archiepiſcopi *Rusſici* ſedem in ſe continet: in qua noſtris temporibus *Beatus Joſaphat* collocatus, ab impiis Schismaticis *Vitebſcii* interfectus, ad meliorem vitam tranſiit. Corpus ejus huc translatum, maximis miraculis claret. Habent etiam in hac vrbe *Societatis JEſu* Clerici, vtiles in vinea Domini operarii, Collegium ſtudioſorum, à *Stephano* Rege erectum. Nec longe admodum *Vſuiatum*; ciuitas

ciuitas egregia cum arce *Starzicia Velisia*, caput *vnius* diſtrictus ad eandem ſatrapiam ſpectantis, & *duæ* incomparabilis olim *Herois Caroli Chodkieuicii* munitiſſimæ ciuitates, *Sclouia* atque *Bychouia*, in quibus non modo propugnacula ex arte recentiori, ſed & templa, monaſteriaque ab illo, noua architectura ſunt erecta. Tum monaſterium Carmelitarum Diſcalceatorum *Glebocii*, & Franciſcanorum Conuent. Ozguæ; præter Abbatias Ord. *S. Baſilii.*

Vltima eaque maxima ſatrapia eſt SMOLENSCENSIS, Ducatum *Seuerienſem*, Terram *Czerniehouienſem* (vtraque autem hæc *ſeptuaginta* arces continent) & Diſtrictum *Orſanenſem* in ſe complectens. *Smolenſcum*, ad *Boryſthenis* ripam in loco editiore poſitum, muro *ſex* cubitos lato *quinquagintaque* duabus turribus firmum, ſpeculam & propugnaculum in medio vrbis, in monte excelſiore habet: Continetque circiter *quatuor millia* domuum, præter aulas nobilium & templa Religioſorum, tam *Ruſſorum* quam *Catholicorum*: Inter quæ vnum eſt Ignatianorum, cum Collegio pro ſtudioſa iuuentute, & ſedes Epiſcopi *Ruſſici*, qui in ſpiritualibus ſubiacet Archiepiſcopo Polocenſi, tanquam ſuffraganeus, & vterque agnoſcit pro capite Romanum Pontificem. *Catholicum* vero Epiſcopum nuper fundauit *Vladislaus* IV. vna cum Collegio Canonicorum, profligatis inde numeroſiſſimis exercitibus *Moſcouitarum*; Idque ex deſtinatione patris ſui *Sigismundi* III. qui Conuentum Ord. Præd. fundauerat. Sunt & *Græci* ritus Monaſteria ſexus vtriusque, & FF. Min. de Obſeruant: prout & *Dorobobuſi* atque *Starobubi*, aliisque in locis. *Dombrouna* quoque oppidum non contemnendum: Sicut & *Orsza* ad *Boryſthenem* ſita (in qua itidem *Societatis JESV* Clerici Gymnaſium publicum habent) quæ ſemper fuit in ditione Regis *Poloniæ*; *Smolenſcum* autem cum toto Ducatu *Seuerienſi*, ante annos circiter centum, interceperat *Moſchus*, ſed *Sigism. III.* Rex noſter modernus, Anno 1611. bello recuperauit, & inſuper Terram *Czernichouienſem*, *Rumnenſem*, & *Sterpiciouienſem* ab hoſte extorſit, & *Smolenſcenſi* ſatrapiæ adiunxit.

PRUSSIA.

PRuſſia quamuis eodem cum *Polonis* regno contineatur, peculiare tamen conſilium publicum, peculiares leges, peculiaria iudicia, comitia, ærarium, ac belli gerendi rationem diuerſam antiquitus habet. Eſtque ampliſſima regio, plerisque ſinuoſis flexibus vbique amœna, & opportunis portibus maris *Balthici* maxime commoda. In latitudinem 50. in longitudinem vero circiter ſexaginta milliaribus extenditur.

Et ab occaſu *Pomeraniam*, ab Auſtro *Maſouiam*, *Lituaniam* cum *Samogitia* ab ortu, à ſeptentrione demum mare *Balthicum* ſeu *Sarmaticum* habet; atque vrbium illuſtrium, oppidorum, artiumque frequentia, opimis incolarum diuitiis, opibusque ac terræ ipſius vbertate, ſupra modum claret. Metallorum quidem ferax non eſt, ſed pecoris omnigeni inæſtimabili copia, piſcationibus, venationibusque & ſyluis fructuoſiſſimis, atque aëris demum temperie, cum amœnitate coniuncta, prædita eſt. Merces quas è *Polonia*, *Ruſſia*, & *Lituania* accipit, maximo ſuo commodo trans mare mittit; & viciſſim in *Poloniam* impotat, quicquid *Europa* vniuerſa, & *India* diues gignit, omnia fere per commutationem à transmarinis mercatoribus accipiens. Hinc vulgo ſimul & nobilitati res ibi lautior, quam in reliquis partibus Regni, veſtitusque & habitatio cultior; quod totum priſca frugalitas, non modo conſeruat, ſed etiam indies auget.

Habet autem *Pruſſia* præcipua flumina *duodecim*, *Viſtulam*, quæ *Sileſiam*, *Poloniam*, *Maſouiam* & *Pruſſiam* præterlabitur, *Nemenum*, ex *Alba Ruſſia*, per *Lituaniam* & partem *Samogitiæ* decurrentem, *Dereuantiam*, *Elbingam*, *Veſeram*, *Paſſariam*, *Allam*, *Prægelum*, *Oſſam*, *Drebnicam*, *Licam* & *Lauiam*. Præterea lacus plurimos, piſcibus omnis generis exundantes; in his nominatiſſimus eſt *Habus*, ad quindecim milliaria in longitudinem, in latitudinem vero duo milliaria plus minus habens: auguſta valde inſula *Neringa* à mari disiungitur; vbi ſuccinum ſiue electrum (*ambram* etiam externi vocant, quam fluctibus appulſam, ad littora homines nudi obuiam euntes, paruis retibus excipiunt & extrahunt; mollem primum, ſed mox in aere dureſcentem, quæ torno deinde ac ſcalpro varie conformatur) ſicut & in omnibus *Pruſſiæ* littoribus colligitur. Eſt & alius lacus aliquanto amplior iſto, cognomento *Curonienſis*, ſed in *Pruſſia Ducali*: reliqui omnes fere minores.

Duplex autem eſt *Pruſſia*, *Regia* & *Ducalis*: ſic dictæ, quod hæc *Ducem Marchionem Brandeburgenſem*, Regi *Poloniæ* vectigalem, pro Domino agnoſcat; illa, directe Regno *Poloniæ* incorporata, neminem pro principe ſuperiore, niſi Regem ipſum veneretur. Et *Ducalis* ſane minoribus oppidis frequens eſt admodum, & quidem nec incultis, nec immunitis, quæ vltra *ſexaginta* numerantur: habetque metropolim *Regium montem*, vrbem emporio claram, tribusque oppidis & arce magnifica inſignem; longitudinis gradu 43. lat. 54. In qua, Academiam quoque *Albertus*, ex *Magiſtro Ordinis Teutonici* primus *Dux* factus, Anno 1544. erexit: ſed quia Hæreticis profeſſoribus regendam commiſit, ideo hucuſque incognita habetur, nec effloreſcit ingeniis. Ciues ibi etiam variis Sectis infecti, templa *Lutheri* ad huc temporibus Catholicis erepta, ſuis prædicatoribus gubernanda

dederunt. Quare sereniſſimus Rex *Sigism. III.* cum à *Duce* illo Anno 1621. Homagium *Varſouiæ* reciperet, legem impoſuit, vt Catholicis liberum religionis exercitium maneret, *Duxque* ipſe templum illis à fundamentis erigeret, & omnibus requiſitis ornaret, Clerumque inſuper ſufficientiſſime ditaret. Quod primo ſtatim anno factum eſt, vt in poſſeſſionem venit; alias enim Ducatu ipſo priuari debebat, ſicut etiam, ſi ſubditis ſuis prouocationes ad Regem, in cauſis maioribus prohibuiſſet.

Regia autem *Pruſſia*, *tribus* ſatrapiis diſtincta eſt, *Culmenſi*, *Marieburgenſi & Varmienſi*. *Michalouienſe* autem territorium eſt in ſatrapia *Culmenſi*, quæ ad meridiem ſpectat. *Varmienſis* ad Aquilonem, ſubiecta Epiſcopo ſuo, & ſacro Eccleſiæ eius collegio, Regis *Poloni* maieſtatem agnoſcentibus. Media eſt *Marieburgenſis*, quæ ſola fere plana & decliuis eſt. Reliqua *Pruſſia* pleraque omnis collibus molliter, & ad fertilitatem amœnitatemque, commode diſtincta eſt.

CULMA igitur primæ ſatrapiæ caput, ad *Viſtulæ* ripam ſita, pro ſua amplitudine infrequens ciuitas eſt, & Epiſcopo paret, qui inde nomen habet: quamuis Cathedra eius ſit in oppido *Culmenſi*, vno milliari inde diſtante. Templa tamen pulcherrima, precioſisque veſtibus ſacris ornata habet, inter quæ minimum eſt illud Monialium, ſed omnium tam quoad poſſeſſiones, quam ad vaſa ſacra ditiſſimum. Vbi inter veſtimenta alia vſui ſacrorum dicata, habent quoque caſulam, totam diamantibus maximis precioſiſſimisque exornatam, circumductam autem circumcirca catena aurea, pulcherrimis gemmis diſtincta. Huius ſatrapiæ oppida præcipua ſunt: *Brodnicia, Grudentum, Radinum, Golubia, Rogozna, Brathianum, Coualia, Copriunicza, Lubauia* Epiſcopi Culmenſis, quæ omnia fere mœnibus cincta ſunt, & arces validas, beneque exædificatas habent. Sed primarium locum obtinet *Torunia* vrbs in ripa *Viſtulæ* ſita, longitudinis gradu 41. latitud. 32. nulli ex vrbibus *Germaniæ* pulchritudine, munitione & diuitiis cedens. Plurima hic templa *Catholica*, & *Societatis IESV* Clericorum gymnaſium non infrequens; ſed mercatores communiſſime & magiſtratus hæretici ſunt, habentque Gymnaſium ſuum, in quo humaniora diligentisſime tractant; in ſacris autem ordinarie Controuerſias Cardinalis *Bellarmini* prælegunt. Habent & Bibliothecam inſtructisſimam, in qua duæ *Ciceronis* Epiſtolæ in tabulis cereis ſcriptæ aſſeruantur. Prætorium quoque in hac vrbe eſt elegantisſimum, in medio foro ſitum, quale nullibi videbis; ingresſis enim ſtuporem iniiciunt pauimenta, parietes, laquearia, trabes, vt nihil ad perfectionem architecturæ requiratur.

Secundæ ſatrapiæ caput eſt MARIEBVRGVM cum ipſum per ſe mœnibus turribusque permunitum, tum arce amplisſima (in qua

præcipui ex hoſtibus captiui communisſime aſſeruantur) & munitisſima nobile, ſitum ad *Nogatum* brachium *Viſtulæ*, ſexto ab vrbe *Gedano* milliari: propterque adiacentis *Zulauæ* vbertatem, pagorumque in ea frequentiam & cultum, copioſum ſatis & frequens. Eſt autem *Zulaua* inſula in paluſtri olim reſtagnantis *Viſtulæ* ſolo, operibus & præalti ac firmi aggeris obiectu effecta, quæ magno hominum labore, & non ſine periculo, ab inundatione fluminis defenſatur. Eſt duplex, maior & minor. Maior vocatur hæc, quæ *Marieburgo* adiacet. Minor autem ea, quæ ad *Gedanum* eſt, inter alterum eiusdem *Viſtulæ* brachium, & eſt quidem tota in poſſesſione & libero vſu ciuium *Gedanenſium*, ſed antiquitus maior eius pars Eccleſiæ Parochiali debebatur. Oppida huius ſatrapiæ ſunt primaria, *Stuma*, *Gnieuum*. *Nouum*, *Stargardia*, *Orneta*, ſed præcipue *Elbinga*, bene permunita & copioſa, ſplendidisque ciuium opibus, & mercatorum diuitum frequentia clara, in qua præter vrbis *Conſulem*, *Angli* quoque ſuum *magiſtratum* habebant. Fundauerat hic *Albertus* primus *Dux Pruſſiæ* Academiam An. M. D.XLII. ſed quia *Lutheri* diſcipulis gubernandam commiſerat, ideo ignobilis hactenus fuit.

Tertia ſatrapia eſt VARMIENSIS Epiſcopatus, ſeu principatus ſingularis, habens nobilitatem ab omni regiorum magiſtratuum iurisdictione exemptam, qui iure municipali eodem, quo & cæteri *Pruſſi* vtuntur. Primaria vrbs eſt *Heilsberga* domicilium Epiſcopi, (Cathedra enim ſupra *Fraumbergam* eſt) munitionibus & propugnaculis bene firma. Deinde *Brunsberga* ad *Paſſariam* ſita, adeo frequens copioſa & permunita, vt inter primarias vrbes *Pruſſiæ* numerari queat. Collegium *Jeſuitarum* habet a *Hoſio* Cardinali fundatum. His vrbibus non multum cedunt, *Cuteſtadia*, *Adeſteinum*, *Resla*, *Vormita*, *Melſacum*, *Vatemberga*, *Sebergum* & aliæ ciuitates, Capitulo directe ſubiacentes. *Senatus* itaque *Pruſſiæ*, quos *Conſiliarios* terrarum *Pruſſiæ* vocant, conſtat *duobus* Epiſcopis, *Varmienſi* (qui princeps & moderator reliquorum eſt) & *Culmenſi*; Palatinis *tribus*, *Culmenſi*, *Marieburgenſi & Pomeranico* (*Pomerania* ſiquidem iisdem quibus & *Pruſſia* legibus vtitur, & quaſi pro vna prouincia cum *Pruſſis* computatur, ſolo titulo *Pomeraniæ* excepto) *Caſtellanis tribus*, *Culmenſi*, *Elbingenſi*, *& Gedanenſi* (& hi ſupra nominati *octo Senatores*, ad ſenatum quoque Reipubl. pertinent) & totidem *Subcamerariis*, *Culmenſi*, *Marieburgenſi & Pomeranico*; *tribusque* demum primariis ciuitatibus, quarum non mediocris eſt potentia, *Torunenſi*, *Elbingenſi & Gedanenſi*. Præter hos autem magiſtratus, habent *Pruſſi Theſaurarium*, *Præfectos* arcium, *Gladiferos*, *Iudices & Scabinos*; verum ii non pertinent ad conſilium. *Palatini* autem, qui iurisdictionem exercent, maiorem hic in *Pruſſia* auctoritatem habent, quam in cætera *Polonia*.

POME-

POMERANIA.

POmeraniæ nomine generaliter id totum vocatur, quicquid a *Vistula* incipiens, vsque in *Cimbricam*, littori maris *Balthici* adiacet, quod postquam in *Germanicæ* gentis ditionem cessit, cuilibet parti, inter fluuios maiores in mare decurrentes sitæ, peculiare nomen, vel ab euentu, vel a loci natura, pro libitu imposuerunt. Proprie autem nunc *Pomerania* dicitur ille tractus, qui inter *Oderam & Vistulam* fluuios extenditur ad littus *Balthicum*: cuius partem citeriorem Rex *Poloniæ* possidet; vlterior proprium principem habet, ad *Imperium Germanicum* spectantem. Qui tamen nomine olim *Lemburgi & Bithouiæ*, Regis *Poloni* beneficiarius fuerat, iurauerat que ritu solenni in verba eius, quemadmodum & *Dux Prussiæ* (sed nunc iam ad coronam *Poloniæ* rediit, & prouinciæ *Prussiæ* adscripta est, sub iurisdictione Palatini *Pomeraniæ*.) *Regiæ Pomeraniæ*, quæ iisdem moribus & legibus cum *Prussia* est, nec nisi titulo solo ab illa differt, & fluuio *Vistula* disiungitur, *Gedanum* vrbs metropolis est, longitudinis gradu 41. lat. 54. maris *Balthici* emporium celeberrimum, copia & varietate mercimoniorum, partim maritimorum, ex toto occidente & septentrione, partim terrestrium, ex diuersis mundi partibus, & fluuiatilium, maxime *Vistulæ* præterlabentis opportunitate abundans; adeo vt ædificiorum tam priuatorum, quam publicorum pulchritudine, incolarum & externorum multitudine, ciuium diuitiis, propugnaculorum firmitate, machinarumque & instrumentorum bellicorum numero, cum præcipuis *Europæ* vrbibus certare possit. Quæ cum hæretica tota sit, *Officialem* tamen seu *Vicarium* Episcopi patitur, & coram illo omnes hæretici variarum sectarum causas disceptant, præsertim in materia matrimonii. Quamuis enim hæc satrapia proprium Episcopum non habeat; in spiritualibus tamen tota subest Episcopo Vladislauiensi seu *Cuiauiæ*, qui se etiam Episcopum *Pomeraniæ* scribit, & in ea non contemnendas possessiones habet; etiam in suburbanis *Gedanensibus*, vbi templum & collegium pro erudienda iuuentute Ignatiani habent; Dominicani autem, Carmelitæ & Moniales in vrbe ipsa, sicut & Vicarius Episcopi. Gymnasium hic *Lutheranorum* celebre est, itemque horologium vrbis affabre elaboratum, & palatium publicum vulgo *Gelda* dictum.

In ipso quoque maris portu, propugnaculum munitissimum exstructum, *Pharum* vocant, & firmo præsidio custoditum, vbi interdum *quingentas* vna die cum mercibus naues appulsas videbis, quæ a præsidiariis excutiuntur, & portorium persoluunt. Conabatur huc *Suecus* bello durante irrumpere, sed a regis fortiter exceptus, naues aliquot & Admiralem amisit,

sit, qui cum sua prætoria igni exustus fuit; reliquæ fugatæ & submersæ, captæ vero *septem*. Abundat autem magnopere hæc prouincia, piscibus, frugibus, fructibus & syluis; diuiditurque in *septem* territoria, & totidem iudices habet, in *Sluchouiense, Tucholiense, Suecense, Dersauiense, Zucouiense, Pudense, & Mirachouiense*; Quibus etiam *Craina* & *Cassubia*, tractus terræ non contemnendi, adiunguntur: in quorum illo priore, Abbatia Coronouiensis præpinguis est; in isto præfecturæ aliquot regiæ.

Puckum præcipuum oppidum satrapiæ, cum arce munitissima ad mare sita, quam interceperat *Suecus*, vti locum sibi ad inuadendam totam prouinciam valde opportunum, sed virtute nostrorum expulsus, multis militibus suis amissis. Nec multum illi cedit *Scluchouia, Stargardia, Neimburgum, Meua, Schoinicia, Dersauia*, quæ arces sibi adiunctas habent; reliqua non item: nisi quod *Amsterinum*, bello hoc famam aliquam inter cætera sibi paria videtur acquisiuisse, quod in eo duas *Sueci* legiones, *Koniecpolscius* Polonici exercitus Generalis, integras ceperit, armisque & signis spoliatos dimiserit omnes, præter ductores ipsos.

Habet Abbatias quoque hæc prouincia prædiuites, affabreque facta monasteria, *Oliuæ, Peplinia*, Cistercíensium: *Zarnoueciæ* ad littus maris, & *Zukouiæ*, monialium, & quod vnicum tantum huius Ordinis in tota *Prussia* est, prope *Dantiscum*, Carthusianorum.

MASOVIA.

IN Meditullio quasi regni *Poloniæ* sita est *Masouia*, *quatuor* satrapiis distincta, *Plocensi* nimirum Palatinatu, *Podlachico*, & eo, qui peculiariter *Masouiæ* nomen retinet, atque Terra *Dobrinensi*.

DOBRINENSIS occidentalis est, inter *Cuiauiam & Prussiam* posita; inque tria *territoria* diuiditur, nempe in *Dobrinense, Ripinense, & Libnense*, syluas fructuosas complures habet, & lacubus piscosis in primis abundat: præterque hæc *tria* oppida, quæ suorum territorium diximus esse capita, nullum aliud celebrius habet, nisi illud quod vulgo *Skompe* vocatur, in quo Minoritæ imaginem *Beatissimæ Virginis* miraculosam asseruant, fitque eo magnus populorum concursus, & circumiacenti vicinia deuotionis ergo. *Gurzno* etiam oppidum Episcopi Plocensis, (qui in toto illo tractu iurisdictionem suam exercet) est alicuius momenti, multosque pagos subiectos sibi habet. *Senatores* Terræ *Dobrinensis* sunt *Castellani tres, Dobrinensis, Ripinensis & Slonnensis*.

Hinc versus ortum procedendo, inter *Vistulam & Prussiam* iacet, *Palatinatus Plocensis*, qui in *quatuor territoria* diuiditur, *Plocense, Zaucrense, Mlauense & Stenense*. Habetque *Senatores quinque, Episcopum, Palatinum &*

Castella-

Castellanum, Plocenses: deinde *Raciazensem* & *Siepercensem*, *Castellanos*. Oppida fere omnia ignobilia sunt, præter *Sieperciam* (vbi imago miraculosa *Beatissimæ Virginis* habetur, fitque hominum concursus magnus) & *Ploscum* ipsum, basilica nobile & Episcopo, situm in ripa eminentiore *Vistulæ*, vnde prospectus in partes omnes amœnissimus; quem eo iucundiorem faciunt naues, assidue huc illuc transeuntes, & pomaria per circuitum vrbis disposita, fructus sapidissimos proferentia. Templa hic plurima, & bene ditata, præcipue Monialium *S. Mariæ Magdalenæ* in Suburbano, & Benedictinorum Abbatia in arce, vbi Basilica quoque ipsa haud inelegantis structuræ, diues argento & clenodiis, inter quæ visitur etiam caput *S. Sigismundi* Regis, a Serenissimo Rege *Sigismundo III.* loco illi, (quod nimirum Basilica ipsa sit sub titulo *S. Sigismundi* erecta) non ita pridem donatum, thecæ auri Obryzi inclusum, & plane regali munificentia, gemmis & lapidibus preciosis exornatum. Capitulum hic fere æquales reditus cum Episcopo habet; nam Præpositus ipse integrum territorium possidet, estque supremus Dominus nobilitatis illius, quæ ibi manet. Sicut & Episcopus, *Pultouiensis* territorii supremus est Princeps, nec ab illo datur prouocatio ad Regem: Sed ita nobiles sunt illius subditi, sicut & Episcopi Varmiensis; aut Cracouiensis, in Ducatu *Seueriensi*. *Jesuitæ* hic Collegium erudiendæ iuuentutis habent; sed est & gymnasium castrense, sub cura venerabilis Capituli, qui eo magistros ex Academia *Crac.* euocant.

Vrbs ipsa ciuili populo abundat, qui partim agros & hortos pomiferarum arborum colit, partim mercaturæ studet, ad quam gnauiter, exercendam loci opportunitas, ipseque inprimis *Vistula* onerariarum nauium capacissimus incolas inuitat. Sulmonum hic & silurorum copiosior fit ex piscatione prouentus, Mense Martio præsertim: Sed & *Trocta* hic ab egregia pulparum pinguedine maxime commendatur.

Sequitur *Masouia* ipsa, quæ *Episcopum* nullum, *Palatinum* autem *Generalem* habet, atque *Castellanos septem*, *Cyrnensem*, *Varsouiensem*, *Vilnensem*, *Visegradensem*, *Zacrocimensem*, *Ciechanouiensem* & *Liuensem*. In spiritualibus, autem, partim subest Episcopo Posnaniensi, partim Plocensi, partim Luceoriensi. Et quia ampla prouincia est, ideo in *duodecim territoria* diuiditur, in *Cyrnense*, *Visnense*, *Zembrouiense*, *Varsouiense*, *Nurense*, *Vissegrodiense*, *Zacrocimense*, *Ciechanouiense*, *Lomzense*, *Rozanense*, *Macouiense* & *Liuense*. Prǽterque prædicta oppida, quæ suorum territorium capita sunt, habet complura alia notabiliora multo, vt *Pultouiam*, Episcopi Plocensis residentiam latericiis domibus, & arce in scopulo pulchre exstructa, hortisque ac pomariis amœnissimis nobilem, quasi in insula *Naruæ* nauigabilis fluuii sitam, in qua & *Societatis JESV* Clerici insigne studium habent, & Collegium

Canoni-

Canonicorum templum magnificum beneque prouisum. *Czernienscum* vero ad *Vistulam* situm, habet Abbatiam Canonicorum Regularium ditissimam. Tandem *Minscum*, *Varcam*, *Vengrouiam*, *Garuoliniamque* optima cereuisia oppida celeberrima: similiter *Stanislauouiam*, *Brocum*, *Viscouiam*, *Seroiczam*, *Lomzam* Collegio Ignatianorum, insignem; atque demum *Varsouiam* ipsam centrum Regni Poloniæ, atque ob id Comitiorum locum priuilegiatum, vt ex omnibus prouinciis æqualis sit commeantibus distantia. Est enim sita longitudinis gradu 43. latit. 52. quadraginta milliaribus à *Cracouia & Posnania*. Habetque palatium amplum quadratum, recenter à Serenissimo Rege *Sigismundo III.* sumptuosissime exstructum, cum antea tota fere fabrica lignea fuerit: itemque extra vrbem aliud, *Viasdouiæ*, *Vistulam* prospectans, inter hortos amœnissimos. Templa quoque magnifica habet, inter quæ primarium *S. Ioannis Baptistæ*, Canonicorum secularium, picturis & vestibus sacris preciosis, pro regia maiestate exornatum. In Suburbio *Cracouiensi* dicto, versus *Viasdouiam*, est trophæum victoriæ de *Moschis*, capella nimirum, pulchre iussu Regio fabricata, in qua repositus quiescit *Io. Demetrius Suiscius*, Magnus Dux *Moschorum*, & tot populorum *Asiaticorum* Imperator, qui captiuus vitam in carcere *Gostiniæ* finiuerat, vna cum fratribus duobus.

Sunt & in Suburbiis complura procerum palatia, solerti artificum *Italorum* ingenio exstructa, sed quæ inter Regia villa à *Vladislao IV.* nuper exstructa, interiori elegantia eminet. Tum colossus ille, quem Diuo *Sigismundo III.* Patri suo recenter erexit. Habet *Masouia* tota *quinque & quadraginta millia* equestrium familiarium, quarum si quælibet vnum saltem virum, equo armisque decenter munitum præberet, quantus in patriæ defensionem exercitus illico fuisset? Et sunt plurimi, vt cuiusque census est, qui possunt integras etiam turmas armare: præter pedites, quos duplo maiori numero, vrbana rusticaque plebs præbere posset. Sola siquidem *Prasniensis* regio *septem millia* equestrium familiarum perhibetur continere; è quibus nulla tam egens est, quin equitem vnum in publico tumultu armet. Quos inter vetustissima *Romanorum Valeria* familia, coruum pro gentiliciis insignibus gestat, & tam fœcunda sobole est, vt ad *duo millia* familiarum prope accedat. Gens pugnacissima, & quæ à perdita audacia, mortis contemtrix habetur.

Vltima prouinciæ *Masouiticæ* satrapia PODLACHIA, in spiritualibus tota Episcopo Luceoriensi subiecta, *duos* tantum *Senatores* habens, *Palatinum & Castellanum Podlachiæ*. Diuiditurque in *tres* quasi *districtus*, *Drogiczynensem*, *Mielnicensem*, atque *Bielscensem*; quæ etiam tria oppida sunt principaliora, reliqua non item, præter *Halouacze*, *Surasiam*, *Visokie*

& *Kniſnum.* *Ticocinum* quoque oppidum non eſt poſtremo cenſendum, ob elegantiam Palatii, inter paludes loco munito exædificati, architectura recentiore, ſtudio & munificentia illuſtrisſimi viri *Chriſtophori Vieſiolouii*, Magni Ducatus *Lituaniæ* Curiæ Marſchalci, qui etiam quarto inde milliari, *Bialoſtocum* caſtellum pulcherrimum posſidet, vbi templum ad elegantiam modernam cum omni ſacro apparatu exſtructum conſpicitur. Et paulo inde longius, *Supraslum Ruſſorum* in ſyluis ditisſimum monaſterium, in quo *S. Baſilii* profesſi, ſub obedientia Eccleſiæ *Romanæ* habitant: fitque eo maximus hominum concurſus, miraculis indies inclareſcentibus.

SAMOGITIA.

SAtrapiam ea nullam habet, ſed *Præfecturas* permultas: ſummusque eius *Toparcha*, vulgo *Capitaneus* locum in Senatu Regni, cum *Epiſcopo & Caſtellano*, habet cum præter ipſum, nullius vrbis aut regionis *præfecto*, locum habere in *Senatu* liceat, niſi fuerit aliqua alia dignitate maiore ornatus: puta *Cancellarii*, *Marſchalci*, *Palatini*, aut *Caſtellani*. Regio hæc ſatis ampla & fertilis eſt, ſed ſyluis tota inumbrata: à ſeptentrione *Liuoniæ* contermina, marique *Balthico*: ab Occidente *Pruſſiam Ducalem* in vicinia habet: à meridie & ab ortu *Lituaniæ* adiacet. Ciuitates tam Regias, quam nobilium complures habet, ſed penitus omnes ligneas; præter *Counam*, ad *Crononis* ſeu *Nemini* littus ſitam, collegio *Societatis JEſu*, & Monaſteriorum celebritate illuſtris; in qua *Germani* mercatores, ſuperiori ætate lateribus & lapidibus elegantius ædificare cœperunt: nunc reliqui incolæ quoque eodem ſtudio tenentur, illosque ſuperare contendunt. Sed turba in humilibus caſis habitat, quæ vt plurimum ad lacus, riuos, & flumina ſitæ ſunt, ſtramentis aut aſſerculis intectæ: præter prædia domosque nobilium, quæ ampliores ſunt & cultiores. Terram non ferro ſed ligno proſcindunt, quæ tamen non eſt arenoſa, ſed tenax & fertilis ſatis. Equos adeo paruos habent, vt vix credibile ſit ad tantos labores eos poſſe ſufficere, quibus foris in bello ad trahenda onera, domique in colendis agris vtuntur. Epiſcopum habent *Romanæ* obedientiæ, qui, vti diximus, cum ſuo *Caſtellano & Capitaneo* ad *Senatum* Regni pertinet, & Cathedram ſuam atque reſidentiam *Medniciæ* tenet. In vicinia vero eius eſt Præpoſitus infulatus Ordinis *S. Auguſtini*, cruce rubea ſignatorum, quos non ita pridem, quidam è proſapia Ducum *Gedruciorum*, in rure ſuo hæreditario, adſcriptis ampliſſimis poſſeſſionibus fundauit; quod nimirum in ea religione olim auum ſuum paternum, *Beatum Michaëlem* haberet: qui *Cracouiæ* in Conuentu *S. Marci* multis, cum viueret virtutibus claruit, & non ſine ſancti-

ſanctitatis opinione in eodem cœnobio, vbi ſtrenuum religionis pugilem ſe præbuit, è viuis ſublatus quieſcit. Ad cuius tumulum etiamnum quoque varia miracula patrantur, Deo ſanctorum ſuorum gloriam in dies augente. Eſt & Collegium *Societatis JESU* Clericorum, pro ſtudioſa iuuentute à magno illo Heroe *Carolo Chodkievicio*, *Croſis* erectum. Qui cum ardentiſſimus veræ pietatis cultor eſſet, etiam *Cretingæ*, vbi ſepeliri optabat, FF. *S. Franciſci* de Obſeruantia magnificentiſſimum monaſterium, ad littus maris exſtruxit, & diuite ſuppellectili, in vaſis tam argenteis, quam etiam aureis, liberaliſſime dotauit. Sunt & alia plurima religioſorum virorum frequentia inſignia, vti eſt *Caluariæ* conuentus Dominicanorum, *Virzbolouiæ*, *Lincouiæ*, *Gitouianis*, *Roſienſis*, *Vornis*, *Telſiis* atque alibi.

LIVONIA.

VLtimo Regno *Poloniæ* acceſſit *Liuonia* ſeu *Lieflandia*, regio ampliſſima, ſiliginisque & frumenti perdiues, pecoribus ac iumentis domeſticis omnis generis maxime abundans (quæ omnia deinde fluuiis *Duina & Nerua* ad portus maris, atque inde in *Hollandiam*, *Scotiam & Angliam* transmittit) lacubus fluuiisque piſcoſis, & ſyluis ad venationem idoneis referta: in quibus habet vrſos, alces, vulpes, lynces, marturos, caſtores, & omnis generis animalia, quæ ex *Moſcouia* veniunt; Siquidem eam ab oriente contiguam ſibi habet, & *Nerua* tantum fluuio ab illa ſeparatur. A ſeptentrione cum *Sueciæ* regno & *Finlandiæ* Ducatu, per maris *Balthici* ſinum viciniam gerit: ab occidente nonnihil *Pruſſiæ* adhæret. A meridie vero *Samogitiæ & Lituaniæ* iungitur. Extenditurque in longitudinem nonaginta milliaribus Germanicis, in latitudinem vero quinquaginta. Et diuiditur in *octo territoria*, *Leitlandiam* videlicet, *Vikelandiam*, *Curlandiam*, *Semigaliam*, *Eſtlandiam*, *Virlandiam*, *Hariam*, *Geruandiamque*: quæ ſingula nunc bellis per tot annos ſæuientibus cum *Sueco*, atrociſſime vaſtata ſunt, & à diuerſis principibus poſſidentur, hoc eſt à *Moſco*, *Sueco*, *Dano*, & Rege *Poloniæ*, qui præcipuas ibi arces & ciuitates posſidet: habetque in ea *ſeptem Senatores* ad Conſilium regni generale pertinentes, puta *Palatinum*, *Caſtellanum*, *& Epiſcopum Vendenſem*, *Palatinum & Caſtellanum Parnauienſem*, *& Palatinum* atque *Caſtellanum Derpatenſem*, ac præterea vaſallum non contemnendum, Ducem *Curlandiæ & Semigaliæ*. *Riga* totius prouinciæ metropolis, quam fluuius *Duina* amplisſimus, vna cum arce alluit: vrbs ipſa muro firmisſimo, propugnaculisque & turribus denſis vndique munita; item, vallo inexcuſſo, tribus ordinibus tormentorum apto,

apto, fosſisque duabus ex vtraque parte circumducta, & ſtipitibus acutis circumſepta: Inſtrumentisque inſuper bellicis, ac tormentis æneis, & commeatu copioſo, tum militibus ſtipendiariis, pacis & belli tempore bene prouiſa. Magnum in ea eſt & celeberrimum emporium: & quamuis duobus milliaribus diſtet à mari, naues tamen omnigenæ, facillime de mari ſub ipſa vrbis mœnia deueniunt & redeunt. Vbi vero fluuius mari illabitur, & arx *Dunamunda* inexpugnabilis, natura oportunitateque loci, duobus à *Riga* milliaribus. In ea omnes naues ex vltra marinis regionibus venientes, merces ſuas indicare, teloniaque perſoluere coguntur: iterumque excutiuntur in *Blokaus*, munitione ſita medio loco inter *Rigam & Dunamundam.* Hæc igitur tam diues atque potens vrbs, diuerſas hæreſium Sectas in ſe continens, moleſte ferebat valde, quod piiſſimus Rex *Societatis JESU* Clericos illis dediſſet, & Collegium pro inſtituenda iuuentute in vrbe fieri iuſſiſſet. Similiter quoque *Pernauiæ*, *Derpati*, *& Vendæ*. Quare metuentes ſibi, ne cura horum patrum, hæreſis ipſorum exſtirparetur, tempore quo nos cum *Turca* bello grauiſſimo in *Valachia* occupati fuimus, concitatis circumuicinis vrbibus ad rebellionem, *Suecum* ad ſe cum exercitu euocarunt, & vt fautorem ac promotorem ſuæ religionis portis apertis admiſerunt; vnde nobis poſtea bellum cum ipſo difficillimum, non in *Liuonia* modo, verum etiam in *Pruſſia*, ſimili ſcelere hæreticis vrbibus eum ad ſe euocantibus per annos aliquot durauit. Quod poſtea induciis diremptum fuit, & *Riga* ipſa cum aliis nonnullis maritimis locis, in *Sueci* poteſtatem manſit. Sunt etiam plurimæ aliæ in hac prouincia Vrbes & arces optime munitæ, & ex laterculis omnes pene factæ: inter quas cenſetur quoque *Kircholmia*, ad *Duinam* fluuium duobus milliaribus à *Riga* verſus orientem ſita; ad quam felicis olim & piæ memoriæ, Dux exercituum *Lituaniæ*, *Carolus Chodkieuicius*, cum *tribus* ſuorum militum *millibus*, aggreſſus Marte aperto *Carolum Sudermanum* patrem *Guſtaui*, ſic eum acie vicerat, vt *nouem millia* cœſorum eſſent, *quatuor* autem *millia* captiuorum.

Penes eundem *Duinam* ſuperius procedendo, eſt arx *Kokenhauſum*, & paulo longius *Volmaria* ciuitas, & caſtrum; vtraque ſimiliter clade *Suecorum* ingenti nobilitata: ad illam enim *ſeptem millia* vna die transmarinorum militum cœſa fuere: ad iſtam vltra *duodecim millia* occiſa, vix duodecim horis elapſis. Sequitur *Derpatum* inſignis vrbs, & arx in colle munitiſſima, *Moſcouiæ* contermina, cuius præfecturam, quod hoſtis eſſet in vicinia ipſe prædictus *Chodkieuicius* geſſit, qui & totius *Liuoniæ* Gubernator fuit. Quamuis alius fuerit prouinciæ *Derpatenſis Palatinus*, ſubditorum defenſioni à Rege inſtitutus:

tutus: ſicut & *Vendæ* atque *Parnauiæ*. Et *Venda* ſane vrbs inſignis eſt, & arcem firmiſſimam habet; vbi Rex *Stephanus*, *Liuonia* a *Moſco* recuperata, *Epiſcopum Catholicum* inſtituerat, quod tota prouincia varias hæreſes amplexa, nullum *ſacerdotem Catholicum* haberet. Erat ibi & Collegium *Societatis JEſu*, ſed pulſi ab hoſte in *Lituaniam* redierunt omnes; Epiſcopus autem in *Minori Polonia* Abbatiam Ciſtercienſium præpinguem Sulouienſem, ſuſtentandi ſui honoris cauſa, a Rege obtinuit. *Parnauia* demum vrbs eſt egregia ad mare poſita, quæ & arcem inſignem atque bene munitam habet, ac propterea *Palatinum* gubernandæ regionis habet; quam ſimiliter *Chodkieuicius* vi recuperauerat a *Sueco*, cæſo in ea firmiſſimo præſidio. Sed eam iterum nunc *Sueci* habent. Reliquæ populationes & vrbes poſſidentur a diuerſis Principibus: vt *Nerua* cum portu maris & duabus arcibus firmiſſimis a *Moſcho*; Vrbs *Reualia* cum portu a *Sueco*: inſula *Oſilia a Dano*; reliquum quod *Lituaniæ* conterminum eſt, a Rege *Poloniæ*.

Et hæc de prouinciis coronæ *Poloniæ* ſubiectis, deque ſitu & natura earum: nunc breuiter videamus & examinemus *Polonorum* ingenia, opes, vires, leges, atque alia quibus regnum ſuum firmant, & tantopere libertatem ſuam tuentur.

INGENIA
POLONORVM.

INgenia *Polonorum* ſunt aperta & candida, vtque *Iohannes Boterus*, in ſuis *Relationibus* inquit, falli, quam fallere magis apta, minimeque proterua aut pertinacia, ſed tractabilia & placida: vnde inprimis exemplis commouentur. Sunt autem *principibus & magiſtratibus* ſuis ſatis morigeri æque omnium prouinciarum populi, & ad comitatem, ciuilitatem, benignitatem, & hoſpitalitatem prompti, ita, vt ignotos & externos non modo libenter ſuſcipiant hoſpitio, ſed etiam inuitent, & omni officio proſequantur: Et non ſolum ad conuictum atque familiaritatem quorumlibet faciles, verum etiam ad mores & imitationem eorum, cum quibus viuunt, externorum præſertim, flexibiles. Teneram, ætatulam litteris addiſcendis impendunt, vt *vernacula & Latina* lingua legere & ſcribere ſciant: vnde ne in medio quidem *Latio* tam multos reperias, cum quibus latine loqui poſſis, & vbi tam in *Cancellaria* Principis, quam in curiis *Parlamentorum*, inferiorumque omnium iudicum ſubſelliis cauſas deciſas, & munimenta lingua Latina deſcripta videas. Adultiores, ſi plebeii ſunt, agrorum cultiuationi, opifico, aut mercaturæ ſeſe addicunt: nobiles vero, militiæ, ſacerdotio, & miniſteriis opulentiorum. Vtrique autem libenter

benter peregrinantur, & earum gentium linguas ad quas perueniunt, cupide & facile discunt. Sunt enim docilia hominum ingenia, & valent quocunque intenduntur: sed tamen alienis inuentis perdiscendis ea magis accommodant, quam vt noui aliquid ipsi excogitent, & excellere magnopere vlla re studeant. Nihilominus non defuere nobis insignes *Mathematici, Astrologi, Dialectici, Oratores, Poetæ, & Philosophi*; tum *Medici, Iurisconsulti* atque *Theologi*, qui & Rempublicam & Ecclesiam, ingenio suo atque scriptis illustrarunt. Ac supersunt etiamnum clara patriæ suæ lumina, quorum monumenta quanquam nondum in lucem prodierunt, laude tamen quam merentur non carebunt.

In opificiis attamen nostrates minus elaborant, sed externis plerisque opificibus antiquitus vsi sunt, & vtuntur etiam nunc non paucis.

Rem porro familiarem diligentius curare, non ita pridem occœpimus, idque ab extraneis, passim quæstus causa ad nos concurrentibus, concitati: vnde velut inuidia quadam, parandis diuitiis & auaritiæ totos iam nos ita dedimus, vt quod olim *Senatoris* filiæ *centum* marcarum dos fuerat, nunc simplicis alicuius nobilis filiæ (quinimo & mercatoris iam) *centum millium* florenorum dos esse solet.

Et non modo præstantiores genere, exoticis pannis & pellibus vtuntur, verum etiam inferiores & plebeii serico, purpura, & auro vestiuntur: passimque iam equos argento exornari, in vasis argenteis comedere, argento altaria etiam in villis & pagis onerare, argentoque, auro, margaritis & gemmis vestiri mos inoleuit: nec restat aliud nisi vt aurum & argentum comedamus; Cum maiores nostri satis haberent, si ex agris & prædiis suis honeste cum familia viuerent, non luxum externorum aut splendorem consectarentur: Vnde litium nunc origo & ciuium assiduæ discordiæ. Nec rei militaris tanta cura, quanta superioribus seculis exstitit, cum quisque priuatum commodum sectetur, & cupiditate ductus lucrum non gloriam aut famam bonam quærat. Exstitere tamen semper, & etiam nostra hac ætate, multi virtute bellica præstantes viri (de quibus sigillatim, prout & de viris eruditis, scripsimus) vt *Moschouiticis, Libuonicis, Tartaricis, Turcicisque* expeditionibus, atque hoc vltimo bello *Prussico*, videre licuit. Nec emarcuit vulgo in *Polonis* vigor ille animorum, laudisque bellicæ studium, si modo virtuti sua præmia non deessent.

VICTVS ET VESTITVS.

Victus genti nostræ dapſilior fere omnibus aliis Europæis, atque ita in menſis ditiorum exquiſitus, vt potiſſimam prouentuum ſuorum partem Magnates, in aromæta & vina inſumant. Antiquitus ſiliginei panis, & cereuiſiæ ex hordeo aut tritico factæ, promiſcuus erat omnibus vſus, & quaſi quotidianus: nunc iam non elegantiores tantum, ſed vulgus etiam ipſum, pane triticeo, atque vino in conuiuiis vtitur; præſertim in vrbibus maioribus, & qui viciniores ſunt *Hungariæ.* Et plebs quidem vicana, ſuccidia, veruecina, bubula, vitulina, lardo, lactariis, piſciculis, oleribusque potiſſimum menſam inſtruere ſolent, quarum rerum fora in pagis quoque, apud templa & parœcias feſtis diebus inſtituuntur. At vrbanis & nobilitati multo delicatior victus, menſæque eorum cum altilibus omnigenis, tum feris animalibus, auibusque & piſcibus lautis vsque ad luxum interdum onerantur: aromatumque diuerſorum, ſaccari, vini, confectionum, & aliorum exoticorum condimentorum, aut bellariorum maximus quotidie vſus. *Ruſſis* tamen & *Lituanis*, apud quos permagna eſt apum & mellis copia, mulſum itidem, prout & cereuiſia, cum lupulo aqua decoctum, infrequenti vſu eſt, *medonem* vulgo vocant.

Veſtium vero genus, neque vnum eſt, neque certum, aut ſuum cuique ordini, conditioni, ætati & generi hominum: ſed pro vt cuique diuiti, aut pauperi placet. Exoticis tamen delectantur vt plurimum nobiles; milites autem potiſſimum inuentores habituum fiunt. Sic quum bellum nobis cum *Moſcho* fuiſſet, illorum more latas oblongasque togas, pellibus pretioſis, mardurinis, Pantherinis aut zobellinis ſuffultas, prægrandesque pileos geſtauimus. Poſtea vero quam cum *Turcis* in *Valachia* rem geſſimus, equorum ornatus, ſagos militares, nonnullasque oblongas, curtas, & aſtrictas veſtes ab illis, atque eorum ſociis *Tartaris* deſumpſimus. Mox bello in *Pruſſiam* contra *Suecum* translato, laxiores caligas, coriaceas oblongas ocreas, pallia, atque alia veſtium genera, *Germanico* habitui ſimilia, nobis fecimus. Atque ſic ſpatio decennii vnius, ter aut quater habitum veſtium noſtrarum correximus, aut verius corrupimus permutando: cum ſtatim licentia militarem ſequuntur qui domi manſere, iuniores præſertim, ne dignoſcantur, aut certe vilipendantur ab illis, qui alicui expeditioni interfuerunt. Idem ſane faciunt & fœminæ, atque omnes Europæarum matronarum habitus ſibi vſurpant, & ad ſuum patrium accommodant, prout cuique, tam diuiti, quam pauperi, libet.

Com-

Communiſſime tamen omnes pannis extraneis, puta *Germanicis*, *Flandricis*, *Gallicis*, *Anglicis*, *Hiſpanicis*, atque *Italicis* vtimur: maxima autem pars ſericis diuerſorum colorum, & panno aureo. Nec obſtat pretium, quod e longinquo iſta veniant, cum reperiantur nonnulli, qui interdum *ſexaginta* veſtibus quam precioſiſſimis pro ſua perſona comparatis, etiam famulos ſuos ſimilibus induant, & potiſſimam partem bonorum ſuorum in id ipſum impendant, vt ſplendide cum ſuo comitatu veſtiantur, tam fœminæ, quam viri. Ad exornandos ſiquidem gladios ſuos, pileos atque equos, non minus precioſis gemmis vtuntur & auro, quam & filiæ aut vxores ipſorum; quæ clenodiis, torquibus, monilibus, annulis, alioque mundo muliebri nimium delectantur. Et vidimus nonnullas ſæpius, nec valde diuites tamen, totam ſuam veſtem gemmis & lapidibus pretioſis, vsque ad talos exornauiſſe; lex tamen ſumptuaria, neſcio quo peſſimo fato noſtro, in comitiis Reipublicæ non præſcribitur cum paſſim videamus, nimio iſto luxu maximas quasuis familias, ad ſummam deinde egeſtatem peruenire, cum ingenti opprobrio & dehoneſtamento maiorum ſuorum. Et non in veſtibus modo hunc nimium luxum, & prodigalitatem quodammodo habemus, ſed in ædibus quoque & fabricis ligneis, quæ nihil ſunt, niſi rogus apte compoſitus ad comburendum: in ſupellectili varia, in conuiuiis & commeſſationibus; paſſimque iam laquearia nunc, & in priuatis domibus auro teguntur: parietesque ædium non proceres modo, aut principes viri, ſed mercatores iam & vrbica plebs, pretioſiſſimis aulæis ac tapetibus veſtiunt: Nec in vrbibus modo, ſed etiam in villis lautius habitare ſtudent, *Italorum* fere opificum opera & induſtria. Jam autem iter facientes, fæminæ quidem carpentis, thedis, ciſiis, aut curribus iunctis *ſex* equis vehuntur: mares vero vel iisdem, vel equis potius. Pedeſtrem incedere per viam, longiorem præſertim, minus honorificum vulgo habetur. Prodeuntem in publicum nobilem virum iuxta ac fœminam aſſeclis maribus, fœminam vero etiam puellis pediſſequis ſtipari moris eſt. Et in eum vſum alit quisque domi ſuæ famulitium pro modo facultatum, quos ſimili colore veſtium, non ſine ſumptu & luxu veſtiri vſitatum eſt. Plebeiis minor eſt hac in parte cura faſtus, atque pompoſæ ambitionis, exceptis vrbanis fœminis, quæ & ipſæ bene cultæ, & vna aut altera pediſſequa comitatæ incedere ſtudent.

NOBILI-

NOBILITATIS
PRÆROGATIVA.

POpulus *Polonus* in equeſtrem ordinem ſiue nobilitatem, atque plebem diſtinguitur primo; deinde in Eccleſiaſticum & ſecularem ſtatum. Nobilitas ad regimen atque defenſionem patriæ ſegregata, plebs ad agriculturam, mercaturam, & opificia: ex vtrisque autem ad colendum DEum ſacerdotes fiunt. Nobiles antiquitus vocabantur milites, nunc communiſſime dicuntur Equites, ab equeſtri militia, cui ſunt obnoxii. Habentque multas & magnas prærogatiuas, quæ partim *Regum* & principum munificentia firmatæ ſunt, partim moribus & inſtitutis inualuere. Cenſenturque ii tantum nobiles eſſe, quorum maiores virtutis ergo in eum ordinem allecti, gentilitio ſigno donati ſunt: aut qui nunc ipſi hoc meruere virtute ſua, & publico Ordinum Regni conſenſu, militiæ à principe ſunt adſcripti. Præſtabilius tamen habetur, nobilem natum eſſe, quam factum. Naſci autem patre ſimul & matre nobilibus oportet, legitimo coniunctis matrimonio; quia nothi nobilibus quamuis & illuſtribus orti, non cenſentur in familiis, neque nobilitatis prærogatiuis fruuntur. Porro amittitur nobilitas his duobus modis, Principis decreto nimirum, ob admiſſum dedecus, & atrox aliquod facinus, & ſordidi quæſtus cupiditate; ſi quis videlicet deſertis militiæ & agriculturæ ſtudiis, mercaturam amplectatur, aut cauponationem artemue aliquam mechanicam exerceat. Eſt autem pari dignatione omnis Polonica nobilitas: nec vllum patritiorum, Comitumque, aut Ducum diſcrimen; omnes iure æquali & libertate gaudent: omnes vna ſimul *Regem* ſibi eligunt, leges in Comitiis per ſuos *Tribunos* ſanciunt, bella vicinis indicunt, fœdera cum illis ſtatuunt, tributa imponunt, cudendæ pecuniæ modum præſcribunt, & omnem penitus Reipub. adminiſtrationem in manibus ipſi habent. *Rex* tantum cum *Senatu* iudiciis & deliberationibus præſidet, & quæ illi concluſerint moderatur, & ſua authoritate pondus addit, nomenque tabulis & titulum Regium præſcribit. Item, honores & beneficia diſtribuit, magiſtratus creat, & bonos præmiis pro libitu, malos vero pœnis, nonniſi cum ſcitu omnium Ordinum regni afficit; ne forte, ſi ipſe vitæ & necis iura teneret, ad tyrannidem prolaberetur. Vnde neminem è nobilitate captiuare poteſt, etiam in crimine perduellionis, niſi iure conuictum: nec captum capite plecti, niſi ſententiis *Senatorum* rogatis; qui itidem ſunt ex nobilitate delecti, & paribus prærogatiuis cum illis viuunt. Quare multos ex humili loco ac tenui

nui fortuna videbis, non modo ad mediocres, verum etiam ad ſummos nonnunquam honores, ampliſſimasque facultates & opes, *Regum* beneficentia, ob virtutem prouectos, paucos autem ob ſcelerum atrocitatem ab illis punitos: quod à nobilitate maxima ſemper honeſtatis ratio habeatur, etſi in ſumma paupertate. Fraudem facere, promiſſum fallere, peierare, mentiri, probroſum & infame eſt: & ſi quid eiuscemodi in probri loco cuiquam obiiciatur, præſertim ab eiusdem ordinis viro, non tam legibus & magiſtratuum iudicio, quam ferro manuque vindicatur. Cum autem *Rex* cauſas & actiones nobilium, per appellationes ad iudicium ſuum deuolutas, expedire ob occupationes, quæ illi ſemper maximæ, non vsquequaque potuiſſet, conſultum illi eſſe volentes iuſtitiæ & rebus ſuis, eam iudiciorum formam, non ita pridem adinuenerunt, quæ alibi *Parlamentorum* eſt, apud nos *Tribunal* appellatur: quo ſingulis annis, ex ſingulis prouinciis, omnium conſenſu viri è nobilitate præcipua eliguntur, & ad loca iam perpetuo deſtinata mittuntur, vt cauſarum differentias ſecundum leges & ſtatuta decidant. Quod cum ſit vltimæ inſtantiæ, prouocatio ab eo non datur, niſi ex paritate ſententiarum cauſa aliqua remittatur ad Comitia: *Regi & Senatui* diſcutienda atque determinanda: Cum extra Comitia, *Rex* fiſci tantum cauſas cognoſcere poteſt, aut differentias inter tenutarios in bonis ſuis regalibus: tum quoque ciuitatum, oppidorumque Regni controuerſias, quæ iure *Saxonico* vtuntur. Quod ſi *Rex* quandoque ab officio ſuo deflecteret, & vel in iudiciis, vel in aliis rebus ac modis, publicas libertates ſuorum opprimere aſpiraret, authoritate *Senatoria*, qui ad hoc attentandum iuramento ſunt obligati, & per vices in Regia manere tenentur, facile prohibetur: ſæpiusque illi acerrime ſententias dicunt, cum de Repub. deliberant, & *Regem* imprudentius regnantem obiurgant, atque ſic vno conſenſu ſanctiſſima maiorum inſtituta & communis patriæ chariſſimas leges, ad extremum vitæ defendunt.

LEGES ET STATUTA.

Leges olim Poloni ſcriptas nullas habuere, ſed ab origine imperii, vsque ad *Cazimiri Magni* tempora, ius omne in Principis arbitrio erat. Licetque ante eius tempora, & Chriſtiani iam per longam ætatem fuiſſent, & literarum ſcientias optime callerent, vt paſſim in *Senatu & magiſtratibus* tam ſecularibus quam ſpiritualibus reperiuntur, Doctores legum & artium magiſtri, prout in veteribus monumentis cuique

videre licet: Nusquam tamen lex aliqua aut ſtatutum Principis ſcripto promulgabatur, ſed moribus tantum & conſuetudinibus antiquis regnum adminiſtrabatur: lites vero & cauſæ priuatorum, arbitrio bonorum virorum determinabantur, qui Principis iuſſu, prouinciarum iudices erant. *Cazimirus* itaque *Tertius*, ob prudentem regni adminiſtrationem, *Magnus* cognominatus, primus ipſe & nobilibus leges certas ſcriptas dedit: & vrbicæ plebi, iura à vicinis *Saxonibus* accipere ex facili permiſit, quod aſſiduis ſupplicationibus *Germanorum*, qui paſſim tum in *Poloniam* habitatum lucri cauſa veniebant ſollicitaretur, vt ſimilem patriæ ſuæ vrbium adminiſtrationem haberent, & inter *Sarmatas* iurium ignaros, *Conſulum & Aduocatorum* honore, aduenæ eminerent. Atque hinc mos inualuit, vt omnes *Poloniæ* ciuitates, in hodiernum iure *Saxonico* (quod vulgo *Magdeburgenſe* vocatur, quia ex illa metropoli tum *Saxoniæ* vrbe fuit allatum) tum *plebiſcitis* quælibet propriis, & *Conſtitutionibus Regiis* vtantur. Nobiles autem, tam ad regimen politicum, quam ad priuatorum cauſas determinandas, *ius peculiare* ſuum habent: partim à *Regibus* ſuperioribus, qui poſt *Cazimirum Magnum* vsque ad ætatem *Sigiſmundi Auguſti* incluſiue regnarunt, vigore legis traditum; quod volumine ſingulari à viris doctis complexum, *Statutum Regni* vocatur: partim quod recentioribus & noſtris iam temporibus, ipſimet ſibi in Comitiis publicis, approbantibus tamen *Regibus* cum *Senatu*, conſcripſerunt, & vocantur *Conſtitutiones*. Quæ pro rei & temporis exigentia, ſæpius immutantur, abrogantur, aut reaſſumuntur, omnes ex æquo prouincias regni obligando, licet nonnullæ iura ſua pragmatica habeant; præſertim *Lituania & Volhynia*, quæ in deciſionibus cauſarum propria ſtatuta ſua obſeruant: tum *Pruſſia* quoque, *Ducalis* iuxta ac *Regia*, quæ omnis ferme *iure municipali* vtitur, quod vulgo *Culmenſe* vocatur; tribus ciuitatibus exceptis, *Elbinga*, *Brunsberga & Fraumburgo*, quæ *ius Lubecenſe* amplexæ ſunt.

REGIMEN
POLITICUM.

POloniæ regimen eſt compoſitum de *tribus* primis & ſimplicibus Rerumpub. formis, quæ vel *unius*, vel *paucorum* imperio, vel *multorum* omniumve quadam æquabilitate iuris continetur. Habemus ſiquidem *Regem*, non ſucceſſione, ſed electione creatum, qui eſt abſolutus executor legum in Comitiis factarum. Habemus *Senatum*, è præcipua nobi-

nobilitate selectum & ad custodiam earundem legum deputatum. Habemus *Municipales Nuncios* liberis vniuscuiusque prouinciæ suffragiis electos, & ad statuendas in Comitiis leges, velut *Tribunos* aliquos designatos, qui & *Regis* potentiam, & *Senatus* nimiam authoritatem restringunt.

Et sic vnanimi omnium studio, certis sane iisque angustis finibus, regia potestas, in sacrum & equestrem ordinem, & vtrique subiectos homines, atque bona, circumscripta est. Ac in sacerdotes quidem, iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ, *Rex* nihil prorsus iuris habet. De equitis vero capite & fama, non nisi in comitiis cum *Senatu* iudicat: certis aliquot causis exceptis. *Senatu* vero & *Tribunib.* inconsultis, neque bellum cuiquam facit, vti supra diximus, neque fœdus publice cum quoquam icit, neque tributa, vectigalia ac telonia noua instituit, neque leges nouas scribit, aut monetam signat, neque alienat quicquam de bonis regni, neque transcribit quemquam in ordinem equestrem, neque rem vllam maiorem ad Rempub. pertinentem statuit aut facit. Bene autem ipse *Episcopos & Abbates* nominat, *Palatinos*, & *Castellanos*, *Marschalcos*, *Cancellarios*, *Thesaurarios*, *Ducesque* militiæ creat, reditus coronæ dispensat, & præfecturas distribuit, Comitia indicit, magistratusque omnes & iudices eligit. Denique vniuersos Reipub. honores, solus prout illi placet & lubet confert: habetque in manu omnes modos remunerandi, beneficioque afficiendi quoscunque voluerit.

Porro *Senatores* qui *Regi* adhibiti sunt, vt & consiliæ actionesque eius ad salutem Reipubl. & iudicia ad iustitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, numerantur ex omnibus prouinciis collecti, tam spirituales, quam seculares, *centum quinquaginta*. Namque *tres* nouiter addidit *Vladislaus IV.* puta *Episcopum Smolenscensem*, *Palatinum & Castell. Czernech.* suntque ordinis *quadruplicis*, *Episcopi*, *Palatini*, *Castellani*, & *Officiales maiores*, qui omnes iurati ad hoc *Collegium* & ad *Consilium* admittuntur. Et perpetuum est hoc munus quoad viuit quisque, certis annexum honoribus & *magistratibus*, partim *Ecclesiasticis*, partim *profanis*, abrogari vero nemini potest, nisi per maximam vel mediam capitis diminutionem, hoc est libertatis ciuitatisue siue nobilitatis & bonæ famæ amissionem: aut siquis alium magistratum honoremue adeptus sit maiorem, quem cum priori tenere iure non possit. Sunt autem *Archiepiscopi duo Gnesnensis & Leopoliensis. Episcopi quindecim: Cracouiensis, Cuiauiensis, Vilnensis, Posnaniensis, Plocensis, Varmiensis, Præmisliensis, Samogitiæ, Culmensis, Chelmensis, Kiouiensis, Luceoriensis, Camenecensis, Vendensis* atq; *Smolenscensis* nouiter fundatus. Qui omnes, quo ordine nunc à nobis enumerati sunt, eum perpetuo seruant in *Senatu*, dicen-

daque ſententia, & in publicis celebritatibus. *Palatini triginta quatuor: Cracouienſis, Poſnanienſis, Vilnenſis, Sendomirienſis, Caliſſienſis, Trocenſis, Siradienſis, Lancicienſis, Breſtenſis, Kiouienſis, Inoulodiſlauienſis, Ruſſiæ Volhyniæ, Podoliæ, Smolenſcenſis, Lublinenſis, Polocenſis, Belzenſis: Nouogrodenſis, Plocenſis Vitebſcenſis, Maſſouiæ, Podlachiæ, Rauenſis, Breſcienſis, Culmenſis, Mſcislauienſis, Marieburgenſis, Braslauienſis, Pomeraniæ, Miſcenſis, Vendenſis, Derpatenſis, Parnauienſis, Czerniechouienſis,* nouiter a *Vladislao IV.* inſtitutus, *Capitaneus Samogitiæ,* qui ſolus ex omnibus omnium prouinciarum & diſtrictuum præfectis, *Senatum* ingreditur. *Caſtellani,* tam *maiores,* quam *minores,* numero *octuaginta ſeptem: Cracouienſis* (qui omnes Palatinos antecedit, primumque locum poſt Epiſcopos, inter ſeculates Conſiliarios capit) *Vilnenſis, Trocenſis, Poſnanienſis, Sendomirienſis, Caliſſienſis, Voinicenſis, Gnesnenſis, Stradienſis, Lencicienſis, Samogitiæ, Breſtenſis, Kiouienſis, Inouladislauienſis, Leopolienſis, Volhyniæ, Camenecenſis, Smolenſcenſis, Lublinenſis, Polocenſis, Belzenſis, Nouogrodenſis, Plocenſis, Vitebſcenſis, Cernenſis, Podlachiæ, Rauenſis, Breſcienſis, Culmenſis, Mſcislauienſis, Elbingenſis, Braslauienſis, Gedanenſis, Minſcenſis, atque Czerniechouienſis.* Et hi dicuntur *maiores,* quia cum cæteris *Senatoribus,* tam *Eccleſiaſticis* quam *ſecularibus,* ad omnia etiam ſecretiſſima conſilia admittuntur. *Minores* vero non item, & ſunt iſti: *Sandecenſis, Medirecenſis, Viſlicenſis, Biecenſis, Rogosnenſis, Radomienſis, Zauichoſtenſis, Lend nſis, Stremenſis, Zarnouienſis, Malogoſtenſis, Vielunenſis, Præmislienſis, Halicienſis, Sanocenſis, Chelmenſis, Dobrinenſis, Polanecenſis, Præmetenſis, Criuinenſis, Czechouienſis, Naclenſis, Roſpirienſis, Biechouienſis, Bidgoſtienſis, Bræſnienſis, Cruſuicenſis, Oſuecimenſis, Camenenſis, Spicimirienſis, Inoulodenſis, Coualienſis, Santocenſis, Sochaczouienſis, Varſouienſis, Goſtinenſis, Visnenſis, Racioſenſis, Sieprcenſis, Viſogrodenſis, Ripinenſis, Zacrocimenſis, Ciechanouienſis, Liuenſis, Slonſcenſis, Lubaczouienſis, Conarienſis, terræ Siradienſis, Vendenſis, Derpatenſis, Couarienſis, & Pernauienſis, terræ Lencicienſis, Couarienſis, terræ Cuiauienſis.* Hos ſequuntur deinde *Officiales* Regni *Maiores decem: Marſchalcus* Regni Poloniæ *ſupremus,* & *Marſchalcus* Regni *Curiæ; Marſchalcus* Magni Ducatus *Lithuaniæ Supremus,* & *Marſchalcus Curiæ* Magni Ducat. *Lituaniæ Cancellarius* Regni Poloniæ, & *Vice Cancellarius: Cancellarius* Magni Duc. *Lit. & Vice-Cancellarius. Theſaurarius* denique Regni *Poloniæ, & Theſaurarius* Magni Ducatus *Lituaniæ.*

Palatini dicuntur, veterum Romanorum more, *Duces ſatrapiarum;* vnde munus quoque eorum apud nos idem eſt, eſſe ductores copiarum diſtrictuum ſuorum, in expeditionibus bellicis. *Caſtellani* vero a *Caſtellis,* ſiue oppidis, quæ ſinguli ſingula habent attributa, ſic appellantur: &

ſunt

sunt quasi *legati* Palatinorum, Ductoresque & *præsides* nobilitatis sub suo quisque Palatino: sunt autem in *Palatinatu* vno aliquando plures *Castellani*.

Officiales demum regni, ab *officiis* & functionibus quibusdam publicis, quibus funguntur, ad vniuersam Rempubl. pertinentibus, hanc sumunt communem appellationem. Sed sunt & alii *officiales* extra ordinem *Senatorium* positi, trifariamque diuisi: alii qui totius *Regni*, aut Magni Ducatus *Lituaniæ officiales* dicuntur, vt Exercituum *Generales*, *Reuerendarit*, *Pocillatores*, *Dapiferi*, *Vexilliferi* cæterique similes: alii *aulæ Regiæ officiales*, vt *Camerarius supremus*, *Præfecti* & *Vicepræfecti Stabuli*, *Culinæ*, *Curuum*, *Venatores*, *Secretarii*: & alii denique *districtuum*, seu prouinciarum *Officiales*, vt *vrbium præfecti*, *Judices*, *Gladiferi*, *Quæstores*, *Tribuni*, aliique plures quos *terrestres Officiales* nuncupamus, qui certas suas functiones habent, in sua quisque satrapia seu tractu, vel vt vulgo loquuntur, terra: quarum quælibet olim, discerpto in multos dominatus regno, suum Ducem habuit.

Omnes autem isti tales, solius *Regis* arbitrio creantur, & e sola nobilitate, qui deinde ad *Senatorias* dignitates assumuntur: quorum etiam opera *Rex*, prout illi visum fuerit, vtitur in legationibus, in commissionibus, in finibus regundis, in contributionum publicarum exactionibus, in militia, & id genus muniis publicis.

Atque ita potentissimus quamuis Rex *Poloniæ* sit, & supremus omnium coronæ subiectarum prouinciarum Dominus, tamen secundum legem & *Senatus* præscripta viuere tenetur: Regnumque ipsum amplissimum, licet regio imperio gubernatur, nobilium nihilominus vigilantia & libertate, tam *regia* maiestas, quam *Senatus* authoritas quodammodo temperatur, intraque æquitatis terminos omnes ordines regni, cum ipso Rege continentur. Et cum omnibus eadem sit perpetua & constans tuendæ publicæ libertatis, & propagandi imperii voluntas, nihilominus regiam maiestatem sic cuncti reuerentur, amant & honorant, vt in iussu illius nihil penitus in Republ. faciant, pro eius autem incolumitate & gloria, vitam ac possessiones priuatas omnes effundere sint parati.

VASALLI.

TRes præcipui *vasalli* sunt Regni *Poloniæ*: Dux *Prussiæ*, Dux *Curlandiæ*, & Princeps *Valachiæ*. *Duo* illi hæretici sunt, *tertius* iste Scismaticus. Qui omnes etiamsi Regem, tanquam regni feudatarii superiorem agnoscant, & honoraria, pensionesque debitas, in signum subie-

ctionis, statis temporibus præsentent; non sunt tamen viua membra regni, vt cæteri incolæ *Poloniæ* non veniunt ad *Comitia* Regni, vt Principis *Consiliarii*: non habent *suffragia* in electione Regis: nec partem in *gubernatione* regni: nec pro dominis naturalibus habentur, sed pro extraneis, sicut vere sunt, quia deficiente in illis prole mascula (*Valachia* excepta) principatus illi ad Coronam directe, tanquam membra ad suum corpus adiungentur, (vti nuperrime adiuncta est illa pars Pomeraniæ, ratione cuius Duces *Stetinenses* Homagium Regibus *Poloniæ* præstabant.) Vnde subditi ipsorum, nunc etiam in causis grauioribus, ad Regem tanquam ad supremum Dominum & iudicem recurrunt, nec possunt tyrannide opprimi a suis Principibus. Non item iam *Moldauiæ* seu *Valachiæ* populi, quia Princeps ipsorum *Turcam* potius supremum Dominum recognoscunt, non, vt ante, *Polonum*; cuius modo maiestatem tantum venerantur, & velut potenti vicino, statis temporibus honoraria mittunt. Olim tributum directe persoluebant, & a *Rege* inuestiti iurabant in verba eius: nunc a *Turca* absolute Principatus insignia, & corporis custodiam habent. Quamuis fœdere æquo inter *Polonos & Turcas*, etiam ante bellum *Chotimense* in pacem mutuam sancito, disertis verbis caueretur, ne prouinciam illam cuiquam *Turcarum* Imperator vnquam, præter *Poloniæ* Regis voluntatem committeret; vtque is, qui eam obtineret, Regi quoque *Poloniæ fidelis esset.*

RELIGIO.

CHristianam religionem *Polona* gens, abiecto semel impio dæmonum cultu, *septingentis* circiter iam annis constanter retinet, religioseque colit, hæreticarum nouationum insolens & impatiens, auorum nostrorum ætate, quando *Hussus & Viclefus* virus suum in *Boemia* diffundebant. Sed postquam *Putherus*, cum aliis suæ farinæ hominibus, patrum nostrum memoria, per totam *Germaniam* zizania disseminauisset, quæ nobis vicina est, & commercia fere quotidiana nobiscum habet; prætextu seu verius abusu libertatis, nescio quæ non pestes *Poloniam* inuaserant, infecerantque mentes hominum nostrorum, vt per annos complures diuersi diuersa de religione sentirent, & quisque se iudicem & interpretem scripturarum putaret. Sed nunc iterum DEO bono fauente, in toto Regno *Poloniæ* religio Catholica præcipua est: nec in *Senatum* admitti, aut ad minora subsellia vocari quisquam potest, nisi Romanæ professionis. Et maiores nostri, tantæ pietatis statim a recepta fide fuerunt, vt Ecclesiarum

Antiſtites in *Senatu* locum, eumque primum habere voluerint, vt omnibus conſiliis adhibiti præſentes, diligenter pro ſuo munere animaduerterent, ne quid in legibus, aut moribus populi contra Eccleſiæ ſancita peccaretur. Eandemque ob cauſam etiamnum *Tribunaliciis* iudiciis ſeu *parlamentis*, minoris Ordinis myſtas, e ſingulis Cathedralium Capitulorum Collegiis, piiſſimi Reges intereſſe iuſſerunt, ſanctioribusque curis Regni & ſcripturis, priſco more, vel maxime tum, cum pertinaciſſimi hæretici, Antiſtites e *Senatu* eiicere conarentur, cum maxima poteſtate præfecerunt, ita, vt & *Cancellarii & Pro-Cancellarii* munus, alternatis vicibus penes *Epiſcopos* maneret. *Maiorque Secretarius* Regni ſemper ex *Eccleſiaſticis* eſſet; fruſtra reclamantibus aduerſariis fidei, qui ſub extremam ætatem *Sigismundi Auguſti* Regis ſapientiſſimi, & potiſſimum interregnorum tempore, nimium inualuerant: Cæterum diligenti vigilantia ſanctiſſimorum Præſulum, ſapientiumque Regum ſtudio (maxime vero pietate Diui *Sigismundi III.*) vix non omnes iam eradicati fuerunt. Verum *Græcanici* ritus homines, in *Ruſſia & Lituania*, paſſim legibus antiquis tolerantur, ſicut & *Armeni*: partim Pontifici Romano per obedientiam ſubiecti, partim non; qui Epiſcopos ſuos, & complures Abbates habent: & ritibus atque inſtitutis Eccleſiaſticis magis, quam dogmatibus religionis a nobis diſſentiunt. Sunt quoque & *Hebræi* paſſim in toto regno, & *Scythæ Mahometani* in *Lituania & Volhynia*, qui ſuos quoque ritus & ſuperſtitiones habent; ſed qui neminem a fide Catholica auocant, aut malo ſuo exemplo inficiunt, vt aſſolent Hæretici. Fides igitur Catholica in toto Regno præcipua habetur, magnusque vt par eſt, omnibus ſacerdotibus honor habetur, ſolo ſacerdotii nomine: & omnes Romanum Pontificem, vt ſummæ ſedis Epiſcopum, vt omnium Epiſcoporum patrem, vt vniuerſalis Eccleſiæ caput, vt Apoſtolicum reuerenter agnoſcunt.

OPES.

NEque magnæ, neque contemnendæ ſunt opes *Polonorum*, ſed tales, vt omnes bellorum expeditiones hactenus ſuismet reditibus peregerint, ſumptusque quosuis maximos in coronationes, nuptias, aut ſepulturas Regum ſuorum, ære proprio exſoluerint, nullius vicini populi auxilio egentes. Et quamuis nonnulli Reges noſtri ob nimiam prodigalitatem ſuam, fœderatorum aut cognatorum Principum pecuniis, ad priuatas ſuas neceſſitates aliquando vſi fuerint: nusquam tamen, vel in maximis neceſſitatibus, Reſpublica extraneorum emendicabat opem, aut

muta-

mutuabatur aurum, etiam tum, cum nondum ipſa pecuniam ſignaret. Olim enim proprium non habebant nummum *Poloni*, ſed externis, & maxime *Boëmicis* vſi ſunt aliquam diu, quod metalla minus nota eſſent nobis. Primus *Cazimirus Magnus* æs & argentum ſignari iuſſit, poſtea tandem ſero *Alexander* Rex, *Sigismundusque Senior* aureos nummos cuderent: quorum imitatione Rex Sereniſſimus modo & argentum, ad exemplum *Germanorum*, & aurum bonitate & pondere *Vngaricorum* ſignari iubet. Sed vtriusque pretium ſextuplo fere creuit, quam fuit auorum noſtrorum memoria, vt ſignari cœperat: partim propter luxum & crebriorem auri vſum, exportationemque ad exteros: partim propter deteriorem reliquam monetam, cum ponderis diminutione, tum æris admixtione. Permagnus eſt autem nunc apud nos vſus externæ monetæ, ſed aureæ atque argenteæ tantum, quæ pro mercibus vndelibet importatur: quanquam commutatione mercium permulta peraguntur. Exportantur autem è *Polonia* ſiligo, triticum hordeum, auena, milium, papauer, pultes diuerſæ, atque legumina, lana, linum, canabes, lupulus, coria, ſebum, alutæ, mel, cera, ſuccinum, pix, cinis, mali, aſſeres, cœteraque materies fabricandis nauibus, & ornandis domibus apta. Item ſal, cereuiſia, vitriolum, nitrum, lazurum, coccus, æs, plumbum, ferrum, cuprum, orichalcum, carbones terrei, vaſa vitrea, æqui, boues, verueces, porci, lardum, aliaque innumera, quibus vicini & etiam transmarini populi à nobis indigent. Et à quibus viciſſim ad nos importantur panni ſericei, aurei, lanei, lineique ſubtiliores, aulæa, tapetes, & alia parietum, equorum, & hominum ornamenta, quorum opificia minus exquiſita ſunt apud nos, licet non deſit materia, & aliis gentibus ſuppeditetur. Importantur etiam margaritæ, gemmæ, pelles precioſæ, huſiones ſeu mariani, haleces, & alia falſamenta, & vento vel ſole durati piſces marini. Ad hæc argentum, aurum, ſtannum, & chalybs, cum facta, tum infecta: vina demum & aromata, & varia eduliorum condimenta atque cupediæ, ſine quibus bene poſſet ſtare patria noſtra, ſi ad veterum *Lacedæmoniorum* rigorem ordinata eſſet. Cum itaque plures merces noſtras mittamus extra regnum, quam indigeamus externis, eisque non tam ad necesſitatem, quam ad luxum ſpectantibus, conſequens eſt, vt non penitus inopes dicamur, reſpectu aliorum Europæorum, qui & mercimoniis, & opificibus diuerſis, & metallorum abundantia, & œconomiæ demum diligenti adminiſtratione, multo nos antecedunt.

MILI-

MILITIA.

QUia ſuis rebus contenti, nuſquam bella offenſiua vicinis populis *Poloni* inferimus, niſi forte prius laceſſiti ab illis: idque potius ad vlciſcendum iniurias, recuperandumque ablata, quam vt inuadamus poſſeſſiones eorum & dominemur illis. Ideo & militiam quoque noſtram, defenſioni verius patriæ aptam habemus, quam expugnationi vrbium alienarum, fortiſſimorumque propugnaculorum, qualibus vicini noſtri confinia ſua à nobis muniunt: proindeque exercitus noſtri maiori ex parte equitatu conſtant, qui è præcipua nobilitate eſt, vt in campos apertos excurrant, procedantque obuiam venienti hoſti, prius quam ille fines noſtros attigerit. Pedites autem paucos habemus, eosque è plebe omnes, non ita ad pugnam, quam ad labores caſtrenſes euocatos, vt nimirum foſſas dum opus fodiant, vallum excitent, pontes conſtruant, vias ſternant, tormenta & impedimenta bellica conducant, atque demum caſtra ipſa cuſtodiant. Quodſi vero oppugnationem loci alicuius meditamur, tum è *Germania* aut *Vngaria* mercenarios nobis pedites adducimus, qui ſunt exercitatiores noſtris. Equitibus autem ſemper contenti ſumus noſtris; qui, ſi generali edicto ex omnibus prouinciis, ad propugnandam patriam euocati ſunt, extra fines regni, vltra quinque milliaria procedere non debent: Si autem procedere neceſſe ſit, tum ſtatim in Comitiis quæ ſemper bellum præcedere debent, militem ſtipendiarium decernimus: Qui quidem cum è præcipua nobilitate conſcribatur, ita in pugnis ſolet eſſe animoſus, vt in maximis etiam periculis ſeſe non deſerat, neque animum deſpondeat: & vt audaces fortuna iuuare conſueuit, validiſſimos hoſtium exercitus, exigua ſuorum manu in campis adoriatur, & ſæpiſſime vincat. Sic ſub *Diuo Sigismundo I.* (vt hic vetuſtiora omittam) *Leſniouices mille quingentis* haſtatis, *quadraginta millia Moſchorum* aggreſſus, in fugam omnes vertit, & *nouem* circiter *millia* ex illis occidit. Sic *Boratinius* ſimiliter *duobus millibus* equitum, *tredecim millia Moſchorum* adortus, miraculoſam ex illis victoriam reportauit, ſeptem *millia* occidit, & tormenta bellica omnia ademit. *Camenecius ſex millibus* ſuorum, *viginti quinque millia Tartarorum* in acie proſtrauit. *Tarnouius quatuor millibus viginti duo millia Turcarum* atque *Valachorum* cecidit, & *quinquaginta duo* tormenta bellica accepit. Sub *Auguſto* autem Rege *Sigismundi F. Radiuillus ſeptem millibus* ad *Vlam, triginta Moſchorum millia* deleuit, & arcem ipſam die eadem expugnauit. Et *Sapieha quinque millibus Vendam* defendit; & *viginti quatuor Moſchorum* atque *Liuonum millia* vna acie proſtrauit. Sub *Stephano* deinde Rege, *Zborouius* non integris *duobus millibus*, totum rebellium *Danti-*

scanorum exercitum, ex transmarinis populis conscriptum, vna die deleuit, & præter captiuos, vltra *octo millia* cœsorum in acie numerauit. Denique sub auspiciis *Diui Sigismundi III. Zamoscius* non totis *sex millibus*, Archiducem *Maximilianum*, circiter *octodecim millia* in castris habentem, non tantum deuicit, sed & ad deditionem coegit. *Cazigerecium Scytham*, cum *septuaginta millibus* in *Poloniam* tendentem, in campis *Cicoræ*, *tribus millibus* suorum, ita retudit, vt multis *millibus* in acie amissis, statim in *Tauricam* suam rediret. *Chodkieuicius* vero, *tribus millibus Suecum* in *Liuonia* adortus, *nouem* de eius exercitu ad *Kircholmiam* occidit, *quatuor millia* captiuorum habuit. Similiter *tribus millibus* equitum *Zolkieuius*, *octuaginta Moschorum millia* inopinato ad *Clussiniam* aggressus, omnes statim in fugam vertit, & *tres Germanorum legiones* in eodem hostili exercitu captas cum Duce suo, *Comite de Pontibus*, ad Regem, *Smolenscum* duxit. *Koniecpolscius* quoque nuperrime in *Prussia*, *quinque* equitum cohortibus, *nouem millia Gustauum* ad *Stumum* habentem, audacter aggressus, cœsis vltra *mille*, in fugam eum turpissimam vertit, & omnia tormenta bellica illius accepit. Et ad *Amerstinum* in *Pomerania*, *duas* eius *legiones* nactus, manibus non consertis, ad deditionem statim coegit, cum non ex integro *duo millia* equitum secum haberet, peditem omnino nullum.

Sic nostri semper hostis quamuis validissimi impauidi; quem campestri prælio, licet exiguis copiis impares alacriter adoriuntur. Et sunt *equites* ipsi quasi in *quadruplici differentia*: pedites in *duplici*. Ex *equitibus*, alii sunt *grauioris armaturæ*, & alii *leuioris*: & qui *grauioris armaturæ* dicuntur, alii sunt *hastati* & vulgo *Hussari* vocantur, & alii *Sclopetis* tantum armati, & vocantur *Harcabusseri*, vtrique autem isti, ferreis thoracibus atque galeis sunt vestiti. *Leuioris* deinde *armaturæ* alii sclopetis oblongis, alii autem pharetris & lanceis breuioribus sunt armati: & vtrique loricis induti, atque communi nomine *Cosachi* appellati, *Pedites* vero, alii vocantur *Haiduci*, qui sunt è *Polonia* aut *Hungaria* conscripti: alii *Cosachi Zaporosenses*, qui è partibus *Russiæ* vicinis *Scythiæ*, vltro nomina dant militiæ, & ducem suum proprium disciplinamque castrensem habent. Omnes autem isti, frameis incuruis seu acinacibus, & sclopetis oblongis in prælio vtuntur: nisi quod illi priores vniformi vestium colore à Rege donantur: isti, rudi panno tecti, equos singuli fere atque currus habent, quibus deinde castra sua muniunt, & in præliis loco aggeris aut sepimentorum, contra potentiam hostis vtuntur (Sed hæc sufficienter in Equite *Polono* ad *Vrbanum VIII.* Pont. Max. perscripsimus) proque occasione & necessitate, partim in æquis, partim pedes pugnant: partim denique nauiculis suis conscensis maria peruolant, & *Turcæ* ditio-

ditiones infestant. Vt igitur omnis fere *equitatus* noster (præter *seruos*) è *nobilitate* est, sic totus peditatus è *plebe*, præter *cohortium ductores*: & *præfectos Haiducorum*. Nam *Cosachorum Zaporosensium*, vti *centuriones*, & *Chiliarchæ*, sic & *Dux* ipse, quem è medio sui eligunt, *plebeius* est; modo artis bellicæ peritus sit & fortunatus, alias deponitur statim, & alter illi surrogatur. Quem sequentes, terra & mari *Scythas Tauricanos*, atque *Turcas* assidue bello lacessunt, & maximas de illis sæpissime victorias referunt, adeo vt iam aliquoties *Canstantinopoli* nostra ætate trepidatum fuerit.

VIRES.

P*Oloniæ* vires & numero & natura sunt tales, vt pauca Europæ regna eas æquent, nullum vero superet: & si ordo, qui est anima rerum, melior apud nos esset, procul dubio apud nos, cunctos occidentis populos superaremus. Cum enim ad potentiam & firmitatem cuiusque status, requiratur numerositas virorum bellicosorum, abundantia commeatuum, pecuniarum magnitudo, armorum sufficientia, & frequentia munitionum: nullum prorsus ex prædictis conditionibus, debite & conuenienter habemus, quamuis singulas, præ aliis gentibus, excellentiori quodam modo possideamus.

Et quantum ad viros bello aptos, & militiæ peritos: certum est Regem *Poloniæ*, posse *dicenta equitum millia* habere absque vllis stipendiis, & oneribus publici ærarii: quorum quilibet sumptu proprio, vel eo nomine quod nobilis sit, militare tam diu tenetur, donec vel bellum finiatur, vel à Rege in hyberna omnes dimittantur. In tanta igitur nobilium multitudine, quæ præter armorum tractionem, aliam professionem non habet, quid mirum si *duces* bellorum aliunde non quæramus? & optimos imperatores internos habeamus? Habituri multo plures & excellentiores si virtus vnumquemque, non diuitiæ aut vetustas familiæ, ad dignitates & officia Reipub. promoueret: sed quia pauperem esse, vitio seculi probrosum est, ideo pauci in magistratibus præstantes, pauci militia clari; Illaque ingens nobilium equitum multitudo, quam diximus, ob malum Reipub. regimen, nullatenus simul conuenire contra hostem potest; nam aliter nudarentur prouinciæ, conterminæ potentibus vicinis, quas vtique custodire oportet, cum militem in vrbibus præsidiarium nullibi omnino habeamus, qui impetum superuenientis hostis aliquomodo reprime posset, præter paucas cohortes in *Russia*, quæ excubant à *Scythis*. Iam autem hostes vndique potententes & parum fideles habemus, *Turcam*, *Scytham*,

 Moschum.

Moſchum, Suecum, & Germanicam nationem : quæ licet variis fœderibus, & toties iteratis affinitatibus nobiscum iuncta ſit, ſemper tamen Principes eorum inhiant Patriæ noſtræ, & in omnem occaſionem ſunt intenti.

Bene tamen poteſt, relictis ad cuſtodiam prouinciarum aliis, *centum equitum millia* in caſtris Rex *Poloniæ* habere : vt & *Vladislaum* olim *Iagellonem* contra *Pruſſicos Crucigeros*, ad *Gruneualdum* habuiſſe legimus, cum nondum coronæ *Poloniæ, Pruſſica, Pomerania, Curlandia, Liuonia* atque *Samogitia*, populoſiſſimæ prouinciæ, iunctæ fuiſſent. Contra eosdem *Teutones*, filius eius *Cazimirus*, præter *Ruſſos & Lituanos*, ex ſola tantum *Polonia*, *ſexaginta equitum millia* ad *Choiniciam* duxerat. Huius deinde filius *Ioannes Albertus*, *octuaginta nobilium millia*, ex *Polonia & Ruſſia* ſolum, contra *Stephanum Valachiæ* Principem collegerat. Frater vero illius *Sigiſmundus I.* ex prouinciis Magni Ducatus *Lituaniæ*, *quinquaginta duo millia* contra *Moſchum* ad *Orſam* conſcripſerat, cum *Liuonia* nondum noſtri iuris fuiſſet, & *Curlandia*, quæ nunc ad Ducatum *Lituaniæ* pertinent. Itemque *centum millia* ad *Leopolim* habuerat, cum in *Valachiam* mouerit, nulla ſatrapia *Lituaniæ* in commilitium euocata, præter aulicos, & voluntarios, qui vltro Regem ſuum comitabantur. Similiter eius filius *Sigiſmundus Auguſtus*, paucis e *Ruſſia* ſtipendiariis, cum Duce *Nicolao Meletico* euocatis, quum in *Liuoniam* contra *Teutones Marianos*, *Lutheri* hæreſim tum amplexos, expeditionem ſumpſiſſet, *centum & viginti millia*, armatorum, e ſola *Lituania*, eique adnexis ſatrapiis habuit. Iam autem noſtra ætate, *octuaginta millia* armatorum bello ciuili ad *Sendomiriam* cenſebantur, cum nihilominus potior pars regni quieſceret, nec ſumerent arma contra Regem prouinciæ, niſi proceres quidam ; e quorum ordine pars maior, aut certe ſanior Regi ipſi adhærebat. Et bello nuper cum *Turca* durante, cum *Diuus Sigiſmundus III.* generalem nobilitatis expeditionem edixiſſet, vix *tres* aut *quatuor* ſatrapiæ ad *Leopolim* conuenerant, & iam numerus ad *quinquaginta millia* (cum comitatu regio, qui pedites *Germanos* complures ſecum mercenarios duxerat) aſcendebat: quid ſi omnes regni prouinciæ, vti fuerat imperatum, conueniſſent?

Sed in iſta multitudine duo deſiderantur, quæ in bellis gerendis maxime ſunt nociua : Celeritas nimirum, & obedientia ; quia & tarde nobiles ſub ſigna conueniunt, Comitiis primo tot hebdomatas celebratis, ſine quibus bellum edici non poteſt : & difficulter ab œconomia ſua, vxoribus, atque liberis diuelluntur, vsque tertium edictum expeditionis bellicæ, praua conſuetudine exſpectantes. Cumque iam ad locum deſignatum conuenerint, tum ſe vnitos & armatos animaduertens, aut contra

tra *Regem*, aut contra *Senatum* tumultuantur. Vel etiam interdum Reges ipſi tardius in expeditionem procedunt, & mora tempus elabi vltro patiuntur; ne vel a nobilitate ob malum regimen exagitentur; vel prætenſioni illorum, cum diminutione ſuorum redituum, aliquid tribuant. Vnde incommoda iſta Reſpublica proſpiciens, ſtipendiario milite ordinarie bella peragere conſueuit: generalem autem nobilitatis expeditionem, in vltimum tantum caſum reſeruauit; vt, ſi vel tributa non ſufficerent, vel hoſtis ita potens eſſet, vt ei reſiſtere conſcripto milite Generalis belli nequiret, tum ad generalem omnium nobilium expeditionem, tanquam ad vltimum remedium confugiendum putarent. Prout nuper præterito bello *Turcico* faciendum cenſuerunt; cum barbarus *ſexcentorum* fere *millium* exercitum in nos duceret, *Generalis* militiæ cum *ſeptuaginta millibus* ſtipendiariorum, extra limites regni in *Valachiam* præmiſſus fuerat, vt eum obuius exciperet: Rex autem in confiniis quaſi, ad *Leopolim* nobilitatem conuocabat, quibuscum ſuppetiatum, præmiſſo exercitui cum filio, ire debuerat. Et ſi tum celerius, vti decretum erat in Comitiis, ſuperueniſſet, profecto maiores longe progreſſus belli feciſſet, maioremque ſibi ac ſuis gloriam apud poſteros parauiſſet.

Quo autem in eiusmodi expeditiones paratior nobilitas fieret, ſtatutum eſt iam dudum publico Comitiorum decreto, vt *prima* poſt *paſchatis* feſtum *Dominica*, in ſingulis ſatrapiis luſtratio in armis fieret, & quisque *Palatinus* ſuorum prouincialium nomina in tabulas referret. Quod tamen, æque vt & alia inſtituta patriæ, aut penitus negligitur, aut certe neglectim peragitur, pœna in delinquentes valde leui aſſignata.

Sic *pedeſtris* quoque militia *Auguſti* Regis inuento, tam ex *vrbana*, quam e *pagana plebe* delecta, fere iam euanuit, & vix aliquot *centena* tantum numerantur, eaque nullius frugi, qui *quindecim millia* ſuperare debuerant. Reliqui omnes, auaritia præfectorum, cenſum exſoluere iuſſi, & ruſticanis laboribus adſcripti, cingulum militarem depoſuerunt. Stipendiis nihilominus conſcriptos, egregie ſeſe in bellis geſſiſſe vidimus; & famem, ſitim, æſtum, frigus, laboresque caſtrenſes, multo fortiori animo pertuliſſe obſeruauimus, quam aut *Hungari*, aut *Germani*, qui aërem noſtrum pati non poſſunt, & vel diffugiunt, vel moriuntur. Quodſi Ordines regni vellent ſerio curam rei bellicæ inire, poſſent absque omni dubio *ducenta* & amplius, præſtantiſſimorum *peditum millia*, e pagis & oppidis deligere, quibus vel maximo hoſti patriæ poſſent facilime reſiſtere. Experimentum habemus in *Coſachis Zaporoſenſibus*, qui omnes *ruſtici* ſunt, e pagis atque oppidis noſtris collecti, & nulla literatura præditi; nihil-

ominus tamen in caſtris ſuis veterum *Romanorum* diſciplinam habent, fortitudineque bellica, & rei militaris peritia, nulli in mundo nationi cedunt. Quibus ſi e toto regno delecta iuuentus adiungeretur, & ſub *præfectis* atque *Chiliarchis* nobilibus, in arte militari exerceretur, nullus penitus in orbe Chriſtiano Monarcha, pares Regi *Poloniæ* vires in ſuo regno haberet.

De commeatu vero non eſt dubitandum, quin tantam in bellis multitudinem Rex *Poloniæ* alere poſſit, cum ſit cuique manifeſtum, Regnum *Poloniæ* poſſe alia *duo* ſimilia regna, prout ipſum eſt, non modo frugibus, ſed & carnibus, & allio companatico ſuſtentare. Nihilominus nos *Poloni*, in qualibet expeditione bellica fame laboramus, atque ſæpiſſime res iam ad finem perductas, propter commeatuum penuriam, turpiter deſerimus. Quod totum procedit ex ſocordia *præfectorum* belli, aut potius Reipublicæ *Ordinum*, qui dum aliquorſum bellum edicunt, nusquam in partibus illis de commeatu prouident; ſed quod cuique militi ſors offert, id rapit in tranſitu, & poſtea ſeſe cum equis & famulis in caſtris ſuſtentat. Fame vero oborta, aut morbis paſſim omnes intereunt, aut nolunt obedire *Ducibus ſuis*, & dilabuntur. Quodſi vero Reſpublica primum ibi de commeatu prouideret, quo exercitum mittere vellet: & commeatus ille, ob abundantiam rerum omnium, paruo certe conſtaret, & expeditionem propoſitam facile ad finem optatum deduceret.

Jam autem quoad pecuniam, parata illa in ærario nusquam reperitur, ſed tum demum cum bellum per Comitia edicitur, prouincialibus imponitur, vectigaliaque diuerſa bello finiendo ſufficientia ſtatuuntur. Sed & hæc ipſa, vel tarde conferuntur, vel non ex integro in ærarium inferuntur, potior pars priuatorum cupiditati cedit. Quæ ſi paulo ordinatius colligerentur, atque etiam tum, cum bellum nobis nullum eſt, moderate imponerentur, & aſſeruarentur in promptuariis: profecto & exercitus noſtros celerius in hoſtes educeremus, & militem ipſum obſequentiorem in bellis haberemus; qui dum auaritia *gubernantium* ſtipendia ſibi retineri vident, facile in perniciem patriæ coniurant, quod iam ſæpiſſime ſumus experti. Hoc tamen vel maxime Regem *Poloniæ* in bellis iuuat, quod *Proceres Regni*, & quique *nobiles ditiores*, ſoleant integras *equitum cohortes & alas*, ſumptu ſuo proprio in caſtra adducere, vel ſolius patriæ amore. Pauperiores vero plures vna collecti, *ducem* ſibi virum aliquem ſtrenuum eligunt, & vltro ſine ſtipendiis, belli *imperatorem* ſequuntur, ob

id

id ipſum *voluntarii* appellati. Quod ipſum & *Coſachi Zaporoſenſes* faciunt, interdum ad *quadraginta millia* pugnatorum collecti.

Quod arma autem: Hæc quisque ſibi priuatus curat e *Germania*, aut aliqua alia gente vicina portari; quia Rex aut Reſpublica nullum *armamentarium publicum* habet. Sunt tamen aliquot in locis *repoſitoria tormentorum maiorum*, nuperrime a Sereniſſimo Rege *Vladislao IV.* inſtituta. Sed plura multo & ordinatiora *ciuitates* habent: itemque *nobiles* nonnulli & *Proceres Regni*. Qui, cum bellum edicitur, & ipſi amore patriæ in bellum eunt, & *tormenta* ſecum *maiora*, adhibitis omnibus neceſſariis conducunt. Rex autem quum nullas munitiones magnas habeat, quas armis prouidere deberet, quocunque expeditionem ſumit, habet facile armorum ſufficientiam, aut a *ciuitatibus ditioribus*, aut e ſuis *armamentariis*, quæ ſparſim pluribus in locis parua ab antiquo ſunt ditata. Cumque & *Polonia* ipſa non ſit metallorum indiga, & *Germania*, quæ illis maxime abundat, ſtatim in vicinia ſit poſita, non difficulter paratur, quod belli exigentia poſtulat, magiſtris artis fuſoriæ, in regno exiſtentibus.

Quantum denique ad *munitiones & fortalicia*: candide fatendum eſt, illa omnino in *Polonia* nulla exiſtere, præter aliquot caſtella priuatorum: idque ſparſim per prouincias & regnum, vt eſt *Zamoſcium*, *Lancutum*, *Zbaraſium*, *Neſuicia*, *Lachouicia*, *Medirecia*, *Dubna*, aliæque minutiores populationes.

Cæterum tamen facile potuiſſent excitari plures, ſi Reſpublica in id operam ſuam intendiſſet, ſiquidem & lapidis & calcis & ferramentorum atque lignorum copia vbique maxima, in *Polonia* reperitur. Quum autem non ſimus cupidi aliena inuadendi, noſtra facile vel pectoribus noſtris tueri poſſumus: prout & hactenus tutati ſumus, aperto potius Marte cum hoſte decertando, quam vel propugnaculis ſeſe includendo. Sic *Germanos* ſæpius patriam noſtram inuadere conantes, pectoribus noſtris repulimus. Sic *Turcam* cum tota ſua potentia venientem reiecimus. *Moſchum* non tantum retudimus, ſed totum etiam eius imperium multoties peruaſtauimus. *Scythas* frequentius *Ruſſiam* incurrentes, notabilier caſtigauimus. *Valachiam*, *Moldauiam & Beſſarabiam* etiam priuati multoties depopulati ſunt, & Principes illis pro ſuo arbitrio impoſuerunt.

Reſtat ſolummodo *Suecus*, quem & olim & nuper acie quidem ſemper deuicimus, eiicere prouincia omnino non potuimus; partim quod ſocordia quadam, ad expugnandas munitas vrbes non ſimus apti: partim quod hæreticis illi paſſim fauentibus domeſticos proditores euitare nequeamus: partim quod prouinciis illis ſacratorum virorum poſſeſſioni ſemel dicatis, non ſit proſperum penitus, profanos homines iterum frui: partim etiam, quod exardeſcente vitio ſæculi, hominum cupiditate, minus publicis rebus modo ſimus intenti, quisque noſtrum priuato commodo ſtudet; ex quo procerum aſſiduæ diſcordiæ, nobilium inobedientia, aulæ ſuſpiciones, Principis contemptus, rerum neglectus paſſim. Partim denique quod Numinis iræ difficile nos ſit contrauenire; quæ ob tot ſcelera publica in Patria noſtra impunita, hoc, quem minime ſemper faciebamus, hoſte nos punit, & quaſi publica hac caſtigatione ad reſipiſcentiam benigne impellit. Sed O muro Domini, quo vsque non requieſces? Ingredere in vaginam tuam, refrigare, & ſile! Cogita ſuper nos Cogitationes pacis, & non afflictionis; vt des nobis finem & patientiam: & in vocabimus te, & viuemus,

FINIS.



INDEX

INDEX RERVM

per numerum *paginam* indicans.

Cazi-

Cæ-

Italia

ma-

quan-

qui

Soco-

Ve-


FINIS.



SIMO-

SIMONIS STAROVOLSCI SARMATIÆ BELLATORES.

ANNO MDCCXXXIII.



ILLVSTRISSIMO HEROI

DOMINO

IOANNI EVSTACHIO TYSKIEVICIO.

PALATINO BRESTENSI, CAMENECENSIQVE PRÆFECTO,

SIMON STAROVOLSCIVS, OMNEM FÆLICITATEM PRECATVS, LIBENS MERITO DEDICAT.

C*ENTEM nostram, Heros Illustrissime, fama celebrari compertum est, tanquam indoli sua pronam simul & vtilem bello, ducesque ipsos, priscis illis Heroibus pares: quorum vtpote res gestæ, & domi forisque felicitas in plerisque tanta est, vt veterum Romanorum gloriam exæquent, recentiorum vero populorum, multis interdum passibus superent. Quamobrem licet complures sint gentis nostræ scriptores, qui non ciuilia modo nobis docu-*

menta, libris suis reliquerunt, verum etiam exempla ad imitandum varia, domi, & sub frigido nostro axe nata, plena manu proposuerunt. Saeua tamen & infesta virtutibus tempora nostra videns, haud abs re putaui, praestantium bellatorum nostrorum vitas, in vnum volumen breuiter colligere, & veluti facem ad famam modernis praeferre, qui & priuatim degeneres sunt, & in publicum exitiosi. Quo nimirum conspectis maiorum suorum monumentis; vel praeconiis illorum excitati, incipiant tandem parem eorum laudibus gloriam discupere; vel metu infamiae perculsi, reuereantur ab insita toti genti virtute degenerare. Et hoc illud est, cur Rempub. cogitantibus, & cum vtilitate omnium suaque laude, siue domi, siue militiae eam administrare cupientibus, clarorum virorum facta moresque studiose sint pernoscendi. Natura enim ita comparati sumus, vt quenque aliquod studium trahat: in illa autem re, quam probamus aut colimus, eos qui excellunt miramur, & desideramus pariter produci aliis in exemplum, esseque in totius orbis, imo saeculorum omnium theatro. Cum itaque in immenso illo Historiarum pelago, quod Chronicon appellamus, non facile sit, singulorum virtutes & nomina deprehendere, quod ea generalis totius gentis gestorum narratio, velut sol minores luces, suo splendore obumbret. Idcirco depromta speciali hoc libello e fastis antiquitatis singulorum memoria, non aedepol alii eam conseruandam, aut verius propagandam ad posteros consecrare debui, quam tibi aetatis nostrae, Heroi Illustrissimo qui prisco illo Sarmatarum instituto, Martem Gradiuum a puero veneratus, omnibus quotquot tua aetate contigerunt, bellicis expeditionibus pro Repub. interfuisti. Et vt eam sartam tectam conseruares, his difficillimis temporibus nostris, quibus pacem libertatemque optamus magis, quam defendimus, toties veteranorum splendidissimas cohortes, aere tuo ingenti, in Podoliam, Valachiam, Liuoniam, Moscouiam atque Prussiam eduxisti. Sicque te ipsum, in rerum decus solidamque virtutem incumbens gessisti, vt & strenui militis, & fortissimi Ductoris, cum omnium fere, tum sapientissime Regis iudicio sis consecutus. Qui te generali totius Regni expeditioni, ducem contra Turcas praeponere voluit: & bello in Prussia orto, iterum te omnibus copiis imperatorem assignare

cupi-

cupiuit, niſi in vtroque tempore, inuidorum maleuolentia, conſilia eius impediuiſſet. Et tu ſordidae adulationis adminiculis ſpretis, id tantum facere voluiſſes, quod aeternitas exciperet, cœlum approbaret. Vt igitur hic omittam primam illam aetatem indolemque tuam, clariſſimis maioribus dignam, quam e ludo litterario egreſſus in Regia exercuiſti, & a puero ſtatim publicis negotiis admotus, ita ſplendidus ſemper, liberalis, induſtrius, prudens, humanusque fuiſti, vt nemo fere in toto Regno ſit, cui non contigerit tuas diuinas dotes deguſtare. Praeſertim vero cum iam te militiae applicuiſſes, & per gradus militiarum honorum procedens, officium Tribuni in caſtris, in Curia vero Magni Ducatus Lituaniae, Theſaurarii titulum promeritus eſſes. Vbi non militum modo ſtudia tibi, heroica munificentia conciliaſti, ſed & litteratorum: ſed & Procerum Regni: atque ipſius Sereniſſimi Regis fauores conſecutus es. Qui te ob ingentes animi tui dotes, Mſcislauienſis Palatini dignitate, albo ſenatorio adſcripſit. Et virtute tua delectatus, paucos poſt annos, auguſtiori loco ſuffecit; prouinciae nimirum in qua natus es, Palatinum, hoc eſt, belli ducem praeficiens, vt patre Breſtenſi Palatino prognatus, (non enim libet hic longam ſeriem auorum tuorum, trabea & curuli illuſtrium enumerare, quorum tu non aequas modo decora, ſed ea magno iam interuallo ſuperas) Breſtenſis & ipſe Palatinus fieres: reſtitueresque popularibus tuis, imo Sarmatis omnibus, tuo exemplo militarem gloriam, quam heu! neſcio quo peſſimo facto in dies diminutum ire videmus. Ergo macte hac tua indole Heros Illuſtriſſime & pro natura ingenii tui, quod nihil niſi illuſtre atque honeſtum reſpicit, oblectare ſuetis artibus tuis, quae tibi merito togati ſagatique ciuis gloriam apud omnes iam pepererunt, & quae aliquando abſenti etiam aeternum, paremque virtutibus tuis locum inter Heroas conſtituent. Quod eo facilius aſſequi poteris, ſi ex vitis tot inſignium bellatorum, quos genium tuum veneratus, hoc tibi libello ſiſto, exempla accurate notaueris, eaque felici delectu imitanda, filiis tuis chariſſimis, qui in ſpem patriæ creſcunt (& quorum vnus iam Pontificali tiara conſpicuus, exornat ſaeculi ſui gloriam, alii vero bello Chotimenſi & Pruſſico virtutem ſuam probarunt) propriis tuis virtutibus adaucta tradideris. Enimuero enim eorum lectionem, hac maxime tempeſtate illis nequaquam aſpernen-

nendam putem: imo nobilissimis quibusque Sarmatiae nostrae, quorum proprium est armis gloriam quaerere, vestrum, qui praeeminetis, & experientia polletis, pracire. Vt & posteri sic discerent a vobis, virtutem admirari, & extranei quiuis cultiores cognoscerent, duris quoque Sarmatis inesse diuinitatis semina, atque omnium septentrionalium propriam Colonis esse militaris gloriae cupiditatem. Vale Heros Illustrissime & litatis Bellonae tuae hostiis, etiam Apollini liba, Musisque mitioribus vt consuesti faue, quae solae famam vocabunt in laudem tui, & virtutes tuas different per totum terrarum orbem.



AMICE LECTOR.

MVlta inter nos Sarmatas, fortium hominum facta sunt, fuerunt-que semper, haud illis imparia, quibus nobilitantur gentes, quæ literis ipsæ se celebrant: sed quia scriptores non habebamus, quia ea in hominum lucem proferre, & vna secum immortalitate ornare potuissent; ideo æternum obliuioni tradita iacent: Nec per modernos, qui antiquitatis paulo studiosiores sunt, vllo modo inuestigari possunt. Partim, quod litteratos viros, nunc primum sub Iagellonibus Polonia æstimare cœperit, quod vix duorum sæculorum spacium facit. Partim, quod etiamnum denuo, nescio quo pessimo fato, literæ apud nos suum precium deperdant. Vnde etiam fit vt & paucos solide eruditos habeamus: & si qui reperiuntur, neglecti ab Optimatibus & Megistanis, vel non habent rationem quomodo se in illustri illo orbis theatro, ostendere queant, vel animo abiecto & desperato, prodire in palestram sæculorum nolunt, certo certius scientes se contemni ab iis, a quibus omnino promoueri debebant. Iam autem viri excelsi, & qui ad clauum Reipubl. sedent, etiamsi nescio quæ præclara gesserint, si ea eruditorum pennatus ille currus non euexerit per æthera & gentes, cuncta profecto cimmeriis tenebris inuoluta iacebunt. Quod si vero potentes genio viri, stilo ea suo perennitati consecrauerint, paria omnino vel Græcorum vel Romanorum factis erunt. Apud quos sapientes in precio habiti, dicta etiam elegantiora Heroum, non modo facta illustria, fastis æternitatis inseruerunt: & quos ornandos censuerunt, licet immerentibus aliis, tantas laudes admensi sunt, vti posteritas virtutes eorum, quæ vix mediocres sunt, etiamnum suspiciat & veneretur. Vt ergo ex omni genere monumentorum, quibus præclara ingenia memoriam nominis sui, grata cum recordatione ad posteros transmittere studuerunt, ii optimam partem videntur delegisse, qui res æternitate dignas consecrare perpetuis annalibus, & ab obliuionis iniuria vindicare sunt aggressi. Ita illi, mea opinione omnium maximam laudem promerentur, qui viros egregie doctos & patriæ, & suarum virtutum præcones, summa beneficentia fouent: curantque per eos clarorum virorum facta, posteris imitanda tradere. Quandoquidem nihil efficacius penetrat in animos, & permanat ad intimos sen-

sus

ſus, quam exempla, quæ nobis ex annalium monumentis ſuppeditantur: ex quibus facile quisque poteſt contemplari vitas hominum & haurire quod ex vſu ſit, ad mores bene ſapienterque inſtituendos. Ac propterea, ipſe quoque ex facili animum induxi, vt congeſtis præcipuorum Sarmatiæ noſtræ ſcriptorum vitis, itemque clariſſimorum Oratorum noſtrorum Elogiis, ad illuſtrium nunc bellica virtute virorum præconia deſcenderem: quod nimirum ſcirem, excitata iuuentutis induſtria, ad ſtudia eam & labores, maiorum exemplis vehementius propelli. Nam ſi olim poſterorum animos ad virtutem accendebant diſpoſitæ in atrio maiorum imagines, quæ nihil præter externam corporis figuram intuentibus repræſentabant: quanto magis ad æmulandi ardorem, excitari conuenit viros gloriæ cupiditate flagrantes, quum ad viuum expreſſam vident effigiem illam diuinioris auræ, qua potiſſimum parte dignitas generis humani cenſeri debet: Iam autem illud primum ſapientiæ munus cenſetur, patenti via populum ad virtutem ducere, cupidinemque honeſti conciliare animis, & facere vitiorum odium. Quod non alia certe facilius feliciusque præſtatur via, quam laudando egregia facta maiorum, eaque debitis exornando Elogiis. Quæ dum curioſius poſteri, ſed præcipue bonæ indolis iuuentus leget, ad Reipub. vſum ſe plures aptabunt, ingenia excolent, militiam aut eloquentiam ſtudioſius perſequentur, denique ſuis ciuibus ſe probabunt, ſuam quoque vitam ſperantes aliquando aliis exemplo fore. Quod vt tandem fiat; rurſusque vergentem ad barbariem Septentrionem noſtrum, benignios, Numinis radius aſpiciat, atque te ſimul, Lector Amiciſſime, ad æmulandum heroicas virtutes excitet, ex animo opto.



SIMO-

SIMONIS STAROVOLSCI SARMATIAE BELLATORES, SEU ELOGIA

VIRORVM BELLICA VIRTVTE ILLVSTRIVM, QVOTQVOT VEL NOSTRA, VEL AVORVM MEMORIA CELEBRES IN POLONIA FVERE.

I. MIECISLAUS.

QVemadmodum totus pene orbis terrarum, ante Christi Dei aduentum, veri Numinis cultum ignorabat, ita quoque & Septemtrionalis plagæ populi; qui innata quadam barbarie & feritate, post promulgatum etiam Euangelium, difficilem ad oras suas externis hominibus aditum præbebant: nec multum de religione disquirebant, bellis & militiæ dediti, contentique superstitione, quam ab initio propemodum humani generis acceperant, fallacium Dæmonum fraude inducti. Maxime vero, feroces illi Sarmatæ, quorum genus ducimus, & in quorum oris, post tot mutationes & migrationes, a Pole, quod planiciem & venationem Slauis significat, Polachi seu Poloni appellati, consedimus. Nec lumen veritatis agnouimus, nisi post nongentesimum & sexagesimum quintum, a partu virgineo, annum, MIECISLAO ZIEMOMYSLI F. nobis imperante; a quo etiam scriptionis nostræ sumpsimus initium. Nam quid olim, in tenebris illis gentilium, gestum fuerit, aut qui Duces belli artibus claruerint, vel quomodo ex Sarmatis Vandali, Ve-

nedi, Slaui, aliæque innumeræ gentes, ortum ſuum deriuauerint, difficile ſane coniectari: cum nulla literarum apud eos tum cognitio fuerit, nullaque ſcriptorum monumenta ad noſtram ætatem peruenerint. Proinde nunc primum cum luce Euangelii, artium quoque bonarum vſu & tractatione ad nos delata, res etiam noſtræ, non niſi a Miecislao Principe illuſtrari cœperunt, qui & ipſe quoque mirabiliter illuſtratus fuit. Siquidem natus erat oculis cæcus: nullos alios aut fratres aut ſorores habens. Cumque illi anno ſeptimo, ritu gentili coma attonderetur, abſque vlla medicorum ope, lucem miraculoſe aſpexit, & acclamantibus cunctis, Miecislai, quaſi, qui gladio gloriam ſibi pariturus ſit, nomen accepit. Conſulente poſtea patre diuinatores, quid portenderet, quod is cæcus natus, tanto interuallo videre cœpiſſet? reſponſum fuit, Poloniam eius principatu illuſtratam iri. Itaque annis maturus, Dambroucam, Boleslai Primi, Bohemorum Ducis filiam, vxorem Chriſtianam accepit, vtque conuenerat ex pactis, Chriſtianum & ipſe profeſſus, Gnesnæ baptiſmum ſimul & nuptias ritu ſolenni peregit. Et mox ad propagandam, per omnem principatum ſuum, religionem conuerſus, nouem numero Epiſcopatus diuerſis locis erexit. Quem ſubditi æmulati, inferioris quoque ordinis ſacerdotibus, multa in oppidis & pagis templa extruxerunt, decimisque ac prædiis ſufficienter locupletarunt. Cæterum quia nihil æque ad religandos atque deuinciendos hominum animos valet, quam religio, idcirco Volodimiro Ruſſorum Duce ditiones ſuas inuadente, conſtantiores exinde ſubditorum erga ſe animos, & Numinis fauorem expertus, facile ferocientem hoſtem repreſſit: & parta ex eo victoria, principatum ſuum annis triginta quinque proſpere adminiſtrauit. Quinimo & contra rebelles domino ſuo, Bohemos, expeditionem feliciter peregit, Boleslaumque vxoris ſuæ cognatum in principatu locauit, magna celeritate Praga metropoli Regni expugnata. Atque ita pauciſſimis diebus totam rebellionem procerum compeſcuit, fuſisque aliquot præliis hoſtibus, regnum pacatum pupillo, in cuius gratiam arma ſumpſerat, reddidit. Ac tandem ipſe ætate ac morbo confectus, diem ſupremum expleuit, Æræ Chriſtianæ Anno 999. ſucceſſore Boleslao Chrobrio glorioſiſſimo Principe relicto, conditusque eſt Poſnaniæ honorificentiſſime, cuius nos ſepulchrum ornemus breui Epitaphio, in hunc fere modum.

Miecislaus, Europeæ Sarmatiæ Princeps Clariſſimus, heic ſitus eſt, qui cæcis gentili errore parentibus, cæcus oculis natus, vtramque lucem miraculoſe aſpexit, & quidem ſolis corporei, anno ſeptimo ætatis, cum ritu Patrio ac ſolenni, primam comam deponeret; ſolis autem iuſtitiæ, cum annis maturus, Chriſtianæ pietatis vxorem, e Bohemia duxiſſet. Hac igitur duplici gratia, cum reli-

que

quo virtutum, ac diuinorum donorum comitatu ornatiſſimus, & Poloniam e paganiſmo, ad euangelii agnitionem, exemplo ſuo; & Bohemiam a rebellione, ad obedientiam legitimi Principis, armis victricibus, perduxit. profligatoque ſæpius bellicoſo Ruſſiæ Duce Volodimiro, cum annos quinque & triginta feliciter regnaſſet, primus e Sarmaticis Principibus, ſubterraneæ quietis, ac domicilii, chriſtianus ciuis factus: qui longo ordine venientes Polonorum Reges complexu excipiat ſuo, expectans cum eis beatam ſpem, atque aduentum gloriæ magni Dei. Tu, viator, quiſquis es, Chriſtianum Principem, & venerare mortuum, & in cælo regnantem cole. S. S. P.

II. VOLODIMIRUS.

SI præclaras corporis atque animi virtutes, cum perpetua rerum geſtarum felicitate conferamus, proculdubio Volodimirus, Suentoslai Ruſſiæ Ducis, e Maluſſa concubina naturalis filius, non æquales modo ſuos, bellica laude, ſed ſuperiores etiam Duces anteibit. Nam ſi eos, qui manus cum ipſo contulerunt, enumerare velimus, liquido conſtabit, ferme omnes aut cæſos & captos ab eo: aut inſigni accepta clade, fuiſſe profligatos. Mortuo namque patre, Nouogrodenſium tantummodo Princeps fuerat conſtitutus: cum viuens ille totum imperium, Iaropolco & Olgo, legitimis filiis diſtribuiſſet. Eſt autem Ruſſiæ regio, per Aſiaticam & Europæam Sarmatiam latiſſime extenſa, quæ antiquitus vniuerſa vnicum Principem venerabatur; poſtea in Prouincias & Satrapias filiis principum diuiſa, illum ſuperiorem recognoſcebat, qui ſe Kiouiæ Monarcham appellabat. Nunc poſtquam Kiouia in ditionem Regiam Poloniæ ceſſiſſet, Ruſſiæ quoque Dynaſtiæ bifariam ſunt diuiſæ. Et illa quidem pars, quæ in Europa iacet, Regno Poloniæ tota ferme adiuncta eſt: quæ vero vltra & cis Tanaim, per Aſiam extenditur proprium principem habet, quem nunc magnum Moſcouiæ Ducem appellamus. Volodimirus itaque regnandi cupidine incenſus, fratrem vtrumque dolo ſuſtulit, & tota Ruſſia potitus, finitimos inſuper Bulgaros, Croatas, Viaticos, Dulepios, & Iazuingos, bello adorſus, tributarios ſibi fecit. Cum Piecinigis proſpero Marte bella geſſit: & Imperatoribus Conſtantinopolitanis, Corſunum vrbem Ponti, quam Cherſonam vocat Sabellicus, eripuit, (ſed reddidit poſtea, ducta in matrimonium Anna, ſorore Imperatorum Baſilii & Conſtantini, religioneque Chriſtiana inſuper ex pacto ſuſcepta) ſucceſſibusque tam proſperis elatus, proximas quoque Polonorum ditiones infeſtare non deſtitit: donec a Miecislao repreſſus, duodecim filiis totum imperium diuiſiſſet. Et Viſſeslao quidem natu maximo Nouogrodum: Iſaslao, Poloſcum; Stopoleo,

Turouiam; Iaromiro, Roſtouiam; Iaroslao, Tueram; Glebo, Muromum; Stoslao, Derenos; Vſiculodo, Volodimiriam; Meſcislao, Torocanum dedit. Pleſcouiam vero Sudislao, Volyniam; Poſuiſdo, Boriſſo demum Smolenſcum attribuerat, ſibimet ipſi Kiouia Metropoli reſeruata. Vbi piis & quietis conſiliis intentum, & ex longa tabe tenue corpus, immenſo illo vigore animi, vix ſuſtinentem, mors oppreſſit Anno Chriſti 1008. ea hominum opinione, vt ſi ei fata longius vitæ ſpacium concesſiſſent, veterum vel maximorum ducum gloriam, haud dubie fuerit æquaturus. Nemo enim eo, vti ferunt Roxolani Scriptores, grauius atque prudentius de toto belli genere iudicauit: nemo incerta caſuum felicius, ad conſilium vertit: nemo in acie contemptius pericula deſpexit, aut omnino pugnauit ardentius. Cuius corpus ſpeluncæ ſubterraneæ Kiouiæ illatum, quam Pieczovi vulgo dicunt, inter ſepulturas reliquorum Heroum, etiamnum a Ruſſis monſtratur. Antiquitus enim Dynaſtarum ſuorum corpora nonniſi in ſpecubus illis, qui longiſſime ſub terra excurrunt, condere ſolebant. Cuius vrnæ, honoris ergo huiusmodi Epitaphium appendamus.

Conditur hac exigua vrna, magnus Roxolanorum Bellator, Volodimirus. Illegitimo quidem ille thoro prognatus, illegitimeque paternum principatum fratribus interemptis adeptus: ſed qui illud quidem egregiis bello facinoribus, hoc autem, vero numinis veri cultu, compenſauit. Hic primus e Ducibus Ruſſorum ſacro fonte ablutus, accolis gelidi Boryſthenis, lumen veritatis monſtrauit; & vbi durus Getes habitat, per oras Euxini, Seruatoris Chriſti nomen propagavit. Populos feroces, & nulli vnquam parere Suetos, cupidine gloriæ bellis perdomuit: & Dulepios, Iazvingos, Viaticos, Piecinigos, Bulgaros, Croatas, cis & vltra Carpatos, ac Iſtrum habitantes, ſolus iugum ſubire compulit. Imperatores græcanicos, late per orbem dominatores, vel conſanguinitatis fœdere, pacem redimere adegit: cunctiſque hoſtibus percircum deuictis, Sarmaticum nomen etiam Romanis metuendum fecit. Atque ita per omnia fortunatus & felix, dum domum ſuam, ſenio grauis, componit, & quietam vitam, poſt tot triumphos & trophæa, viuere parat, in terris, vt cælo frueretur, eſſe deſiit. Anno virginei partus, milleſimo octauo. Tu. Qui ſpeluncam pertranſis, dic magni herois oſſibus pia verba, ſi es pius.

III. BOLESLAVS CHROBRUS.

VT religionis Chriſtianæ primus, e Principibus Sarmatiæ, Miecislaus cultor fuit, ita Boleslaus eius filius, primus Regiæ dignitatis author. Cum enim Ottho III. Romanorum Imp. ab Italica expeditione reuerſus,

uerſus, ad Diui Adalberti ſepulchrum, voti exoluendi cauſa, in Poloniam veniſſet, Boleslaus qui nuper paternum principatum ſuſceperat, excepto Imperatore, vti par erat, honorificentiſſime, Regium diadema ab eo impetrauit, & Polonorum ſuorum propenſas erga ſe voluntates, auctus hac noua dignitate, tanto magis accendit. Quippe quos non indoles tantum eius egregia, ſed ſpecimen etiam virtutis, nec vulgare, nec vnum, viuente patre ab eo editum, ſpe optimum impleret. Nam præter ingenii prompti & perſpicacis, ad omnia cum decoro atque dignitate ſeſe accommodantis, acrimoniam: præter ſtudium laudis, rerumque & hominum militarium, ſingulare: præter animi denique magnitudinem, ſummo Principe dignam, elucebat in eo rara modeſtia, verecundia, comitas, ſuauitasque morum grauitate temperata. Nullum intemperans dictum aut factum, ſordes nullæ, ſed cum delectu ac iudicio paulatim ſeſe proferens liberalitas, & cæteræ maiores virtutes, quæ magnopere adoleſcentiam commendant. Nec ſane ſpem & opinionem hominum fefellit. Vexatus ſiquidem a Bohemis, Regem illorum, itidem Boleslaum nomine, aliquot præliis debellatum & captum, ad extremum luminibus priuauit: filium vero eius Iaromirum, in arce Viſſegradenſi expugnatum, cuſtodiæ tradidit: regnumque autem vniuerſum, diſpoſitis per arces & oppida præfectis, ſibi tributarium fecit. Deinde in Ruſſiam conuerſus, Ducem Iaroslaum, toties vires reſumentem, ad vltimum profligauit, & Kiouiam caput regionis, inſignem ea tempeſtate (vt etiamnum ingentes ruinæ teſtantur) vrbem, acri obſidione preſſam, per deditionem accepit: tributoque Prouinciis impoſito, obſidibusque acceptis, victor in Poloniam reuerſus eſt. Cum tres columnas ferreas fixiſſet in Boryſthene, qua Zula fluuius influit, ad memoriam victoriæ ſempiternam. Vbi & cognomen Chrobri, id eſt, pertinacis, a Ruſſis accepit; a quo exinde & arcem a ſe conditam in Polonia, Chroberſum appellauit. Ne autem ſui ocio torpeſcerent, bellum Saxonibus anno 1012. intulit, & omnem illam oram latiſſimam, quæ olim a Slauis & Polonis poſſeſſa fuerat, quos vulgo Scriptores Vandalos appellant, vſque ad Albim & Salam fluuios, ac Cherſoneſum Cymbricam, magna celeritate, in ſuam poteſtatem redigit. Hic itidem tres ferreas columnas, in ripa Salæ, victoriæ ſuæ monumentum, & Regni Poloniæ limites poſuit. Nec ita multo poſt, aliam rurſus expeditionem in Pruſſos ſuſcepit, quos debellatos, tributum ſibi pendere coegit, & ad Religionem Chriſtianam, quam propagare quoquouerſus inprimis ſtudebat, adduxit. Poſita ſimiliter in Oſſa flumine ferrea columna, mille paſſibus ab oppido Rogoſno, vnde vicina villa Slupi, hoc eſt columnæ nomen accepit, & hodie quoque habet. In omnibus autem hiſce bellis, periculoſiſſima quæque, Bo-

leslaus ipse aggrediebatur: & vbi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper immergebat, periculaque sua esse, non militum volebat. Pace vero per circuitum parta, auctoque & propagato in omnes partes cum laude atque gloria imperio, reliquum vitæ quieti, & constituendæ domi Reipub. impendit, præcipue autem iustitiæ administrandæ, & subleuandæ hominum miserorum inopiæ. Et proinde ferunt apud eum, quadraginta mensas longas dapibus instructas fuisse, ad quas accumbere tenuioris sortis hominibus quotidie liceret. Ita enim liberalis erat, vt quid auaritia esset, nesciret, pecuniam vero prorsus contemneret. Prouincias & oppida atque omne Regnum, crebro obibat, partim vt ius ex æquo omnibus indigentibus diceret, partim vt priscæ superstitionis ritus extirparet. Vnde omnia, ad decus religionis, salutem Reipubl. ornamentum templorum, & præmia bene merentium de Republ. conferebat. Ipse tamen nusquam ob res bene gestas elatior, aut grauior visus est, sed placidus ac benignus: nusquam fastum minaci ac truculento vultu præ se ferens, sed ciuilem atque amabilem beneuolentiam omnibus exhibens. Cum autem laboribus & contentione animi, confectum atque debilitatum se esse animaduerteret, indictis Gnesnam comitiis, Miecislaum filium successorem sibi, summo totius conuentus consensu designauit; atque paulo post in morbum incidit receptisque de more Christiano sacris mysteriis, tandem ingenti omnium dolore expirauit, cum annos viginti quinque regnasset, vixisset octo & quinquaginta. Igitur tam bene merenti Rege Polonia orbata, vniuersa sese ad mœrorem composuit, & annum integrum in luctu fuit, ita, vt neque conuiuia vlla, neque choreæ celebrarentur, neque cultioribus vestibus quisquam nobilium virorum aut fœminarum sese vestiret, quod non tam illum amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur. Cuius tot præclaras virtutes, piosque manes, nos quoque venerati, addamus postremo sepulchro, seu verius Cenotaphio eius regio, sequens monumentum, præter id quod in Basilia Posnaniensi, vbi conditus est, filius eius Miecislaus, mœstique subditi posuerunt.

Clausit, viator, hoc marmor Boleslaum Chrobrum, Poloniæ Regem. Virum tota Sarmatia longe maximum: imo non Virum, sed Heroem, in toto Principum atque Regum Europæ catalogo, summis animi, corporis, fortunæ ornamentis clarissimum; & dignum, quem ætas omnis, posteritasque deprædicet. Hic enim primus, Polonorum nomen Regia dignitate auxit; Principum externorum necessitudinibus firmauit: & clarissimis rebus gestis vehementer illustrauit, atque religionem stabiliuit: Prussisque ad Christum conuersis, ecclesiam numero credentium, augustiorem reddidit. Ferosque & agrestes tum homines, ad ciuiliorem

rem

rem aliquanto vitæ cultum redegit. Et quod maxime talem ac tantum bellatorem decuit, militarem diſciplinam, proprium decus Sarmaticæ gentis, neglectam inſtaurauit, regnumque Poloniæ, propagatis longe lateque Pomeriis, Boryſthene, Albi & Sala fluuis, carpaticis montibus, & germanico Oceano: gloriam vero nominis Poloni, iisdem pene, quibus orbis terrarum clauditur, finibus terminauit. cum vixiſſet annos LVIII. tantum, regnaſſet nonniſi xxv. Hunc tu viator, velut nouum herculem, columnas ferreas, æternum victoriæ ſuæ monumentum, erigentem, & venerare ob ſublimitatem, & apprecare quietem ob pietatem. Virtutem poſteri imitantor.

IV. LESCUS ALBUS.

INſigni hercle humanarum rerum exemplo Leſcus Albus inter maxime ærumnoſos Principes, diuque alternæ fortunæ fluctibus iactatos, cenſeri poteſt; vtpote qui a patruo ſuo, ter principatu, vna cum matre eiectus, vitam ſæpe inter ſpes & metus valde ſolicitam tranſegerit: nec tamen vnquam animum deſponderit; quod ipſum certe fatalis prope in eo fortitudinis, & infractæ conſtantiæ documentum fuit. Poſt obitum namque patris Cazimiri, omnium procerum conſenſu, puer adhuc, princeps declaratus fuit, cumque Helena matre imperium adminiſtrare ceperat: cum interim inopinato Miecislaus patruus, collecto grandi exercitu, deicere eum contendit: congreſſusque cum Palatino Cracouienſi, qui curator Leſci, pro eo pugnabat, apud Moſgauam amnem, funeſto & ciuili bello decertauit. Vbi dum atrocibus vtrinque animis, a mane vſque ad veſperam pugnatum eſſet, Miecislaus ad extremum victus & ſaucius profugit, amiſſo filio Boleslao, egregio iuuene, qui inter primos fortiter pugnans, in conſpectu patris, haſta traiectus occubuit. Sed cum idem Palatinus poſt obtentam victoriam, decreto Senatus, cum omnibus copiis in Ruſſiam fuiſſet ablegatus, vt Romanum Ducem Vlodimirienſem, ad Halicienſem Principatum, tanquam vaſallum Polonorum deduceret; Leſcusque puer, omnino cum exercitu illo proficiſci ſtatuiſſet, (pertæſum ſe eſſe mollis & ocioſæ vitæ, inquiens, quam eo vſque inter cœtus muliebres, apud matrem exegiſſet: velle deinceps armatum, inter armatos viros verſari, & quæ boni imperatoris eſſent munera, vſu condiſcere. Quod ſi non impetraret, tamen vel cum vno Comite ſe caſtra ſecuturum.) Miecislaus, quod vi extorquere non poterat, ad aſtus & fraudes conuerſus, muneribus procerum animos corrupit, & blandis ſermonibus atque promisſis Helenam, conſilii inopem, deliniuit, ſeque vltro tutorem pupilli fecit. Itaque approbante ſenatu, & indolem dignam principe, & neutiquam degenerem a maioribus ipſius certa-

tim

tim extollente, Lescus cum exercitu proficiscitur, Palatini Crac. custodiæ commendatus. Qui Halicienses cum instructo exercitu obuios habens, minimo negocio eos in fugam coniecit, Sacramentoque ab eis recepto, imperata facere iussit. Cum vero dimisso exercitu victor Cracouiam reuerteretur, Miecislaus patruus, procerum suasu, Cracouiam occupauit, & Lescum reducem principatu deturbauit, consentiente etiam ipsa matre Helena, quæ pollicitationibus eius illecta, assumpto secum filio puero, Sendomiriam commigrauit. At posteaquam non stetisset pactis Miecislaus, & nonnullos ex proceribus, possessionibus illorum deturbaret: deturbatus & ipse statim principatu fuit: ac Lescus iterum cum Helena matre accersitus, arces omnes, atque oppida ditionis Cracouiensis, nullo negocio recepit. Sed non destitit nihilominus, deiectus principatu Miecislaus, rursus ad eum aspirare: & quia bello eum repetere perdifficile esse duceret, idcirco Helenam iterum blanditiis atque dolis aggreditur, promittitque multa, suadet, iurat & minatur. Ac denique permittente inconstanti atque credula muliere, quæ ciuiles tumultus verebatur, & maximopere bella subterfugiebat, inuadit principatum & possidet. Cæterum non diu illo gaudet. Inopinata etenim morte oppressus, finem turbarum fecit: dignus hercle eo patriæ dominatu, nisi ingenium eius impotentes liberi auaritia, libidine, & crudeli fastu cuncta perturbantes, ad exitialem insolentiam propulissent. Lescus autem, iam ætate adultior, tertio ad principatum a proceribus vocatus, venire amplius recusauit, quod sibi conditio esset apposita, Gouoricium Palatinum Sendomiriensem, ab aula relegare, cuius ille fideli semper opera, & consilio vtebatur. Eo vero magis, quod eum, licet cunctantem Gouoritius vltro hortaretur, ne sua causa tanta commoda negligeret. Male, inquiens, sibi suisque posteris Lescum consulturum, si propter se vnum seniculum, & paucos, atque eos incertos dies vitæ suæ, in aliam familiam transferri principatum sinat. Libenter se pro eius commodis atque honore in exilium abiturum, pro quo vitam quoque ponere deberet. Cæterum Lescus negauit tanti se facere principatum, vt eius adipiscendi gratia, tam fidum consiliarium proderet, immerentemque magistratu simul & patria eiiceret: proinde, alium sibi proceres istis legibus Principem quærerent. Itaque Sendomiriensi ducatu contentus mansit, & cum interea temporis Russi numeroso exercitu Poloniam ingressi, eius quoque ditiones populationibus vastarent, occurrens eis celeriter Lescus cum suis legionibus, prælium cum iis iusta acie ad Zauichostum iniit, & ad internecionem fere omnes deleuit, occiso & duce ipsorum Romano Haliciensi Principe, quem non ita pridem ipse Lescus ad eum principatum armis promouerat. Ingratum itaque sua nemesis per-

ſecuta eſt, Leſcus autem magnam profectò hac victoria virtutis opinionem, apud ſuos pariter atque exteros conſecutus. Quare ſummoto principatu Vladislao Laſconogo Miecislai filio, Leſcum iuſtum principem proceres, concordi omnes voluntate, tertio ſublimarunt Anno reparatæ ſalutis 1206. Quo nemo ætate illa e Sarmatiæ regulis, vel ingenio acutior, vel illuſtribus bello factis præſtantior fuit: quippe qui ſecudo illo cum Ruſſis prælio, & maxime ardentis, & imperterriti bellatoris laudem, apud omnes fuerat conſecutus. Igitur imperio admotus, Meſcislaum Roxolanum, cum Polouuciis & Ruſſis ſuis Poloniam inuadere patantem, ita vnico prælio profligauit, vt cæſis in acie per multis millibus, quinque inſuper Ruſſorum Duces, per Sulislaum Caſtellanum Sendomirienſem captos, in triumphum duceret. Quos aliquandiu in vinculis habitos, poſtea dimiſit: & nullum deinde quoad vixit bellum geſſit, pacis artibus totus deditus. Ductaque vxore Crimislaua, Iaroslai, vnius ex captiuis illis Ducibus, filia, Boleslaum ex ea filium, qui poſtea Pudicus appellatus eſt, ſuſcepit: atque demum in maiorem Poloniam profectus, ad Marcincouum pagum a Suantopelco citerioris Pomeraniæ Satrapa, quod Ducem eum creare noluiſſet, fraude circumuentus interiit. Anno virginei partus MCCVII. Offenderat enim eum Suantopelcus in balneo ſe lauantem, nec quicquam a vaſallo ſuo hoſtile ſperantem: quem cum a ſe armatum venire Leſcus animaduertiſſet, proſiluit ex aqua nudus, & equum caſu ab hoſtibus procurrentem nactus, fugæ ſe totum commiſit; ſed vbi effugere inſequentium manus non potuit, conuerſo equo ne inultus caderet, nudus propemodum cum armatis dimicauit & ſic fortiter occubuit. Cum annis triginta tribus regnum proſpere adminiſtraſſet. Corpus Cracouiam relatum, & iuſtis exequiis per totam Poloniam parentatum; ſiquidem eum omnes hominum ordines luxere, tanquam Patriæ parentem, incredibili hercle cum mœrore: præſagientes vtique veriſſimis lachrimis, imminentem duriſſimorum temporum conditionem qua cunctas a ſuperuenientibus Tartaris, acerbitates mortis perpeſſi, omnino crudelius atque funeſtius a digladientibus inter ſe de regno Dynaſtis, quam ab hoſte, concaſuras ipſorum fortunas diuinarent. Sed & nos tam inclyto Regi, hoc monumentum, virtutis, rerumque geſtarum gloriæ ergo, merito inſcribendum diximus.

Iacet ſub hoc marmore, viator, inclytus Poloniæ Princeps Leſcus, cognomine Albus. Dignus, ob fati ſui atrocitatem, planctu lachrimiſque poſterorum, cuius heroicam fortitudinem, in puero adhuc, tota demirata eſt Sarmatia: cuius generoſum pectus, & Fortunæ ſuæ contemptorem animum, in adoleſcente, venerati ſunt vniuerſi Poloniæ ciues: cuius continuas in ætatula illa victorias, & triumphos, extimuerunt omnes vicini populi is ſiquidem decennium vix egreſſus

Halicienses Russiæ populos, graui prælio deuicit, & duce illis imposítio, imperata facere compulit. paucosque post dies, rebellionem molientes, fœdissima strage ad Zauichostum cecidit: duce etiam ipsorum Romano occiso, diuina Nemesi ob ingratitudinem eum persequente, idem paulo adolescentior, principatum Poloniæ, a quo bis iam fraude Miecislai patrui, cum matre Helena, deciderat, a proceribus regni oblatum, animose contempsit, ne animicum relegaret, cuius consilio vtebatur. susceptum deinde, ita prudenter & moderate rexit, vt omnium opinione, optimus haberetur quique tumidos Russorum animos, statim ab inauguratione, vno prælio ita contundit, vt quinque simul eorum Dynastas, in triumphum duceret: & pacem sibi in posterum, ab omnibus vicinis Principibus, vel sola hac victoria compararet, hic igitur tantus & tam inclytus bellator, dum regni sui Prouincias obit, & singulas satrapias lustrat, proch Scelus, a vasallo suo inopinato perit. (is fuit Suanto pelcus Pomeraniæ citerioris Toparcha) qui dum ducis titulum a Lesco impetrare nequit, nihil hostile metuentem, principem suum, in balneo circumuentum, cum armatis opprimit: anno virginei partus MCCVII. *Tu quisquis es: si pius es, ne parcito lachrimis, & iuuenis optimi, dole vices.*

V. BOLESLAUS CRIVOVSTVS.

QVis altior fuit inter Sarmatas, & excelsior Boleslao Criuousto? quis natura ad res præclare gerendas excitatior? Hunc legimus nouennalem adhuc a patre missionem efflagitauisse ad bellum Bohemicum, quasi pertæsum ignauiam suam, quod nihildum a se memorabile actum esset: in ætatula illa, qua cæteri Principum filii, trocho aut nucibus ludunt. Itaque genua patris amplexus exorauit, vt cum Sececho Palatino Cracouiensi mitteretur: nam Vladislaus pater, aduersa valetudine affectus, ipse ad eam expeditionem ire prohibebatur. Vbi ad exercitum ventum est, puer singula quæ fiebant curiosius obseruare. versari inter ordines, omnibus arridere, æstum, algorem, imbremque pati, vigilare, humi cubare, vigilias cum Sececho obequitare, aliaque multa præter ætatem facere ferreque: ita, vt indoles illa, stadiumque pueri, futuram eius magnitudinem non obscure portenderet. Igitur terram hostilem ingressius, cuncta ferro ignique deuastauit: profligatisque quæ sese opposuerant Bohemorum copiis, Morauiam vniuersam depopulatus est, & ad patrem cum exercitu incolumi, atque præda onusto, sub autumnum rediit, vt militem in hyberna dimitteret. Nec diu tamen a bello feritati sunt: subito enim Boleslaum pater, hac gloriæ face incensum, ad Cassubios compescendos, Secechi iisdem curæ fideique commissum, miserat: namque illi Modirecia arce fraude intercepta, prædones ad se vndique aggregabant, & latrocinia inde in

de in subiectas oras passim exercebant. Horum itaque excursionibus Boleslaus foriter represssis, & arce ipsa intra paucos dies expugnata cum totam prouinciam pacasset, ad patrem ouans reuersus est. Jterumque contra Pomeranos, atque eosdem Cassubios, sese occasione belli ciuilis inter Polonos, subleuantes, a patre Vladislao, absque collega iam, seu curatore missus iusta acie bis profligauit hostes, & summa celeritate confecto bello, victor cum longo captiuorum agmine, amplisque spoliis ad patrem rediit. Qui alendam laude atque honore, præcocem adolescentis virtutem existimans, baltheo cum militari, quatuordecim annos natum, cingere statuit, atque vna nobiles iuuenes, qui virtutis aliquod specimen, cum eo militans ediderant. Conuocatis itaque vtriusque ordinis primoribus, ad præstitutam diem Ploscum, cum omnis letitiæ modos, & ludos militares peragere inciperet, ecce nunciatur interim, Pomeranos reassumptis viribus, summa vi Santocum arcem & oppidum oppugnare. Itaque Boleslaus cum equitibus, quos ad manum tunc habere poterat, nequicquam retinentibus patre & proceribus, ad ferendam obsessis opem, celeriter excurrit: & continuato die noctuque itinere, summo diluculo in hostes, securos ab ea parte, irruit: perterritosque inopinato eius aduentu, vel contrucidat, vel capit: atque mox ad intermissam celebritatem Ploscum, trophæa deferens, reuertitur, & ingenti lætitia patrem omnesque perfudit. Idem anno insequenti, qui fuit a Christi ortu millesimus centesimus secundus, patrem iam iam moribundum exhilauerit, profligato ad Vistulam validissimo Russorum exercitu, & pene ad internecionem deleto: qua victoria senex audita, pridie Nonas Junii lætus sane expirauit, eumque moriens sceptri hæredem fecit. Cuius ille tanto desiderio tenebatur, vt diu lachrimis & fletibus non temperaret: gestebatque de collo suspensam eius imaginem auro incisam, qua subinde memoriam eius sibi refricaret, & quicquid vel faceret, vel loqueretur, sic ageret, quasi inspiciente omnia & exaudiente patre. Non eodem sane modo frater eius Sbigneus, patris mortem tulit, quem vt primum expirasse inaudiit, extemplo manus thesauro iniecit, qui in arce Plocensi asseruabatur. Sed proceribus sese interponentibus, partem tantummodo accepit: & statim ad Boemum, hostem patriæ se contulit, vt inde commodius exitium moliretur fratri, qui legitimo matrimonio natus legitime in principatum successit, Sbigneo tanquam notho excluso. Cum igitur Boleslaus luctu annuo exacto, nuptias suadente senatu, cum Sbislaua Stopolci Michaelis Kiouiensium Principis filia, solenniter celebraret, ille sumpto Bohemi exercitu, in ditionem Boleslai ingressus, arcem Grezam appellatam, oppugnare cœpit. Ergo Boleslaus subsidio suis Zislaum ducem summissit, & vt populationibus continuis totam Morauiam vexaret,

imperauit. Et is non prædas tantum inde, vti iussus erat abegit, sed instructa etiam acie, cum Suatopelco Morauorum Duce decertauit: vbi dum vtrinque acriter res geretur, Zislaus vt victoriam suis pararet, non ducis modo, sed militis quoque officio functus, dextram in eo prælio amisit. Quem Boleslaus collaudatum pro meritis & virtute, aurea manu donauit: ipseque deinde cum iusto exercitu Morauiam ingressus, vniuersam fere, nemine prohibente depopulatus est. Similiter & Pomeraniam; Scarbimiro equitum magistro in illa expeditione rem strenue agente. Cum quo, dum ad equitis cuiusdam nuptias cohonestandas Boleslaus descendisset, & paulo hilarior, venatum in proximam syluam, cum centum equitibus, e conuiuio se proripuisset, in Pomeranos, qui tunc forte in Poloniam, sua damna compensaturi, tria millia equitum excursionem faciebant, inopinato incidit: & fugere turpe ratus, manus cum illis, magno animo conseruit: perruptoque iterum atque iterum hostili agmine, stragem in eis maximam edidit, & tandem septuaginta de suis amissis atque equo ex vulneribus deficiente, saluus euasit, hostibus in stuporem versis, & persequi abeuntem non ausis. Siquidem sui, re cognita, ad ferendam Principi periclitanti opem, passim e conuiuio accurrebant: temeritasque Principis prosperum euentum sortita est; licet Scarbimirus valde fuerit consauciatus, & dextrum etiam oculum amiserit. Verum enimuero iste, cum valido postea exercitu a Boleslao in eos missus, satis superque vltus est vulnerum suorum: superueniensque Boleslaus ipse, postquam Bialogrodenses frociores cæteris fortiter expugnauisset, totam facile Pomeraniam in potestatem suam redegit, Gneuomirumque Ciarnicouensem Dynastam Christianum fieri iussit, atque eum ipse de sacro fonte leuauit. Gessit Boleslaus & cum Hungaris, Bohemis, Germanis, Russis, Pruthenis, Danis, aliisque belliciosissimis populis atrocia bella, quæ sigillatim describere longum sane esset: duas tantummodo præcipuas eius victorias attingamus, quarum prima fuit illa toto orbe celeberrima, quum Henricum V. Imperatorem, ad Vratislauiam, cum numerosissimo exercitu profligasset: vbi locus pugnæ etiamnum hodie campus Caninus appellatur, quod in sepultis corporibus Germanorum, tanta eo vis canum conuenisset, vt difficilem transitum præberet iter facientibus. Altera vero ad Naclum, vbi de quinquaginta millibus Pomeranorum, viginti semptem millia cæsi in acie, capti bis mille: exceptit qui in fuga, lacubus atque paludibus, vt est a quis plena ea regio, hausti perierant. Cæterum, quia nihil omni ex parte beatum, nihilque stabile in rebus humanis fortuna esse sinit, eius quoque felicitatem, qui quadragies septies victor euaserat, nonnulla ex parte contaminauit. Circumuentus siquidem ad Haliciam fraude Russorum, cum satius duceret honeste occumbe-

re,

re, qui ſemper ſolitus eſſet vincere, quam fugiendo victoriam vltro hoſti concedere, deſertus ab omnibus, coactus eſt tandem & ipſe ſibi fuga ſalutem quærere. Orto etenim fugæ initio, a Vſeborio Palatino Cracouienſi militiæ magiſtrato, ſolus pene, vel cum paucis in acie remanſit: cum quibus militis pariter & imperatoris officio fungens, magnam nihilominus ſtragem in hoſtibus edebat, ne inultus mortem oppeteret: Sed quum iam equum multis vulneribus confoſſum amiſiſſet, gregarii cuiusdam & obſcuri militis ſuaſu, præſenti ſe morti eripuit: qui, vt patriæ magis, quam gloriæ ſuæ rationem duceret fugaque melioribus ſe rebus ſeruaret, orauit, & eum equo ſuo impoſuit. Itaque reuerſus in Poloniam, Palatino quidem fugæ authori pellem leporis, colum, & fuſum miſit, meticuloſitatem eius & animum muliebrem notans: (qua ignominia ille ad voluntarium ſuſpendium adactus eſt) militem vero ſalutis ſuæ authorem (nam & is forte ſaluus e prælio euaſerat) baltheo equeſtri, & amplis poſſeſſionibus remuneratus, etiam ad honores & magiſtratus euexit. Ipſe autem conſpectum hominum exinde & colloquia vitabat, pudore ſimul ac dolore ſtimulantibus: exque mœrore illo & anxietate animi, in languorem corporis breui & morbum lentum incidit: neque ita multo poſt, ſacris Chriſtianorum myſteriis perceptis, vita exceſſit, maximo totius Poloniæ deſiderio, cum regnaſſet anno 36. vixiſſet 53. Funus Ploſcum ſolenni pompa elatum, & iuxta patrem conditum eſt. Cuius nos ſepulchrum, quia auro gemmisque ornare non poſſumus, verbis ſaltem ſcribendo Epitaphio, pro modulo noſtro cohoneſtemus.

Vides hanc templi molem, viator, vide etiam intus nobile pario lapide mauſolæum, in quo, Boleslaus, Patre Vladislao Hermanno, matre Iuditha, Vratislai Bohemorum Principis filia ſanctiſſima fœmina natus, cognomine Criuouſtus, repoſitus quieſcit. magnus, & incomparabilis Sarmaticæ gentis heros: miles ſtrenuus & audax: Dux prouidus & ſolers: animoſus imperator & felix: ſiq. ætatem, quia in caſtris verſari cœpit, conſideres, pullum martis dices quadragies enim ſepties, de Bohemis, Germanis, Ruſſis, Hungaris, Boruſſis, Caſſubiis, Danis, atque Pomeranis victor, maximorum regum famam, rerum geſtarum felicitate continuâ exæquauit. Idem, pacis artibus clarus: iuſti & æqui obſeruantiſſimus: modeſtiæ & clementiæ cultor ſingularis fuit; in milites vero & egenos liberaliſſimus: laudis & gloriæ immortalis cupidus, atque beneficentiam natus, prius certe viuendi, quam bene de omnibus merendi finem fecit. Vndecima ætatis ſuæ olympiade. æræ autem Chriſtianæ. MCXXXVIII. *cuius immaturam mortem, non modo ſubditi, ſed hoſtes etiam ipſi, & circumuicini populi diu luxere*

Hoc volebam, vt ſcires, viator. Abi,
Et manibus tanti Herois bene precare.

VI. CAZIMIRVS MONACHVS.

LIceat armatis, cucullatum quoque inferere, & ab infigni erga patriam pietate, æternis fcriptorum præconiis celebratum; quin nec militarium ciuiliumque artium imperitum, in hanc militarium virorum paleftram producere, Cazimirum videlicet Regem, regia ftirpe prognatum: hoc eft Miecislai Regis filium, Boleslai Chrobrii nepotem. Sed poft obitum patris, a ciuibus fuis ob crudelem Rixæ matris Dominatum, patria pulfum. Cum hac ille in Germaniam delatus, cum in aula cognati Imperatoris, nihil opis inueniret, & paulo poft inde, in Gallias ftudiorum caufa ablegatus effet, quietiorem fecurioremque vitam amplexus, Cluniaci habitum religiofum fumpfit, facrisque pro more admodus. Diaconi iam officium peragebat. Cum ecce interim Poloniæ ciues, toto feptennio, internis externisque malis attriti, publico eum decreto ad capeffendum paternum folium, reuocandum fanxerunt: folutumque Sacramento, a Benedicto IX. Pontifice Max. fumma omnium ordinum lætitia, Gnefnæ de more inunctum fublimarunt. Qui mox ad componendam Rempubl. animo adiecto, pacem inter diffidentes feliciffime confecit, vicinorum fœdera renouauit, & cum Principe Rufforum Iaroslao (qui impofitum fibi a Boleslao Chrobrio iugum, patre Cazimiri, Miecislao regnante excufferat) affinitatem iniit, forore eius Maria, cum ampla dote in vxorem accepta. Tum demum ad bella conuerfus, illos imprimis armis perfequendos effe duxit, qui ducem Mafouium, ex pocillatore regio, tyrannum factum, fecuti aufu temerario, fe Maffouios appellarunt, inque belli focietatem, contra Cazimirum, Pruffiæ populos omnes pertraxerunt. Fit igitur acre prælium, hinc iufta ira, illinc veniæ defperatione pugnante, & potentiam, dignitatem, vitamque ipfam vtrisque vel vna alea conferuare conantibus: fed franguntur tandem funduntur que coniuratorum acies, & dant manus victori Regi: Mafouii etiamnum ab illo tempore fic vocitati; verum Dux ipfe author belli fuga elapfus ad Iazyges fefe contulit. Quibus interregni tempore, ob certamina potentium, & auaritiam magiftratuum itidem ad rebellionem proruentibus, bellum facile perfuafit, contra Polonos; & nunc acie profligatus, non modo auxilia ab illis tributa Cazimiro denegantibus impetrauit, fed validos quoque exercitus. Cum quibus iufto prælio Cazimirus, alias multitudine illorum perterritus, fortiter dimicans, miraculofe demum victoria potitus eft. Confpecta etenim in acie, augufta fpecie iuuenis cuiusdam, qui candido equo infidens, in hoftiles turmas vexillum inferebat, ita animos fumpferat in rebelles, vt cæfis in acie quindecim millibus, captisque duobus, ad foliti eos tributi penfionem adigeret: atque exinde cæteris metuendus, vniverfum regnum facillime pacaret. Sed &

Bohe-

Bohemos ex eadem occasione, sese in libertatem vendicantes, post aliquot feliciter peracta prælia, vectigales sibi reddidit. Hisque peractis, ad pacis artes conuersus, ita rempubl. gubernauit, vt nobilitatem in honore habere, populum alere, & patriam tranquillitate atque opibus florentissimam reddere, assidue contenderet. Erat enim in pupillos & viduas clemens & beneficus, in militares viros liberalis, in Ecclesiasticos homines inprimis propensus, in omnes autem iustus, comis & benignus: & vt vno verbo dicam, Christianis moribus princeps. Qui cum decimum octauum regnaret annum, graui morbo afflictus, quarto demum Kalendas Decembris, extremum vitæ diem clausit, Anno reparatæ salutis 1058. duobus filiis Boleslao atque Vladislao relictis: tumulatusque ab iis Posnaniæ, cunctis collacrimantibus. Cuius nos sepulchrum, Epitaphio scripto pro virtute, cohonestemus.

Subsiste parumper viator, si placet, & quis hoc tegatur tumulo, lege. Fuit hic Cazimirus Monachus, primus eius nominis, Rex Poloniæ, primusque inter Sarmatiæ principes literas callens. Qui matris culpa exilium passus, sacrisque in Benedictina Religione destinatus, exsacrante Benedicto Pont. IX. tandem senatus decreto, in patria rediit: & cuncta discordiis ciuilibus pessa, nomine Regis sub imperium accepit: prostratamque ferrei seculi injuriis Poloniam, usque adeo felici rerum omnium prouentu erexit, vt pristinæ amplitudinis ornamenta reciperet: & post deuictos rebelles Masovios, Iazyges, atque Bohemos, pace pulcherrima sub illo floreret. Hic igitur tam clarus pace, tam gloriosus victoriis, tamque charus subditis, & hostibus metuendus Princeps, cum XVIII. feliciter regnaret annum, lento morbo correptus, decessit ex mortalibus, non plane senex, ab ortu mundi rediuiui. MLVIII. anno. Et inter priscæ ætatis heroes, mirifica pietate, in cœlo Beatas sedes meritos, æterna nunc felicitate perfruitur.

VII. BOLESLAUS AVDAX.

NOn abs re sapiens quidam dixit. Magnanimitatem moderatam esse debere: cum plerunque ad iniustas res impellantur, qui nimirum sui pleni, & gloria, & magnanimitate, plus quam par est, efferuntur: imo eo inducuntur, vt Deum contemnant, religionem fastidiant, leges negligant, bella vicinis temere inferant, monitores aspernentur. Quod in Boleslao Rege manifeste videre est: qui licet ab adolescentia honeste ac liberaliter educatus, bonæ maturæque frugis spem præberet, virque deinde factus secunda virtutis fama militiæ versaretur: tandem ad extremum impigit, & ex optimo bellicosissimoque Rege, Tyrannis factus adeo acerbus, vti iam illius nomen toti mortalitati res sit inuisa atque detestabilis. Quem dum

dum inclytis Sarmatiæ nostræ Heroibus insero, non committam equidem, vti, quod omnes merito reprehensione dignum censet. id ego probare vllo pacto videar. Scio enim, & doleo medius fidius, fuisse illum occisorem Sancti Episcopi, & in subditos plus iusto atrocem. Turpe profecto facinus: & quod furiarum vltricibus pœnis multandum haud negamus. Verum ea res, etsi illum e numero Optimorum principum expungit, interque crudeles locat, tyrannosque: tamen nunquam efficiet, vti propterea maximis accenseri heroibus non debeat, qui rebus præclare gestis Sarmaticum nostrum cœlum exornarunt. Tradunt etenim rerum nostrarum scriptores, tanta eum animi magnitudine, & virtute præditum fuisse, vt inuicto spiritu altitudineque solertis ingenii, & vi eximia corporis, peritia & fortuna belli, maximorum imperatorum gloriam æquasse censeretur. Is ab ineunte ætate, cunctis belli artibus instructus, viros fortes liberalitate vndique sibi asciscere, magno sumptu explorare hostium facta dictaque, induciarum bellique gerendi occasiones præsentire, victoriis modum imponere, fortuita incidentium casuum præsenti semper ingenio ad consilium rationemque flectere, probe didicerat. Ad quem, cum primis tribus annis, tres illustres exules, (Jzaslaus Princeps Kiouiensium: Bela Dux Hungariæ, Andreæ Regis frater: & Iaromirus, Prædislai Bohemorum Principis filius) confugissent, magnam ei materiam sequentium bellorum præbuerunt. Atque inprimis Vratislaus Bohemorum Princeps permoleste ferens, receptum ex fuga, fratri suo Iaromiro in Polonia patere, cum infesto exercitu Silesiam ingressus, omnem fere eram populatus, igni terroque vestauit. Quo Boleslaus permotus non tantum inopinantem celeriter cum suis copiis superueniens repressit, sed etiam vniversam Morauiam, quæ Bohemi erat, bello oppressit: adeo, vt Vratislaus pacem petere cogeretur; & Boleslai sorore Suatana, in matrimonium accepta, Iaromirum fratrem in gratiam reciperet: qui Pragensis primo, deinde Olomucensis Episcopus fuit. Interim Prussi contemnentes Boleslai Regis adolescentiam, & quod eum Bohemico bello distineri sciebant, rebellarunt, Pomeraniamque finitimam depopulati sunt, atque arces nonnullas, quo se cum præda recipere possent, fortiter communierunt. Verum Boleslaus dicto celeriter in eos exercitu, ingenti strage ad Ossam fluuium edita, breui spatio in potestatem suam redegit. Mox Prussicum belbum excepit Hungarica expeditio; nam Boleslaus Belæ exulis precicus fatigatus, reducere eum, tanquam propinquum suum instituit; & tribus agminibus Vngariam ingressus est. Nec Segnius Andreas Rex hosti aduentanti ad Tibiscum amnem occurrit, magnas Hungarorum, Germanorum & Bohemorum copias ducens. Et Germanis quidem, ab Henrico III. Imperatore missis, Guilhelmus & Bothus, duces præ-

præfuerunt. Bohemis Vlatislaus ipſe, Princeps, fœderis & cognationis nuperrime factæ oblitus, præerat. Concurritur itaque infeſtis ſignis, & aliquot horis dubio Marte pugnatur. Ad extremum, cedit loco Andreas, & omnes ſuæ copiæ; & Boleslaus victor, Vratislaum Bohemorum Principem atque Duces Germanorum captos, in triumphum in Poloniam duxit. Belam vero Albe Regiæ in ſede regia collocauit, cum Andreas fugiens in Sylua Bocouienſi a ſuis oppreſſus eſſet. Reuerſus itaque Boleslaus, ſummo ſtudio ad bellum Ruſſicum ſe præparabat, & Izaslaum cognatum conuocatis exercitibus deducere volebat, cum interim trepidi Roxolani ad Izaslaum accurrunt, & rediret pacificus in patriam reciperetque vniuerſos ſub tutellam, obnixe orant. Reſtituto itaque Boleslaus in paternum principatum Izaslao, ſequenti anno ſtatim Præmislienſem ducatum ſuæ ditionis fecit, & dum immoraretur ibi Salomon Andreæ filius ab Henrico IV. Imper. affini ſuo in Hungariam poſt obitum Belæ, reductus, Geiſam, Vladislaum, & Lampertum, filios eius regno expulit: qui ſupplices ad Boleslaum recta, & opem implorantes venerunt. Igitur ille, reducendos ratus, iterum cum infeſtis copiis Hungariam intrauit: & Episcoporum cura his conditionibus eos in patriam reſtituit, vt Salomon duas regni partes cum regio honore teneret, illi tertiam, ducum nomine contenti. Quo confecto, dum ad continuandum Ruſſicum bellum regreditur, reperit Izaslaum principatu Kiouienſi iterum a fratribus, prætextu controuerſorum finium, illato bello eiectum. Itaque æſtate quæ ſecuta eſt in Volhyniam mouens, vniuerſam prouinciam anno illo debellauit, Duce ipſorum Georgio, poſt longam obſidionem ſeſe dedente, & promittente datis obſidibus, imperata facturum. Anno ſequenti deinde, ad Kiouiam mouit: & obuium Vſeuolodum cum exercitu habens, fortiter cum eo conflixit, plusque mille de ſuis amiſſis in fugam eum conuertit, & non multo poſt Kiouiam ipſam obſidione & oppugnationibus afflictam, in ſuam poteſtatem recipit, vectigaliaque toti Ruſſiæ impoſuit, Izaslao ſummæ rerum præpoſito. Cæterum quia diutius ibi, quam oportebat, vrbis amœnitate captus, immoratus eſt, totum robur hominum noſtrorum, illecebris opulentæ vrbis vt Pœnorum olim apud Capuam, elanguit, & ille victor exercitus, deuictæ vrbis lasciuia & flagitiis victus eſt. Qui dum ſoluta diſciplina, demum diffugere cœpiſſent, veritus ne Ruſſi, deſpecta paucitate Polonorum, opprimendi ſui conſilium inirent, raptim cum reliquis conſequitur. Et ea quibus initium fugæ ortum erat, eos capitali pœna affecit, tam inſueto more puniendi, vt etiam in vxores illorum ſæuiret. Tum & ipſe fœdis libidinibus irretitus, non iuſtam amplius dicebat, aut vindicabat iniurias tenuiorum, ſed ad auaritiam verſus, nouis plebem grauibusque exactionibus

premebat, ſed nobilibus matronis palam per adulterium abutebatur, ſed ſcelera indies varia grauioraque ſine verecundia committebat. Quæ dum Stanislaus Episcopus Cracouienſis, vir innocentiſſimæ vitæ, magnæque ſanctimoniæ acrius arguit & obiurgat, Boleslaus furore percitus virum integerrimum ad altaria rem diuinam facientem occidit. Itaque Pont. Max. Gregorius VII. toti Poloniæ ſacris interdixit, & Boleslaum diris deuouit: qui inuiſus omnibus conſpirare in ſe ſubnitos animaduertens, in Hungariam, cum filio Miscone profugit. Inde exagitante conſcientia, clam vltro inter Alpes abiit, & in Monaſterio Carinthiæ Oſſia, prope oppidum Feltkirchen, in coquinæ miniſterio vitam finiit: ibidemque ſepultus in Cimiterio Eccleſiæ. Viſum autem eſt nobis & hunc conuenienti epitaphio vel honorare, vel plangere.

Quod nouiſſe iuuabit perlegant omnes. Boleslai, ab animum periculorum contemptorem, audacis cognomen, inter hereos Sarmatiæ, promeriti, heic iacent oſſa. Qui adolescentulus adhuc, ſingulari induſtria, liberalitate, animi magnitudine, laudisque & gloriæ ſtudio præditus, ad res maximas gerendas factus, & regno digniſſimus videbatur. Qui ſceptris paternis potitus, tanquam ad Aſylum, accurentes ad ſe e Bohemia, Ruſſia, & Hungaria exules, quemque ſuo principatui reſtituit. Qui Guilhelmum & Bothum Henrici III. Imper. Duces: Vratislaum Bohemiæ principem: & Georgium Volhyniæ Ducem: captos in triumphum duxit. Qui almam amplamque illam vrbem Kiouiam, quondam Ruthenici Imperii ſedem, tributariam Polonis in hodiernum vsque fecit. Partisque tot maximis victoriis, per vniuerſum ſeptentrionem glorioſus fuit.

Sed oluctuoſam & formidandam rerum inconſtantiam: ſub ipſum pene iucundiſſimæ nauigationis curſum, in blandos ſyrenum ſcopulos impegit, & luctuoſiſſimum nauſragium fecit infeliz.

Hic etenim ex nimia felicitate, inſania abreptus, ſanctum monitorem, Stanislaum Præſulem, ſua manu occidit ad altaria: exque optimo illo rege, quem natura omnibus ornatum rebus excellere voluerat, factas ſubito immaniſſimus tyrannus.

Hic eſt, cuius zelus in Ruxolanos crudelis: futor in Sacerdotes acrilegus: Barbara & inſolens feritas in nobiles Polonorum matronas. Quique ob nefaria atque atrocia ſcelera, cunctis exoſus, regno demum, & communione Chriſtianorum excidit.

Donec reſpiciente Domino, ſe ipſe reſpexit, ſimulque qui ceciderat ſurrexit. Et qui parierat, inuentus eſt. Omnem enim illam inſaniam excratus, in optatum pœnitentiæ ſinum (in Monaſterio oſſa, culinæ miniſteriis deditus) confugit: aqua, vt par erat exceptus, & virga virorum caſtigatus, ſpei æternæ vitæ

vitæ restitutus est. Regnauit annos XXII. & exinde Regem Polonia habere desiit.

Vale viator, & dic Regibus, vt Boleslai recordentur.

VIII. VLADISLAVS HERMANVS.

LIceat, ob virtutem & ingenium egregie firmum stabileque & præcellens, Boleslao Audaci subiungere fratrem eius germanum. Vladislaum, Hermanum cognominatum, Cazimiri Monarchi filium: Virum integra ætate florentem, & quem ad extendendam famam, excitabant mirum in modum, tot Boleslaorum illustre & vere Martium nomen, antiqua maiorum decora, & recens vel infelicis fratris exemplum, sub quo variis vtriusque fortunæ documentis, probe obseruatam & exercitam militarium operum disciplinam hausisset. Ergo statim initio principatus sui, commotam non nihil Poloniam, post expulsum fratrem, ob necem D. Stanislai, magna dexteritate pacauit, latrociniisque purgauit. Et mox ad compescendos Pomeranos, qui vna cum Prussis, Cassubiis atque Roxolanis, eiectis sub tempus interregni Polonorum præsidiis, sese in libertatem vindicarant, cum infestis copiis progressus, triennali bello eos fatigauit: & aliquot demum præliis fractos, imperata facere coëgit. Eadem prosperitate perdomuit & Borussiæ feroces populos: secutumque statim Boemicum bellum: quod vt temere excitatum, ita cito, neque graui admodum exitu consopitum fuit. Prædislaus etenim Dux Bohemorum, immemor necessitudinum, quæ ipsi cum Vladislao intercedebant, videns eum Pomeranico & Prussico bello implicatum, Poloniæ fines cupiditate prædæ cum exercitu inuaserat, omnemque eam oram, quæ ab Albi fluuio, vsque ad Oderam amnem extenditur, copiosam diuturna pace & abundantem, incendiis & populatione diuexauerat. Hanc iniuriam vlturus Vladislaus, quia ipse aduersa valetudine prohibebatur, Secechum Palatinum Cracouiensem, præstantem in re militari virum, cum filio nouennali Boleslao, primo vere præmiserat: qui vastata igni ferroque, ditionis Bohemicæ Morauia profligatisque aliquot secundis præliis, hostium copiis quæ sese nostris opposuerant, reduxerat exercitum incolumen in Poloniam & præda onustum. Nec multo post & Cassubios, qui arcem Medireciam interceperant, ex ea latrocinia in subiectas oras exercens, per eundem Secechum coercuerat, arce illa munitissima fortiter expugnata. Similiter & Pomeranos: quos cum Sbigneo filio naturali, contra se insurgentes, graui clade ad Crusuiciam afflixerat, ipse inter confertissimos hostes non Ducis tantum, sed & militis fortissimi suis exempla præbens, licet non satis firma vale-

letudine esset: filiumque captum in eo prælio, diu in carcere habuit. Iterumque eos excutientes iugum, fœdissimis cladibus affecit, per filium Boleslaum, quietosque esse adegit. Pari modo & Russiæ populos, Ducibus, Volodimiro Nouogrodensium: Dauide Olecho Pereaslauensium: Volodoro Præmisliensium, Satrapis: & Jaroslao Iaropelci filio, Poloniæ fines, cum valido exercitu inuadentes: qui longe maiore, quam pro numero nostrorum strage fusi, temeritatis & perfidiæ suæ pœnas dedere. Anno a Christo nato millesimo centesimo & secundo. Quo anno etiam Vladislaus ipse morbo & angore, ob discordiam filiorum cum Sececho, viro de se bene merito, confectus, obiit pridie Nonas Iunii, cum viginti regnasset annos, vixisset promedum quinquaginta nouem. Et quamuis solenni pompa a filiis, & magna procerum atque nobilitatis frequentia fuerit sepulchro conditus, in Basilica Plocensi; nihilominus & nos quoque, eius Cenotaphium, hoc breui epitaphio condecoremus.

Euge viator. Quiescit sub hoc marmore, Vladislaus Hermanus, Polonorum fama, & belli gloria inclytus Princeps. Qui profligatis Bohemis, coercitisque rebellibus subditis, Russis, Prussis, Pomeranis, & Cassubiis, tot victoriis felix & gloriosus, metuens ne rebus præclare gestis, sui oblitus, supra humana extolleretur, vt frater Boleslaus, Diui Stanislai interfector, viuens sibi sepulchrum, in Basilica Plocensi, confecit. Quod sæpius perlustrans, sæculi huius pompam & gloriam, nihil præter vanitatem, nugas, & tabulas esse putauit: atque propterea tota vita, incultu & vestitu, modestissimus fuit: subque extremum ætatis incitantibus nonnullis proceribus, indigne a filiis exagitatus, cuncta aduersæ fortunæ iacula, tam fortiter excepit, quam feliciter auertit, & cum alias semper firmo pectore, tum in morte quoque fuit. Et Anno Christi MCII. in patriam æternæ gloriæ euolauit, cum regnasset annos XX. vixisset. LVIIII.

IX. SECIECHVS.

VLadislao Hermanno Principi, Seciechus ex antiquissima, & etiamnum florente Toporum familia, magno vsui fuit, parua quidem statura, sed ingenti spiritu a natura præditus; imo supra æquum ambitioso, auidissimoque dominatus. Nec in parua statura illa, supra ingentis animi vigorem, expetita magnis ducibus æquitandi & iaculandi peritia deerat, qua vires in hoste ad impetum validiores, mire contemneret & eluderet, exercitusque variis bellis sub Miecislao secundo, & Cazimiro Monacho, Regibus Poloniæ, omnium Sarmatiæ hostium, & vicinorum, artes pugnandi, & mores optime callebat; atque hac animi virtute, inter proceres patriæ, principem locum tenebat. Et statim ab initio æque grauis

& for-

& fortis Senator, propter bellicarum rerum peritiam, acre & constans grauissimis in rebus iudicium, cum singulari vigilantia coniunctum, facile promeruit, vt a Vlasdislao, summus militiæ præfectus crearetur: & tum maxime, quam aduersus Bohemum abrupta vetere pace foret dimicandum. Itaque Boleslao Criuousto nouennali custos admotus, in hostem cum exercitu iuit, oppositam sibi aciem aliquoties fudit & fugauit, vniuersaque Morauia ditionis Bohemicæ peruastata, victor ad Principem suum rediit. Iterumque contra Cassubios missus Mediriciam arcem munitissimam, ab eis possessam expugnauit, & prouinciam omnem latrociniis purgauit. Idem sæpius & de Prussis & de Pomeranis trophæa retulit: atque ex eo paulo elatior, dum reliquos contemnit, fit cunctis exosus, & ad Principatum aspirare insimulatur. Facillime etenim ad res iniustas impellitur, inquit Cicero Offic. 1. vt quisque est altissimo animo, gloriæque cupido: nam & magnanimitatis debet esse certa quædam mensura, quæ si vltra modum se extollat, faciet virum minacem, inflatum, turgidum, & inquietum, momentisque omnibus supercilia erigentem. Quapropter exagitatus a filiis Vladislai Principis, Sbigneo videlicet & Boleslao, qui eum armis persequebantur, periisset, nisi fauore ipsius Vladislai, etiam contra filios insurgentis, seruatus fuisset. Relegatusque ab aula, promiscuæ famæ materiam de se ingeniis præbuit, moribus suis impense laudandis aut peracerbe lacerandis; vtpote qui modo temperatis atque illustribus togæ & sagi consiliis, modo turbulentis actionibus clarescceret, arcemque suam Secechouiam cum amplissimis possessionibus, in qua a iuuenibus Principibus obsidebatur, liberatus interuentu ipsius Vladislai, donarit Sodalibus Benedictinis in Abbatiam, vbi & sepeliri ipse voluit. Breui enim post ex angore animi, leui tentatus morbo, dum in exilium ire pararet, apud penates suos, non plane senex extinctus, fato concessit. Atque sic in eleganti certe homine, Fortuna memorabile exemplum edidit, quæ vti leuis & insolens est, vt se humanarum rerum dominam ostendat, sæpe conuertitur, & arrogantiam nostram petulantissime castigat. Sed nos viri bellicosissimi Manes, ob excelsas eius virtutes tali epitaphio cohonestemus.

Viator. Tametsi properas, hoc te saxum rogat, vt se adspicias: deinde quod scriptum est legas. Heic sunt Seciechi Toporicii sita ossa. Qui bellica laude, & Principum. & ciuium omnium oculos in se conuerterat: animos vero nimia arrogantia alienauerat. Virtutibus, summum in Senatu locum adeptus fuerat: contra ambitione, & honorum & vitæ periculum adierat, viciis & probitate eminebat. Et nisi in extrema vitæ periodo, nihil esse, cur vel opulentissimi superbiant, animaduertisset: pœnitentiaque ductus, insigne pietatis suæ exem-

exemplum, adscripto Ecclesiæ patrimonio suo, declarasset: ambiguam sane, famosi nominis sui laudem, posteris reliquisset.

Hoc volebam nescius ne esses.

X. GOVORICIVS.

FOrtunæ inconstantis non mediocre exemplum & Gouoricius Palatinus Sendomiriensis erit, optimus me hercle Senator, & Dux militiæ egregius: Inerat enim ei præcipuum naturæ donum, proceri corporis & grauissimi oris eximia dignitas, quam excellens bellica virtus, constans sui principis reuerentia, incorruptique mores adornabant. Siquidem Lesco Albo Poloniæ Principi custos & moderator pueritiæ datus, ita eum Rempubl. gubernare docebat, vt nobilitatem in honore habere, populum alere, & patriam tranquillitate atque opibus florentissimam reddere contenderet. Ipse autem sub Cazimiro Principe bellis variis exercitus, etiam tum Legionibus præfuit, cum Halicienses rebelles Palatinus Cracouiensi æmulus suus armis perdomuisset, & Ducem eis Romanum imposuisset, puerum Lescum secum habens. Qui cum matre Helena pulsus principatu, cum Sendomiriensem tantummodo ducatum possideret, præcipuum rerum suarum administrum Gouoricium habuit; cumque illo Russos sæpius ditiones suas infestantes, bello felici vicit: maxime vero ad Zauichostem, vbi eos clade ingenti affecit, & Ducem ipsum opera Gouoricii occidit: cum quibus erant & Polouucii, inuictum & formidabile hominum genus hamatis atque mortiferis instructum telis. Verum Gouoricius, vel parua manu, tot barbarorum robora, per moras & astas mire ludificatus, ita perfregit, vt inusitato aciei forma circumuentos, cadente ipso Romano eorum Duce, ad vnum fere omnes trucidaret. His itaque artibus, collecta Principis gratia, auctis opibus, & insigni gloria florentem, quem immensæ Russorum vires, & formidanda Poluuciorum arma non fregerant, oborta inuidia, humanæ felicitatis commune malum, eo perduxerant, vt omnibus his vltro sese spoliaret, vel solius Principis amore. Cum enim Miecislaus patruus, Lescum nepotem, iterato etiam, principatu exueret, & omnes Poloniæ proceres, exitiali insania inter se, peruicacibusque armis dissiderent: Gouoricius fidem quam semel Lesco spoponderat, inuiolatam semper retinere capiens, semper conatibus maleuolorum, ac præcipue mutabilitati Palatini Cracouiensis contrarium sese opponebat. Ac tandem Miecislao fatis sublato, cum omnes in Lescum Principem votis suis irent, sed vt Gouoricium a se relegaret, hanc ei legem præscriberent, Lescus ne tantum virum perderet, vtpote qui in omni

mni obeundo munere mirificæ virtutis vim ad bellum afferret, principatum etiam renuit: Sed Gouoricius tantæ eius felicitati sua persona incommodare volens. Atqui ego, inquit, princeps etiam vitam meam pro tua dignitate fundere paratus sum, quam toties in bellis periculis obieci? cur igitur discedere a te, & in exilium ire non debeam? faciam libentissime, & cum tuis conatibus fortuna aspirauerit, habebis memoriam meritorum meorum. Et his dictis in Vngariam recta abiit, & tamdiu ibi mansit, donec Lescus rerum potitus, cuncta sub imperium acciperet, & Palatino Cracouiensi e viuius satis sublato, reliqui satis inuidiæ litatum putarent, quod a Russis expetitus, varia fortuna iactatus fuisset. Rediit ad penates & apud Principem statim in pristino loco fuit, quod nemo ei sobrii constantisque iudicii grauitate, aut perpetuo armorum vsu, castrensiumque rerum notitia, tuendæ Poloniæ, & proferendo imperio Dux potior atque præstantior exoptari possit. Cuius nos tumulum, virtutis ergo, tali Cenotaphio exornemus.

Hospes, mirare sepulti fidem, vel constantiam, vel fortitudinem. Gouoricius Sendomiriensis Palatinus, Lesci Albi consiliarius hic fuit. Qui vt Principi suo gloriam pararet, sæpius cum Russis accerrime dimicans, etiam militis officio functus est. Vt ei obsequia sua probaret, vltro in exilium iuit, ne ad principatum adipiscendum impedimento esset, vtque cunctis candorem suum monstraret, nusquam maleuolorum muneribus corrumpi potuit, quin suum principem, cui tota vita addictus fuit, & partes bonorum desereret. O magnum itaque & constantem Senatorem! & cum quo probitas Hercle & Sarmaticus candor, hic sepulta; iacent.

XI. SCARBIMIRUS.

NEc prætereundus sane Scarbimirus est, toties de barbaris bello victor & triumphator: quando quidem singulas cogitationes, & singula prope exercitamenta corporis, ad bellicas rationes reuocaret, & nihil omnino molle aut remissum complecteretur, vel ipsa naturæ consuetudine, vel nec essitate tot incumbentium bellorum, quæ omnem inertiam, vel desidiosis excuterent, & virum vti oportuit, cum salutis, tum dignitatis suæ memorem excitare, & ad insitam virtutem factis extendendam incitare posse viderentur. Ergo aduersus barbaros Pomeranos, Boleslao Criuousto Principi operam nauas, & fortis militis, & periti Ducis laudem, decoraque spectatæ virtutis ornamenta consecutus, propriis etiam auspiciis exercitus ductabat, & ditiones barbarorum ingressus, quæque munitissima eorum oppida expugnauit, Prouinciam totam deuastauit, & profligatis quæ sese

ſeſe opponebant copiis, imperata facere adegit. Quumque Henricus V. Imp. ad Vratislauiam cum numeroſisſimo exercitu profligatus eſſet, ſingularem eius victoriæ laudem Scarbimirus tulit. Et Bohemis late ſuis motis, pulſisque tota Silleſia, etiam Caſſubios rebellantes armis perdomuit atque pacauit. Sed & in aliis expeditionibus toties cum Boleſlao prælio interfuit, maxime tamen quum e conuiuio venatum prodiens in Pomeranorum tria millia, cum centum equitibus modo, Boleslaus inopinato incidiſſet, cum quibus per aliquot horas fortiter dimicando, victores miraculoſe receſſerunt; quamuis amiſſis ſeptuaginta de ſuis, & Scarbimirus ipſe multis acceptis vulneribus, etiam oculum perdidiſſet. Quem nemo procerum, vel excelſæ ſtaturæ proceritate, vel habilium ad arma artuum firmitate, vel impauidi & ſemper conſtantis animi vigore adæquabat. His duobus igitur Principi carus, militaribus copiis quoad vixit cum honore præfuit: ſed & togæ artibus illuſtris fuit. Nemo enim eo peracuti atque habilis ingenii vim ſolertius ad conſilium flexit, nemo grauiſſimarum rerum negotia certius explicauit, nemo denique vtriusque fortunæ impetum conſtantius atque felicius ſuſtinuit & auertit. Quapropter tanti viri Manes, vel hoc ſepulchrali elogio decorandos eſſe duximus.

Siſte hoſpes, Scarbimirus inclytæ virtutis Dux, regnante Boleslao Criuouſto, bellicoſiſſimo Principe, cunctis ob probitatem, fidem, & conſtantiam carus, hac humo quieſcit. Hic dum Caſſubios, Pomeranos, Bohemos, Germanosque aciebus pellere & patriam triumphis illuſtrem reddere vellet, amiſſo in pugna oculo, lucem ipſe haud probe videre quiuit. Dumque primus in aciem prodire, & dira martis munera obire ſoleret, vulneribus debilitatus, citius iuſto, ſenium ſibi & fata accerſiuit. Exantlatisque tot pro gloria gentis Polonæ laboribus diem nouiſſimum operiturus hoc ſe tumulo condidit.

XII. ZISLAVS.

INter reliquos complures, qui Boleslai Criuouſti temporibus, inſigni bellicæ laudis præconio floruerunt, non poſtreme dignitationis & Zislaus eques nobiliſſimus fuit. Hic cum & alacribus oculis dignam imperio faciem præferret, & inter Polonos, quod maxime decorum eſt, equitandi & ſagittandi peritiſſimus haberetur, Boleslaus Princeps aliis bellis ipſe diſtentus, eum contra Bohemos, Silleſiam populantes, cum exercitu miſit, vtque hoſtem fugaret, aut ſi viribus impar eſſet, ſaltim populationibus prohiberet iuſſit. Is vt animo ingenti & magna vi corporis fuit, excellentisque induſtriæ in omni exercitatione equeſtris diſciplinæ, hoſtem qui non adeo equitatu valebat, multis in locis prædantem nactus, facillime

acie pepulit. Ipſumque Suatopelcum Morauorum Ducem ad Grezam oppidum, ſtrage memorabili edita ſuperauit, & cum præda ingenti captiuisque compluribus ad victor Boleslaum rediit; quamuis in eo prælio dextram ipſe amiſerit. Igitur Boleslaus collaudatum manu aurea donauit, quæ inter tot maiorum eius, illiusque ipſius trophæa relata, nobilior certe cunctis ſpoliis fuit, quæ de victis captisque hoſtibus penates eius exornabant. Sed & nos hoc breui epitaphio tumulum eius ob virtutem exornemus.

Zislaus Illuſtre Sarmaticæ virtutis decus, viator hic conditus eſt, qui vt victoriam Boleslao Principi, de Morauis atque Bohemis pararet, acerrime dimicans, dextram in prælio amiſit. dumque ab eo collaudatus in corona militari, manum auream, præmium egregiæ fortitudinis retuliſſet, etiam immortalitatis gloriam apud poſteros eſt conſecutus. Præter hanc enim ſolam, heroicasque virtutes, tota in vita nullius rei appetens fuit. Vale & viue memor lethi.

XIII. BOLESLAUS CRISPUS.

PLena eſt, inquit Boëtius, exemplorum vetuſtas, plena etiam præſens ætas, qui Reges felicitatem calamitate mutarint: ſed & in Boleslai Criuouſti filiis, manifeſte id videre licet; quorum ſecundo genitus Boleslaus, cognomento Criſpus, profligato ad Poſnaniam fratre maiore natu Vladislao, tota eum Sarmatia, cum vxore & liberis eiecit. Cuius aulici etiam & ſerui, immiſericorditer ſeſe geſſerunt, erga ciues natos ad humanitatis cultum, & mitioribus imperiis aſſuetos. Alioqui Polonis nulla gens vnquam maiori obſeruantia coluit ſuos Principes, quamdiu clementiæ & manſuetudinis artificio clauum imperii temperauerunt. Concordi itaque reliquorum fratrum, ac nobilitatis ſententia, principatum Criſpus ipſe inuaſit, & patris iam ſui, non autem fratris expulſi exemplo, clementer moderateque regnauit. Aſt Vladislaus exul, quamuis ad inopiam redactus, fratres nihilominus turbare, & Bohemorum, Ruthenorum ac Germanorum auxilia procurare, nusquam deſiſtebat. Et primo Conradum Cæſarem eo precibus induxerat, vt cum validis copiis in Poloniam moueret, ab Aſiatica expeditione reuerſus: quem nihiloſecius Boleslai prudentia, præter omnium ſpem & opinionem auerterat interque ipſa initia, tam ingens ac formidabile bellum reſtinxerat, vt necquicquam reclamante Vladislao exule, & item Bohemorum principe, Cæſar acceptis muneribus, ad componendas res domeſticas rediret. Namque Boleslaus iuſto prælio decertare cum illo non auſus, itenera tantum aſſiduo, pobulatio-

nes, & aquationes ex insidiis obseruare, & in incautos hostes impetum facere, interdumque totum exercitum reficientem se, aut quiescentem, subito tumultu exagitare & perterrefacere tota æstate non desistebat. Illis vero ad arma conclamantibus, ad impedita loca raptim se cum suis recipiebat: sed maxime, cum ad Oderam Cæsar castrametatus esset, traiectionem illi in vlteriorem ripam non permittebat. Fame itaque ac morbis enecatum pene exercitum suum videns, pace cum Boleslao (qui ad Cæsarem ipse in castra, fide accepta iuerat) æquis conditionibus firmata, bellum illud statim dissoluit. Itaque Vladislaus exul, spe sua frustratus, toto septennio quieuit, donec Fridericus Barbarossa, qui Conrado patruo in imperio successerat, pacata Italia in Germaniam reuerteretur, qui assidua flagitatione, & querimonia Vladislai commotus, de amplissima Senatus Germanici sententia, exulem reducendum putaret, indignum magestate sua iudicans, postulata & minas suas contemni a Polonis principibus: qui, quiduis potius se passuros Imperatori responderunt, quam vt tam immanem ac turbulentum fratrem recipere vellent. Nullam enim esse spem fidæ reconciliationis cum illo, quem tam implacabiliter offenderant, putarunt. Quippe natura insitum est humanis ingeniis, odisse quem læseris. Nec facile vnquam persuadebitur iis, quem semel iugum excusserunt, memoriam talium offensarum bona fide deleri posse: manent hæc reposita sub alto pectore, nec magnates vnquam iniuriarum obliuiscuntur, quamuis iram ad tempus taciti concoquant, ne professi odia perdant vindictæ occasionem. Itaque anno a Christo nato 1158. Fridericus Imp. cum maximis Germanorum atque Bohemorum copiis Poloniam ingressus, ad Oderam amnem Vndecimo Kal. Septemb. castrametatus est. Cui, itidem non ausus Boleslaus aperte se opponere, partim in pabulatores ex insidiis vim faciebat, partim oppida & villas suas, graminaque omnia & commeatum comburebat, ne quid in vsum hostium venire posset, aut Imperator vestigium ponere firmo aliquo & munito loco quiret. Igitur in magna difficultate Germanus miles positus, non mussitare tantum, sed apertis conuiciis & maledictis Imperatorem incessere cœpit, quod inauspicatum bellum ob rem alienam suscepisset, neglexisset vero propria: cum Italia discessu eius ad hoc bellum audito, tota pene rebellasset. Quibus rebus permotus Fridericus, pacem his conditionibus cum Boleslao in castris pepigit, vt eius sororem Aldeidam Miecislaus Boleslai frater, in vxorem acciperet: vt Vladislao exuli, fratres reliqui Silesiæ dominatum concederent: & vt Boleslaus trecentos hastatos, Friderico in auxilium, ad bellum Mediolanense mitteret. Pace sic cum Imperatore firmata, Prussis deinde bellum Boleslaus intulit; qui, iam inde a Boleslai Criuousti morte, a fide Principum

Po-

Polonorum, vna & a religione Christiana desciuerant: transductoque Ossam amnem exercitu, tripartito agmine ad interiora ipsorum penetrauit, ferro & incendiis omnia miscens, & magnas prædas agens. Quare Prussi, impares tanto bello sustinendo, imperata se facturos supplices pollicentur, & simulachra falsorum Deorum exemplo demoliuntur. Verum Boleslao in Poloniam reuerso, atque metu amoto, cito ad genium rediere. Neque enim firmam atque stabilem sedem habere potest religio, vi & metu expressa: quæ, quamlibet foris necessitati seruiat, intus nihilominus in animo liberrima est. Quapropter anno sequenti, qui fuit post Christum natum 1167. Boleslaus maiore vi & apparatu, expeditionem in eos fecit: ast omine parum felici: siquidem in insidias ab illis tractus & profligatus, fratrem etiam Henricum in ea pugna amisit. Nec ab eo tempore iam quicquam dignum memoratu fecit, sed vt olim pater Criuoustus post cladem illam Haliciensem, mœrore animi contabescens, vitam cum morte ex angore commutauit. Non facile enim generosus animus, ignominiam sufferre potest, qui continua vsus prosperitate, putat eam sibi a fortuna deberi; quæ assiduo suo rotatu, cuncta ita permiscet, vt nihil firmum in suo loco permaneat. Quid enim est, inquit Seneca, quod non fortuna cum voluit, cum florentissimo detrahat, quod non eo magis aggrediatur & quatiat, quo speciosius fulget? Quid illi arduum, quidue difficile est.

- - - - - - nam rotat omnia
Fortuna: præcipites dat, & rursum erigit
Iuxta potentes atque miseros. *Sophoc. in Antigo.*

Sed illi vere sapientes sunt, qui res secundas in ambiguo ponunt, & aduersas iidem moderatius ferre possunt. Cæterum de rebus ab illo fortiter & egregie gestis hactenus, nunc quod reliquum est, sepulchrum eius epitaphio, pro modulo nostro cohonestemus.

Quæris viator, quis hoc sub marmore tectus iacet? Homo vt tu moralis, Boleslaus Poloniæ Princeps, chrispus olim dictus. qui Vladislao fratre maiore natu, ob impotentem Dominatum Sarmatia eiecto, ita clauum Imperii ipse moderatus est, vt inter Heroas Summos, qui rei Polonæ columina fuere, haud postremum locum sortiatur. Non enim aliud quidquam tota vita sua gessit, nisi quod ad patriæ decus, ad temporum gloriam, ad posterorum vtilitatem spectaret. Et proinde discordes ciuium animos inprimis inter se reconciliauit, fœdera cum vicinis principibus amicitiis firmauit, vectigalia remisit, multasque iniustitias, quæ eorum gratia toto regno committebantur, penitus sustulit, & præcidit nutantemque rempub. prudentibus consiliis stabiliuit. Denique repulsis a finibus Poloniæ, duobus illis gloriosissimis Romanorum Imperatoribus, Conrado V. & Friderico Ænobarbo, cunctos per circuitum populos, ingenti sui nominis terrore com-

compleuit. & ni eum fortuna, vltimo cum Prussis prælio, anteparta belli gloria spoliauisset, par profecto omnibus Boleslais, atque Patri ipsi Criuousto, rebus præclare gestis, fuisset. Interceptus autem mortalitate est. Anno reparatæ salutis. MCLXXIII. *cum principatum Poloniæ annos* XXVII. *tenuisset. Vixisset sex & quadraginta.*

XIII. BOLESLAUS ALTVS.

PRudenter sane ille dixit, qui gloriam dixit stimulum esse & calcar, quo sublimes animæ concitantur ad studium rerum honestarum: formidinem vero infamiæ frænum, quo reuocantur a praue factis. Quod ipsum etiam in Boleslao Alto aperte videmus: Qui Vladislai patris ignominia permotus, quod ob impotentem Dominatum, Poloniæ principatu eiectus, vitam inopem in exilio ingloriamque duxisset: Et Boleslai Criuousti aui, bellicosissimi Principis trophæis excitatus, quod septies & quadragesies de hostibus profligatis triumphasset: ita se strenuum in aula Conradi V. Cæsaris, & Friderici Aenobarbi Imperatoris gessit, vt maximo in honore apud omnes esset. Reuocatusque post obitum patris ab exilio, fauore Boleslai Crispi patrui sui, acceptum Ducatum Vratislauiensem, tanta animi moderatione, iustitia, humanitate, tantoque exactæ disciplinæ ordine, cum domi, tum militiæ exercuit, vt gratia, authoritate, clientelis & apparatu armorum pollens, suo prorsus nomine, & maiore imperio dignus haberetur: vtpote qui admirabili iudicio clementiam & seueritatem procul, ab inuidia atque odio commiscere, sine fuco pietatem colore, comitatem siue dedecore, siue fastu dignitatem tueri consuesset. Cum vero in Pomeranos, lacessitus ab eis, exercitum duxisset, cuncta eorum oppida, cunctas prouincias magna celeritate, non tam cursibus suis, quam victoriis peragrauit. Et dum in castris Friderici Imperatoris, contra Mediolanenses militaret, præclarum virtutis suæ specimen, tum maxime edidit, cum ex prouocatione pugnans, equitem quendam vasto corpore, & gigantea statura ex castris Mediolanensibus interfecisset, applaudente vniuerso exercitu, & Boleslai virtutem ad sydera efferente. Obequitabat siquidem gigas ille Cæsarianos identidem contumeliosis verbis, ad singulare certamen prouocans, nec prodire quisquam contra eum audebat, præter Boleslaum nostrum, qui non ferens ignominiam vniuersi exercitus, concurrit hasta cum eo, ad spectaculum vtroque exercitu effuso, & humi prostratum de equo desiliens confecit, victorque in castra reuersus est. Sed & contra Prussos, cum Boleslao Crispo, contraque Vngaros cum Cazimirio,

patruis,

patruis, ad bellum progressus, ingentia fortitudinis suæ præbuit specimina. Et amissis intra breue spacium temporis, quatuor filiis, solum Henricum Barbatum hæredem reliquit. Nunc quod reliquum est, sepulchrum eius pro meritis, breui epitaphio cohestemus.

Hic tumulatur magnificentis. funeratus Boleslaus cognomine Altus, Dux Vratislauiensis. eiecti Principis Poloniæ Vladislai F. Diui Criuousti nepos, qui ob patris, culpam diuturnum in Germania exilium perpessus, in summa commutatione fortunæ, summam animi æquitatem: in summa integritate vitæ placidiss. mores: in summa armorum laude, parem modestiam perpetuo retinuit, & vere heroicis virtutibus, apud posteros sibi gloriam, gloria vero immortalitatem comparauit. Hoc etiam ipso patre felicior, quod sibi contigerit apud lares fato suo defungi. Durum enim est, extra patriam mori.

XV. CAZIMIRUS IUSTUS.

BOleslaus Criuoustus, pace & bello inclytus Princeps, cum filios quinque haberet, morti vicinus totum imperium in quatuor partes diuisit, Cazimiro qui natu vltimus erat, nihil relinquens, sed vt ab omnibus reliquis sustentaretur, seuere præcipiens. Igitur diu exors in tutela fratris Boleslai Crispi manens, tandem districtum Sendomiriensem, post decessum Henrici fratris, in bello Prutenico occisi, accepit, & in eo, ita se comiter & moderate gessit, vt iusti cognomen merito sit adeptus. Insurgentibus etenim contra Boleslaum fratrem subditis, & illi summum principatum deferentibus, negauit suum esse fratri maiori & optime de se merito principatum eripere, quem omni ope defensum & adiutum ire deberet, quem ipsi quoque vel propter Patris Boleslai Criuousti, optimi & maximi principis memoriam tolerare tenerentur; qui tamen & æquitate animi, & moderatione imperii satis ipse promeruit, ne expelleretur quasi vetulus canis, sub vitæ decursum. Idem, cum aulico suo Ioanne Conario, alea tempus fallens, quum in profundam noctem ludum produxisset, & vno iactu summam totam lucratus esset, a Conario irato fortunæ suæ pugno percussus, minime excanduit, & pœnam capitis commeruisse cunctis clamantibus, veniam ex templo dedit: se, inquiens, magis in culpa esse, qui conditionis suæ ac dignitatis oblitus, eum ad ludendum prouocasset: gratias itaque ipsi agere, quod se ictu illo admonuisset, ne quid postea indignum principe admitteret. Sub cura itaque fratris Boleslai existens, omnibus præliis signa illius secutus interfuit: & Miecislao fratre, qui Boleslao Crispo, successerat, principatu deiecto, ob asperum & impotentem domina-

tum, cum magna omnium lætitia ſeruator & liberator a populo ſalutatus fuit. Compoſitaque domi pace, Pomeraniæ Duces inprimis, qui ad Imperium Germanorum deſciuerant, in ſuam clientelam recepit. Deinde Breſtenſem, Drohicinenſem, Vlodimirienſem, atque Præmislienſem oram omnem, quæ non parua eſt pars Ruſſiæ, in ſuam poteſtatem redegit. Inde porro ad Haliciam exercitum duxit, & multis hoſtium millibus in acie cæſis, vrbem ipſam deditione accepit: atque ſic in loco eodem, vbi pater dolo ac proditione victus fuerat, Manibus occiſorum Polonorum, hoſtium ſanguine parentauit. Qui, quum reſumptis viribus, in poteſtatem Belæ Regis Vngariæ ſeſe vltro dediſſent, Mescislaumque Ducem, quem eis Cazimirus præfecerat, veneno ſuſtuliſſent, iterum obſidione cinctos perdomuit, Andreamque Belæ Regis filium, ſeſe cum ſuis, ob rerum penuriam dedentem, ſaluum cum rebus omnibus dimiſit. Quam contumeliam Bela Rex non ferens, oppido bellum Polonis indixit; & tandem aſſiduis incurſionibus noſtrorum exagitatus, Clementis Papæ opera, inducias in tempus pepigit, qui tunc omnes Chriſtianos Principes, ad recuperandam Hieroſolymam concitabat. Et ſic dum ille in Ruſſia, rebus componendis immoratur, proceres nonnulli turbulenti, facta conſpiratione, Miecislaum ad recipiendum amiſſum principatum accerſiuerunt: & quo magis ſtudia populi in eum inclinarent, finxerunt Cazimirum a Ruſſis veneno extinctum eſſe. Qua de re Cazimirus certior factus, celeriter cum copiis Cracouiam aduolauit, & vel expugnauit præſidia Miecislai, vel per deditionem accepit; fratriſque filio, cum pleriſque aduerſæ partis militibus intercepto, non modo vitam & libertatem abeundi conceſſit, verum etiam ampla munera largitus eſt. Qua equidem indulgentia, ita ſibi omnium, ac inprimis Miecislai fratris animum deuinxit, vt nusquam deinceps de repetendo principatu cogitarit. Pacatis itaque domi rebus Cazimirus, Pruſſis quoque bellum grauiſſimum intulit, vt cladem ſub Boleslao Criſpo acceptam, Henrici etiam fratris mortem vlciſceretur; & gentem barbaram toties rebellem & Chriſtum abnegantem perdomaret. Quod & effecit, nam Pruſſi clade ingenti afflicti, datis obſidibus, perſolutiſque ſuperiorum annorum tributis, imperata omnia in poſterum ſe facturos, ſancte promiſerunt. Quare deducto e Pruſſia exercitu Cazimirus, belliſque omnibus armis & prudentia extinctis: pacis quoque artibus, hoc eſt munitionibus inſtaurandis, moribuſque & legibus ciuium emendandis, reliquum ætatis tempus transmittere cogitabat. Et iam magnam ſibi virtutis & ſapientiæ opinionem, apud exteros iuxta, atque ſuos conciliauerat, ita, vt felix & admirabilis, & omnibus ſuis charus deinceps regnaturus eſſe videretur; cum ſubitus eum caſus humi proſtrauit. Aduenerat forte dies martyris Floriani memo-

memoriæ ſacra (cuius ille reliquias a Lucio eius nominis Tertio Pont. Max. impetrauerat) qua poſt peractam rem diuinam more ſolito egenos afflictosque menſæ ſuæ admouerat, ac die ſequenti proceres Regni grandi conuiuio exceperat: qui cum exhilarati multa de bellis & periculis prætcritis inter ſe conferrent, ipſe quoque nonnulla de immortalitate animi, atque cælitum beatitudine in medium propoſuit. Deinde hauſto mediocri poculo, ſubito concidit, & paucis horis animam exhalauit: cum regnaſſet annos ſeptemdecim propemodum, vixiſſet ſex & quinquaginta. Leſco & Conrado filiis relictis: ſepultusque in delubro Cracouien. Æræ Chriſtianæ anno 1194. Et de rebus ab illo fortiter & egregie geſtis hactenus, reliquum eſt, vt ſepulchrum eius, poſteris ad exemplum, Cenotaphio exornemus.

Cazimirus Criuouſti F. hic quieſcit, viator. Qui dum viueret, incomparabili magnitudine animi Principem Poloniæ egit, Pietate, Iuſtitia, Splendore vitæ, & Clementia antiquis Heroibus comparandum. Tantaque morum temperie, ac facilitate naturæ fuit, vt non eloquio, non cultu, non ipſo denique conuictu aut comitatu, faſtum vllum oſtenderet, ſed modeſtia tantum, humanitate, & ſtudio honeſtæ virtutis, ſupra cæteros eniteretur. Vnde & iuſti cognomen merito a ciuibus ſuis accepit. Iuſtus namque fuit, quia Boleslaum fratrem de Patria B. M. rogatus a factioſis proceribus, iniuſto principatu ſpoliare noluit. Alterum vero Fratrem Miecislaum, illi ſuccedentem, iuſte & vltro, ob aſperum in ſubditos Dominatum, eiecit. Iuſtus item fuit. Quia ne ſe ſanguine proprio pollueret, in crimine ipſo perduellionis nepotem captum, non vita modo, ſed & muneribus ampl. donatum dimiſit. Itemque alicum, qui & pugno percuſſerat, alea ab ipſo victus. Denique iuſtus fuit, quia & Halicienſes, qui Patrem ſuum dolo circumuentum profligauerant, & Pruſſos, qui Fratrem Henricum in inſidias tractum occiderant, clade inſigni vltus, obproprium gentis Sarmaticæ abſterſit, & cæſorum tunc Polonorum manibus, ſanguine hoſtili ex æquo parentauit. Quibus per ſeptentrionem clarus, dum quietam vitam viuere putauit, Dei iuſſu ad cœlum, vbi vera captatur quies, aſcendit. Anno Chriſtiano MCXCIV. cum regnaſſet XVII. vixiſſet. LVI.

XVI. BOLESLAUS PVDICUS.

FOrtuna per ſe inconſtans, & ſæpe ludibunda, in attollendo premendoque Boleslao Principe, mirabiles profecto ludos fecit, ſi in quopiam alio mortalium. Is ſiquidem ab obitu Patris Leſci Albi, puer admodum, cum Grimislaua matre relictus, Henricum Barbatum Vratislauiæ Tetrarcham, & Conradum Maſouiæ Ducem, patruos de ſummo principatu inter

inter se bello funestissimo certantes vidit, & Conrado victori in prædam cessit, tutorem eum vel inuitus appellans. A quo deinde pubertati proximus emancipari cupiens, in Henricum, pariter cum matre, prout studio ferebatur. Quod vbi non obscuris indiciis Conradus intellexisset, subito per speciem colloquii euocatum, vna cum matre capit, atque neci destinat: ac deinde mutata sententia, in Seciechouiensi Monasterio asseruari iubet, ipse bello Pruthenico occupatus. Quo dum ultra constitutum distinetur, Boleslaus corruptis custodibus, intempestæ noctis silentio, cum matre profugit: & Zauichosto, Sendomiriaque potitus, in Silesiam ad Henricum abit. Is comparato celeriter exercitu, Boleslaum eadem æstate in Poloniam reduxit, & Cracouiensem atque Sendomiriensem oram omnem, pulso Conradi filio Boleslao, facile in suam potestatem redegit, seque iam exinde pro tutore & Principe gessit. Vnde iterum ciuile bellum inter eos, & quidem valde funestum inualuerat: mortuoque Henrico Barbato, Boleslaus per se resistere impar, ad Belam IV. Hungarorum Regem Legatos celeriter misit, auxilia contra Conradum patruum rogans, qui non modo principatum, sed vitam etiam ipsam eripere nepoti destinabat: vtpote, qui in omni vita proferendi imperii, quam præclari nominis auidior a plerisque sit existimatus. Sed quum mature auxilia Boleslao ex Vngaria aduenissent, & Bela Rex Cunegundim filiam, puellam moribus & sanctimonia vitæ nobilem, in vxorem ei dedisset, amplius eum bello lacessere Conradus ausus non est. Boleslausque tali coniuge beatus, primis eam nuptiarum diebus nequaquam attigit: quinimo confirmata mutuo consensu religione, vterque perpetuam continentiam vouit. Et hinc Boleslao Pudici cognomen inditum est. Cum vero Tartari ex Asia irrumpentes, omnem Poloniam, & circumiacentes Prouincias vastarent, Boleslaus resistere infinitæ multitudini nequiens, in Hungariam cum vxore profugerat, apud affinem Regem receptum se habere sperans: sed & ibi Tartaris cuncta igni ferroque populantibus, intra montes Sarmatiæ sese abdidit, haud longe ab oppido Sandecia, sub Carpatho monte sita. Quo tempore, nobilitas Cracouiensis & Sendomiriensis, deteriora etiam timens, quod sine principe & magistratibus esset, inito consilio, Boleslao Caluo, Henrici Pii (qui ab iisdem Tartaris in prælio ad Leguiciam occisus fuerat) filio natu maximo, principatum detulerant. Sed hunc Conradus, cum valido exercitu veniens, tota minori Polonia eiecit, & sese per vim Principem fecit. Sed quum grauis subditis esse cœpisset, proceres consilio facto Boleslaum Pudicum reuocandum esse statuerunt, & venienti denuo fidelitatis præstiterunt iuramentum. Quapropter Conradus conscripto maiore exercitu, accitisque in auxilium Præmislo Posnaniensi, & Miecislao Opoliensi,

Du-

Ducibus: itemque Lituanis, & Iazygibus, barbaris, tractum Sendomiriensem populabundus ingreditur. Nec Boleslaus committendum sibi existimauit, quin sua defenderet. Itaque magna celeritate quantum potuit exercitum comparauit, & ad Suchodolum pagum Conrado occurrens, quamuis viribus longe inferior esset, pugnandi tamen copiam fecit: & Deo iustiori causæ fauente, victor euasit. Id dum Conradus vlcisci parat, & iterum ingenti Lituanorum exercitu in Sendomiriensem tractum excurrit, & eum occupat: Boleslaus deiectis eius præsidiis, quamuis apud Iarossinum pagum, minus prospere conflixisset, non ita multo post recepit. Pacemque a morte eius nactus, qui Anno Christi 1247. extremum vitæ clausit diem, collapsa & vastata bello instaurare, deprauataque corrigere instituit: magnamque mansuetudinis & probitatis laudem, etiam apud exteros adeptus est, sed præcipue bellicæ virtutis. Nam & in Morauiam cum exercitu abiuerat socero, Regi Hungariæ, suppetitaturus, ingentemque inde prædam victor abegerat: & Præmislo Posnaniensi Satrapæ, contra Pomeranos auxiliares copias dederat: & in Iazygos demum cum infestis legionibus progressus, Ducem eorum Conathum occidit, gentemque vniuersam vno prælio ad internecionem deleuit, ita vt ex eo tempore, nomen Iazygum, siue Iazuingorum pene abolitum sit. Regione namque eorum potitus, exiguas quas reperit reliquias, Christianam religionem suscipere, capitali pœna in contumaces sancita, coegit: & ne regio vasta & inculta maneret, colonias eo deduxit. Insequenti deinde æstate, qui annus fuit 1264. Russos Duce Suarnone, Sendomiriensem tractum populantes insigni clade profligauit: missoque iterum Petro Palatino Cracouiensi, cum non contemnendis copiis in ditionem ipsorum, ita eos cum auxiliaribus Tartaris vno prælio afflixit, vt per multis deinceps annis, nihil hostile contra Polonos molirentur. Quam quidem victoriam, existimatur a Deo impetrasse pientissimus ipse Princeps Boleslaus, cum Cunegunda vxore sua, quæ & futurum belli euentum prædixerat, visis assistere sibi duobus viris candidis, Geruasio videlicet & Protasio martyribus, quorum memoriæ dicata erat dies illa, qua pugnatum est. Gessit & alia plurima bella, partim cum Bohemis, partim cum Lithuanis, Poloniam tunc hostiliter incursantibus, sed iam per Legatos, insigni prudentia fortunæ aleam deuitans. Tandemque A. 1279. febri extinctus, Cracouiæ apud D. Francisci, quod monasterium ipse condiderat, sepultus. Benignus & religiosus Princeps, & in egentes cultumque Dei ac ministros eius munificus: dignusque profecto ex cumulatis toties victoriis, supra cunctos ætatis suæ Reges, præalto atque ornatissimo tropħæo, siquidem in eo fragrantissimum armorum studium, a puero adhuc enituit, quo in vtramque fortunam, diuerso euentu longe clarissimus extitisse

 titisse

titiſſe videtur. Sed & nos videbimur non parum officio noſtro defuiſſe, niſi glorioſiſſimi quoque Principis ſepulchrum hoc epitaphio decoremus.

Sancti inter Sarmatas Herois, hoc monumentum eſt, viator. Quod omnes ei certatim poſuere virtutes, omnia corporis, animique ornamenta. Hic eſt ille Boleslaus, qui cum eſſet formæ prodigium, extitit nihilominus miraculum caſtitatis, quam ieiuniis, precibus, omnique corporis afflictione ita coluit, itaque adamauit, vna cum Cunegunda vxore, Sanctiſſima itidem puella, caſtiſſimaque vt cum ætate floreret, careret liberis, cum diuitiis abundaret & Gloria, caſtus atque intaminatus fulgeret: nihilque in animo, nihil in corpore inquinatum, toto vitæ decurſu admitteret. Hic eſt ille incomparabilis Bellator, qui ab infeſta fortuna varie iactatus, viuido demum ſpiritu ſeſe ad ingentem famam, omnibus bellis extulit. Et deuicta paſſim fortuna, proculcataque inuidia, perdomitis hoſtibus, ac rerum geſtarum felicitate, ſuperatis inimicis, opulentiſſimi Imperii compos factus, Principem aliquot luſtris egit, tanta animi moderatione, æquitate, clementia, popularique humanitate. Vt qui armorum fulgore hoſtibus terribilis erat, & inuictus aduerſus omnem vitiorum intemperiem, publico iudicio eius ſeculi, Principum longe optimus cenſeretur. Tu manibus bene precare; & ſi patriam amas, ſimiles ei Principes opta, & vale.

XVII. LESCUS NIGER.

BOleslao Pudico e viuis ſublato, in principatum Minoris Poloniæ ſucceſſit Leſcus Niger, Cazimiri Cuiauienſium Ducis F. nepos Conradi Ducis Maſouiorum, pronepos Criuouſti. Tum enim Polonia per Tetrarchas & regulos diuiſa, tota ciuilibus armis ardebat, & quisque ſuo arbitrio bella gerere conſueuerat, etiam cum vicinis; quamuis aliquando in vnam conſentire coegerit communis metus, a Barbaris vniuerſæ Poloniæ illatus, prout & poſt obitum Pudici, accidit quum Ruſſorum Dux Leo, media bruma oram Lublinenſem ingreſſus peruaſtaret, & in Sendomirienſi tractu incurſiones incolis maxime funeſtas faceret: vniuerſi Poloniæ Dynaſtæ, tacito quodammodo conſenſu, Leſco Principatum permiſerunt, quod tam graui bello ingruente, metus ſpatium contentionibus, & nouandis rebus non daret, & ille ipſe imperio digniſſimus videretur, qui res ſtrenue gerere, & ciuibus oſtendere captos hoſtes iam didiciſſet; quin & patri impio, aliena bona inuadenti, maxime vero Eccleſiæ, cum fratre Ziemomyslo, maiorem partem principatus ademiſſet, proceribus ipſis cum omni nobilitate fauentibus. Atque ita qui aliena iniuſte appetebat, ſua turpiter amiſerat: nam Ziemomyslus, filius Leucicienſem illi diſtrictum ademerat, Leſcus vero Siradienſem. Qui, vbi primis comitiis, ſine vlla repulſæ ſuſpicione Princeps extitit, & more conſueto Cracouiam metropolim

lim ingressus est, nihil omnino antiquius habuit, quam proferre fines, imperii limites armis tueri, Tartarorumque præsertim infestas manus atque Russorum repellere; debellare contumaces, & neminem aduersum se insolescere pati. Itaque coactis intra paucos dies copiis, in Russiam duxit, vt Leonem vlcisceretur, qui sub tempus interregni, cum ingenti Russorum suorum, Tartarorum atque Lituanorum exercitu, Minoris Poloniæ prouinciæ peruastauerat. Qui quidem iam a Varsio Castellano Cracouiensi profligatus, vbi primum aduentare Lescum cum exercitu inaudiuit, non resumpto e superiori clade animo, expectare eum in confiniis sui principatus noluit, sed in penitiora Russiæ quantocyus sese recepit. Quocirca impune Lescus, hostilem regionem ad Leopolim vsque peruagatus, direptis exustisque multis pagis & oppidis, arcibusque nonnullis, quæ negligentius seruatæ ac defensæ erant, captis & euersis, ingentem prædam in Poloniam abegit. Sequenti deinde anno, qui fuit 1281. contra Vratislauiensium Ducem Henricum Probum expeditionem instituit, quod is tres simul Duces ad colloquium euocatos, dolo cœpisset, Præmislum videlicet maioris Poloniæ Tetrarcham, & Henricos duos, alterum Glogouiensem, alterum vero Leguiciensem Dynastam. Triplici itaque agmine Lescus Vratislauiensem ditionem aggressus, acerbe eam diuexabit, & improbum illum Probum continenti bello attritum, pluribusque fusum præliis, principatu expulit, & affines Duces in libertatem vindicauit. Quo tempore Lituani, similiter tripartito agmine Lublinensem regionem ingressi, crudeliter vniuersa loca depopulati sunt, Istulamque fluuium transgressi, ditiones Lesci vltra Sendomiriam ferro ignique peruastarunt. Accurrit subsidio suis & Lescus, sed iam minus tempestiue, siquidem hostes præda onusti recesserant, & sese syluis densissimis absconderant, quos ille cum parua manu suorum, per ignota locorum, persequi non audebat. Anxium itaque, quod hostem vlcisci, suosque qui captiui abducebantur vindicare procliue non esset, & labore itineris insomnioque fatigatum, in illo æstu animi, sopor repentinus inuasit: Somniatusque est, iussus se esse a Michaële Archangelo barbaros persequi, cum sponsione certæ victoriæ, Quod cum pro concione exposuisset, & milites suos animatos ex eo vidisset, opido abeuntium hostium vestigiis insistit; & inter Naruam & Neminem flumina. 13. die Octobr. eos consequitur, pugnatque & vincit nullo de suis amisso, captiuis quoque ipsis a tergo terrorem incutientibus. Et hic Iazygum reliquiæ penitus iam deletæ sunt: De Lituanis vero ipsis, quatuordecim millium bellatorum ceciderunt, cum Lesci totus exercitus vix sex millium esset. Igitur ouans Lublinum reuersus, victoriæ monimentum, Diuo Michaëli templum splendidissimum erexit. Sendomiriamque

progressus, quæ se interea temporis Conrado II. Masouiorum Duci, cum toto districtu dediderat, magna animi moderatione & prudentia in suam potestatem redegit, gliscensque ciuile bellum sapienter oppressit. Cum autem Cracouiam redux Comitia perageret, & iudicia exerceret (laudabili enim tum Persarum & Romanorum instituto, Poloniæ Principes, omnes vniuersæ ditionis suæ prouincias obibant, lustrabantque, quo si quæ opem regiam desiderarent, eis Rex vel Princeps adesset, continuoque res componeret & stabiliret. Cuius rei etiamnum habemus memoriam, officiales in qualibet Prouincia, Regio seruitio deputatos, ne Rex grandem comitatum sumptu ingenti secum circumducere cogeretur) cognouit Lithuanos iterum resumptis viribus in Poloniam incurrisse, & Lucouiense territorium, tractumque Sendomiriensem improuisis populationibus euastasse. Quare cum iis qui aderant ex equestri ordine, correptis celeriter armis, cæterisque sine mora sequi iussis, nocturnis pariter ac diurnis itineribus hostem persequitur, & assecutum isto prælio aggreditur ac vincit, trucidatis etiam, qui in syluis delituerant. Eaque victoria ferox Masouios quoque qui veteres fines transilire, alienumque inuadere arroganter audebant, iustis affecit cladibus. Cæterum domesticas turbas non extinxit, quas Paulus Episcopus Cracouiensis ad seditiones natus passim excitabat, clementia tam benigni Principis abusus; illoque suasore non tantum Sendomiriensis, sed & Cracouiensis terra a Lesco defecit, & Conradum Masouiorum Ducem ad suscipiendum principatum accersiuit, Lescus autem Cracouia sola in fide eius persistente, in Vngariam ad Ladislaum Regem profugit. Et impetratis ab eo auxiliis, vt arci Cracouiensi subueniret, celeriter in Poloniam rediit: occurrentemque sibi exercitu Conradum, ad Rabam fluuium, ita fortiter excepit, vt victus ille & profligatus in Masouiam vsque profugeret; & Lescus moderate vtens victoria, facillime totum Principatum recuperaret, Anno ducentesimo octuagesimo quinto, supra millesimum. Sequenti vero dissimulato proposito, per speciem Lituanici belli, Masouio bellum intulit, & ditionem eius ferme totam, ferro & igni vastauit, cumque præda ingenti, domum reuersus est. Atque sic ex eo tempore, prior illa fortuna, ab eo recessit, & secundæ res aduersis commutatæ sunt, ne impune ferret Deum & homines fefellisse, & prætextu pietatis iræ suæ impensius indulsisse. Itaque Tartari vniuersam Poloniam, quæ eius ditionis fuit, crudeliter euastarunt, & ipse tantæ multitudini resistere nequiens, iterum fuga in Vngariam consulere sibi coactus est, Reuersusque cum auxiliaribus copiis, iterato expeditionem contra Conradum Masouiorum parare cœpit, sed cum ad eam segniorem nobilitatem videret, Palatinum modo Sendomiriensem eo misit; qui a Conrado profligatus, etiam

iam ipſe occubuit. Et Leſcus ex dolore rei male geſtæ, in morbum lentum ſtatim incidit, quo ſenſim tabeſcens, tandem vitam cum morte commutauit, & in templo SS. Trinitatis apud Sodales Dominicanos honorifice ſepultus eſt. Cui nos pro more hoc breue Cenotaphium erigamus.

Vitæ inſtabilitatis exemplum, viator, Leſcus Niger, hic quieſcit. Qui pro defenſione bonorum Eccleſiæ, contra impium patrem, pia arma ſumens, tota pene Cuiauienſi Tetrarchia eum ſpoliauit. Principatumque Minoris Poloniæ, parante aditum fortuna, adeptus, Roxolanos, Iazyges, Tartaros, Sileſios, Lithuanos, Maſouioſque ſuas ditiones, infeſtis populationibus inuadentes, ſecundis ſemper prœliis deleuit. Ita, vt in toto Polonici regni limite, deuictarum ab ſe gentium, ſummæ gloriæ trophæa ſpectarentur. Hic eſt ille incomparabilis fortunæ atque virtutis Heros, qui omnibus bellis ipſe præfuit, pugnaciſſimus Imperator; ſupraque aduerſæ fortunæ difficultates eluctatus, non modo de hoſtibus, ſed de ipſa quoque inuidia triumphauit. Et Iuſtitia, Religione, Prudentia, animi magnitudine, Clementia, Patientia, aliisque inſignibus virtutibus, tota vita, longe ornatiſſimus fuit. Sed qui demum vertente ſe fortuna, ſui diſſimilis & impotens factus, ex mœrore animi ſubito concidit, & anno MCCLXXXIX. Raptus eſt fato ſuo, quum regnaſſet annos. X. tu ſi prudens es, admirabile inſolentis fortunæ documentum hinc cape, & ſi pius eſſe velis, ipſius animæ requiem precare.

XVIII. PRÆMISLUS REX.

IN neminem vt videri poteſt, vel ab initio blandius, vel in exitu acerbius & petulantius fortuna iocata eſt, quam in ipſo Præmislo Duce Poſnanienſi, Poloniæ deinde Rege. Is etenim ſextum decimum annum agens, a Boleslao patruo, Duce Caliſſienſi, contra Marchiones Brandeburgenſes miſſus, adiunctis quorum conſilio faceret omnia Predipelco Palatino Poſnanienſi, & Io. Caſtellano Caliſſienſi, grauibus & prudentibus viris, & peritis rei militaris. Cum quibus profectus, Drenum & Strelce arces permunitas, poſt breuem oppugnationem diripuit & excuſſit; longeque ac late hoſtili regione vaſtata quæ cis Oderam eſt, cum præda ingenti domum rediit: atque hæc tunc rudimenta militiæ fecit. Cum vero Henricus Probus, Dux Vratislauienſium, per inſidias a Boleslao Caluo patruo ſuo captus fuiſſet, & omnes Poloniæ Satrapæ, indignitate rei moti, ad eliberandum eum exercitus ſuos miſiſſent, Præmislus quoque cum ſuis copiis ſuppetiatum venerat, & obuiam Boleslao prodeunte, vna cum aliis magno ardore prælium commiſerat. Et quamuis magnam iam ſtragem in hoſtibus edidiſſet, ita quod iam Boleslaus Caluus conſpecta ſuorum pauci-

tate, vno tantum comitatus milite, ex acie profugiſſet, nouercante nihilominus fortuna, ab Henrico eius filio, qui boni imperatoris fungens officio inſtaurauerat prælium, non modo victus fuit, ſed etiam captus. Vnde certis conditionibus dimiſſus, cum iterum ſigna Boleslai patrui Caliſſienſium Ducis contra Saxones ſecutus, in hyberna victor domum rediret, ab Henrico Probo, Vratislauienſi Dynaſta, pro quo arma ſumpſerat, & diuturnum carcerem perpeſſus erat, quaſi ad colloquium cum aliis Ducibus Poloniæ euocatus, tamdiu ab improbo cognato in carceribus detentus fuit, donec lytro ingenti ſeſe eliberaſſet, & Velunenſe inſuper ipſi territorium conceſſiſſet. Non deſponderat nihilominus iis caſibus animum vir acer, & ad res magnas gerendas factus, ſed auctus acceſſione Pomeraniæ, in qua bella gerens, præclarum virtutis ſpecimen ſuperiori tempore dederat. Henricique Vratislauienſis teſtamento, Cracouienſis & Sendomirienſis *P*rinceps nuncupatus, ad totius *P*oloniæ (nam Maiorem *P*oloniam fere totam ſolus obtinebat) dominatum aſpirabat, intermiſſumque regnum ducentis quindecim annis, magno & excelſo animo ambiebat. Igitur Anno mundi redempti 1295. indictis Gneſnam, vetuſtam totius *P*oloniæ metropolim, comitiis, diadema regium ab Iacobo Suinca Archiepiſcopo Gnesnenſi accepit, triceſimum octauum agens annum. Ac primum omnium offenſos ob præſumptum a ſe regnum cæterorum Ducum animos, blandis & modeſtis legationibus demulcere, & ad reſtinguenda mutua odia, ac diffidia inteſtina componenda, cohortari inſtituit: deinde externis bellis ſedandis tollendisque manum admouit, ac præcipue. Gedanum munire ob ſuſpectam Crucigerorum vicinitatem orſus eſt; cum ecce interim præclaros eius conatus mors immatura præcidit, ſeptimo vel octauo regni ſuſcepti menſe. Cum enim feſſum Reipubl. curis animum, apud Rogosnum oppidum venationibus relaxaret, Otto Longus, Marchio Brandeburgenſis, potentiam eius veritus, cum Ottone altero, & Ioanne, Conradi fratris filiis, ex Conſtantia *P*ræmisli ſorore ſuſceptis, incautum & nihil hoſtile a cognatis metuentem, cum armatis aliquot turmis, nocturno tempore aggreſſus eſt. Ille expergefactus primo tumultu, nec ſubita re conſternatus, cum paucis qui euigilarant, in hoſtes ad ſe venientes, neſciens quinam, quamque multi eſſent, pro innata generoſitate animi inſiluit; & multis ſtrenui fortisque viri operibus in eos editis, cum vnus omnium telis cominus eminusque peteretur, demum obrutus cecidit. Corpus *P*osnaniam relatum in baſilica, cum maioribus eius conditum eſt. Nos tam inſignibus virtutibus præditum, breui Epitaphio cohoneſtemus, quanquam nos hercle non vitæ, ſed gloriæ ſpatio metiri illum decet, quem & belli vſus iam tunc formidabilem hoſtibus, & pacis artes cunctis non dicam

cam ciuibus, sed mortalium seculis fecere venerandum, licet Regium nomen quod assumpserat, paucis diebus habuerit, decenter ast tamen illud & cum magna laude gessit, vt dignus meliori fortuna videatur.

Claudit hæc vrna Viator, incomparabilis Herois, Præmisli Poloniæ Regis ossa, qui non inuictis modo armis, sed magnitudine animi, admirabilique virtutum omnium concursu, cunctorum suæ ætatis Regum decus superauit. Eorumque Gloriam Generoso spiritu æmulatus, intermissum ducentis & quindecim annis Regium nomen, sumpto Diademate instaurauit. Et quamuis præcipitis fortunæ ludo iactatus, bellicosissimos nihilosecius Vandalorum Populos, Pomeranos, Silesitas, Brandeburgenses, Saxonesve, quos suum cœlum, suum sydus acrius animabat, armis ita perdomuit, vt ipsa mors eius argumento sit, eum non aliter vinci potuisse, quam fraudibus & insidiis. Hic enim est ille Princeps, qui solus fere hostiles acies non dubitauit inuadere, cum improbo astu, Henrici Probi, circumuentus esset, cum quibus diu fortiter strenueque pugnans, extremum prope subiit infortunium. Quod nec euasit postea, ab agnatis Brandeburgicis Marchionibus, nocte illuni, domi suæ, inuasus. Ubi desertus ab omnibus, se ipsum tamen non deseruit, sed plus quam vel Hostis speraret, sese acriter defendit, atque demum obrutus numero, confectusque vulneribus, nobilem animam expirauit anno MCCXCV. Vt de Rege summæ sed infaustæ virtutis, Clarissimo, deforme spectaculum ederetur. Volui vt ista non ignores, & pro anima ipsius ores.

XIX. VLADISLAUS LOCTICVS.

HUmanarum rerum velut circulum quendam esse, pulchre Hesiodus dixit, qui rotatus semper eosdem fortunatos diu non sinit. Hoc cum alias passim, tum in vita Vladislai, ab exigua humilique statura, Loctici, id est, cubitulis cognomentum tulerat, manifeste videre est. Is magno consensu omnium Rex Poloniæ designatus, ter imperio deiectus fuit; semper autem generoso risu collata sibi semel sceptra, eripientibus extorsit, & in honore vixit usque ad fatalem suum diem. Quo sane exemplo videri potest, veræ virtutis nomen, insolentis Fortunæ fluctibus iactari quidem, sed nunquam mergi atque opprimi posse. Igitur Vladislaus puer adhuc & vix decennium egressus, Cuiauiensium atque Lencicienſium Dux, ab obitu patris Cazimiri factus, non tulit Gostinium, a Conrado fratre, dolo sibi surreptum, impune possideri: verum tumultuaria manu facta, vt primum læsus, silenti agmine ad Bloscum metropolim Conradi ipsius, celeriter contendit, noctuque arcem aggressus, vigiles omnes cædit, & fit voti compos. Nec restituit fratri minitabundo, nisi restituto quoque sibi Gostinino, damnis-

damnisque resarcitis. Paucis post diebus, Lesco nigro sine liberis vita functo (cuius ille frater erat, alia quamuis matre genitus) Siradiensem dominatum vel inuitis ciuibus occupauit; & ad cæteros quoque Ducatus atque prouincias adspirabat, cupiditate potius proferendæ ditionis suæ, quam vero iure aliquo successionis. Nam minores Poloni tum Henricum Ducem Vratislauiensem Principem sibi delegerant, qui, omissa Bohemia (ad cuius quoque imperium inuitabatur) celeribus itineribus superueniens Cracouiam possederat; & Locticus indignum ratus alienum fratri suo Lesco succedere, exercitum opido ad deiiciendum eius præsidium eduxit, & ad Seueriam oppidum, tres Silesiorum Duces, cum expeditis copiis, ab Henrico tum ægrotante sibi oppositos repperit, Henricum videlicet Legnicensem, Præmislum Sprotauiensem & Boleslaum Oppoliensem, patrueles ipsius Henrici: & prælio commisso multis vtrinque cadentibus, ad extremum Loctico cessit victoria, vbi Præmislus strenuus adolescens interfectus, Boleslaus vero saucius captus est. Item duobus aliis certaminibus, apud scalam videlicet & Suetnicium Locticus Silesiii copias secundis præliis deleuit. Victor igitur Cracouiam profectus, omnium acclamatione Princeps salutatus est. Sed qui non diuturna lætitia frui poterat, paucisque diebus possesionem principatus retinuit. Siquidem veniente Henrico Legniciensi, (ipsi etenim Henricus Vratislauiensis adhuc decumbebat ægrotus) cum nouo validoque exercitu, cui nocte intempesta, proditores vrbem aperuerant, sumpto monachi habitu fugere coactus est, cum suos passim per vicos cædi, & se quæri animaduertisset: De muro itaque a Franciscanis Sodalibus demissus euasit: & Sendomiriensem nihilominus dominatum fortiter retinuit. Vnde dum a Bohemorum Duce Venceslao, qui post obitum Henrici Vratislauiensis, Cracouia positus erat, adortus esset, ita se strenue, quamuis vndique hostibus cinctus gessit, vt cæsis captisque compluribus Boëmos toto districtu eiecerit; nam non solum munitiones ab eis captas fortiter expugnauit, sed ipsum quoque Venceslaum, cum Marchione Brandenburgensi Otthone Longo, contra se venientem, ita continuis velitationibus afflixit, vt multis millibus amissis, vterque rebus infectis donum redire cogeretur. Nusquam enim ad vniuersæ rei dimicationem Locticus venire volebat, quamuis non contemnendum etiam & ipse exercitum haberet, sed quia Saxones melius armis vestiti fuerant, ideo ex insidiis tantum, cum nudi sui essent omnes, assidue vexabat hostes: maxime pabulatores & frumentatores, ita, vt nusquam e castris absque forti præsidio prodire auderent, & in castris excubias nocturnas duplicarent. Sæpissime enim quiescentes & corpora curantes, quam tumultuosissime ad castra adequitans exagitabat.
Reuer-

Reuersoque Venceslao in Boemiam, subiectam illi ditionem Cracouiensem infestabat, & magnis incommodis præsidiarios Boemos, vastationem agrorum prohibere volentes afficiebat. Cumque Præmislus Rex a Marchione Brandeburgensi fraude occisus esset, nullus inter Satrapas Poloniæ regno administrando melior visus Vladislao Loctico, quippe qui & in bellis compluribus gestis acer atque peritus rei militaris esset, & non parum roboris, domesticis suis opibus ad teneras adhuc noui regni vires adiecturus videbatur. Itaque in verba eius omnes iurant, & possessiones regni munitionesque tradunt. Ille nihilominus incertum quæ de causa, solennem regibus coronationis ritum distulit, nec regis nomen, sed hæredes regni Polonici vsurpauit. Et quia Silesii tunc Boemis satius fauebant, qui præsidio Cracouiam, & nonnulla alia loca pro Venceslao tenebant, præbebantque eis aditum ad cæteras Poloniæ oras, idcirco in eos inprimis expeditionem Vladislaus fecit, & non modo Boemorum præsidia fautoresque crebris excursionibus vexauit, sed vniuersam fere Silesiam depopulatus, luculentam prædam, nemine prohibente in Poloniam auexit. Sed quum & ipse licentius quam decebat regem viueret, & milites sui bona nobilitatis atque Ecclesiarum direptionibus assiduis vexarent. Proceres post tot admonitiones factas, tandem apud Posnaniam conuentu habito, regnum illi tunc absenti iterum abrogarunt, Venceslaumque Boemum regem inaugurarunt. Quapropter Locticus non regno tantum sed & patrimonio quoque spoliatus abiecta spe recuperandi sua & insidias aduersariorum declinans in Vngariam secessit. Inde porro Romam priuati habitu profecta facinora sua, duriore pœnitentia expiauit, deinde reuersus in Vngariam, Amedei Palatini Vngariæ hospitio aliquot annis vsus est, occasionem expectans, qua regnum ereptum repeteret. Est enim occasio, anima actionum, & rerum omnium bene gerendarum mater, præsertim in bellis, quæ semel neglecta, non nisi summis discriminibus recuperatur: & hinc Cicero dicit plura negotia oportunitate occasionum, quam viribus esse recte confecta. Cum itaque Polonis exosa iam esse inciperet Boemorum superbia, & Venceslaus bello Vngarico pro filio distentus esset, ac tandem breui moreretur, Vladislaus arrepta occasione cum aliquanta manu Vngarorum adueniens, arces nonnullas in suam potestatem redegit, ac tandem pulsis Boemis regnum vniuersum occupauit, non tamen diademate coronatus, quia maiores Poloni Henrico Duci Glogouiensi sese subdiderant, quos postea Vladislaus populationibus vastauerat, Henrico nusquam in dimicationem prodeunte, ac tandem in suam potestatem receperat. Comitiisque Cracouiam indictis, ad vicesimam diem Ianuarii Anno reparatæ salutis 1320. cum vxore Heduigi in Basilica Cracouiensi, ab Archiepiscopo

Gnesnensi, vita solenni coronatus est. Atque ex eo tempore, ius inaugurandi reges, atque ipsa regni insignia Gnesna Cracouiam, propter amplitudinem splendoremque vrbis, & plurimos maximasque commoditates, translata sunt. Interea Crucigeri cum Masouiis atque Brandeburgensibus fœdere inito, vniuersam Pomeraniam possederant, variisque fraudibus ac dolis Vladislaum munitionibus & possessione exuerant. Quos ille bello vlcisci cupiens, Masouiam primo ferro & igni longe lateque vastauit: sequenti deinde anno in Marchiam Brandeburgensem expeditionem fecit, & ad Francofordiam vsque cum infesto exercitu progressus, cum nemo contra prodiret, incensis plurimis pagis atque vicis, magnum captiuorum numerum & prædam ingentem inde abegit. Anno vero 1328. expeditionem toti Poloniæ in Crucigeros indixit, & cum omnibus copiis hostium fines ingressus, Culmensem tractum omnem, vsque ad Ossam amnem, flammis, cædibus, & populationibus peruastauit. Crucigeri quoque viceuersa cum Masouiis in Cuiauiam excurrerunt; quo accurrit & Vladislaus cum suis copiis, pugnauitque collatis signis fortiter, & euentu prospero satis; nam Masouii statim cum duce suo Venceslao diffugerunt, Crucigeri autem fortiter dimicantes, ad internecionem vna cum Commendatore Torunensi cæsi sunt. Varia deinde fortuna Vladislaus cum Crucigeris, Germanos & Boemos in auxilia aduocantibus, bellum per annos aliquot gessit: atque demum Maiorem Poloniam vastantibus prope Radiouiam occurrit, collatisque signis viginti millia ex eis in vna acie occidit; cum vix triginta gregarios milites, & duodecim nobiles de suis amisisset. Iterumque Masouiam & Culmensem tractum populatus, certis conditionibus pacem supplicantibus Crucigeris dedit. Cum exercitu autem in Silesios, qui anno superiore Poloniæ arma intentarant, progressus, ac nemine pugnandi copiam faciente, quinquaginta & amplius munitiones hostium cœpit, & incendit. Reuersusque ab eo bello Cracouiam ad sextum Idus Martias Anno Christi 1333. inter suorum lamentantium manus animam exhalauit: & in basilica Cracouiensi ad læuam aræ maximæ sepultus est. Princeps singulari patientia & mansuetudine, profusaque inprimis & perenni erga milites liberalitate. Clade enim aliqua accepta, militem propria pecunia iuuabat: vtque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere: vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura sibique & prælio firmabat. Quam vero magnanimus fuerit, vel ex eo solo colligere est, quod tametsi res eius bello attritæ, & iam desperatæ essent, nunquam tamen ad honestissimas pacis conditiones, quæ illi proponebantur, dummodo Regis nomine se spoliare vellet, & iuribus suis renunciare, attendere voluit: quin fortiter, & viriliter omnia tolerando

vsque

vsque eo obdurauit, dum conuerso rerum statu, regnum fraternum ingenti cum gloria armis recuperauit. Non cessit ille nouercanti fortunæ, sed fortiter restitit, probe gnarus, infirmi ingenii esse lapsu aliquo, summæ rei diffidere, cum exiguis momentis subito inclinentur omnia, quæ in bello geruntur. Itaque consuefecerat se, vt quoties in metu esset, hilaritatem præ se ferret; rebus contra secundis, humilis esset. Non de nihilo itaque Seneca scripsit, Duces rebus afflictis hilaritatem de industria simulare, & aduersas res adumbrata lætitia abscondere, ne militum animi, si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur. Non inquam de nihilo: quia, necesse est, ad fugam parati sint, qui Ducem suum sentiunt desperare, vt Vegetius ait verissime lib. 3. c. 22. Sed nos pro modulo nostro sepulchrum tam magni Herois scribendo saltim epitaphio cohonestemus, cum aliter exornare non possumus.

Claudit hæc exigua vrna, viator, magnum Sarmatiæ Heroem, Vladislaum cognomento Locticum, Religione, Mansuetudine, Liberalitate, Constantia, Facilitateque inter Poloniæ Principes Clarissimum, qui statura pusillus, ita manu promptus fuit, vt cum robustissimo quouis ad singulare certamen descendere non exhorreret, virtute vero tanta, vt cum maximis Regibus recte comparari possit, ac eo quidem magis, quo turbulentius & mutilatius Regnum accepit! Hic est ille Locticus, cuius heroicam fortitudinem inuictamque potentiam, & Silesii foris, & Masouii domi, & Bohemiæ regulus vtrobique exercuit: cuius generosum pectus, & excelsum animi vigorem, nec Brandeburgicus Marchio sua proteruia, nec Mariani Teutones pertinatia, nec Pomeraniæ Duces perfidiæ scelere, nec omnes simul immani sua potentia, infringere poterant. Hic est ille bellator inuictus, qui hostium ferociam agnatorum inuidiam, ciuium rebellionem, ipsius denique fortunæ insolentiam, ter Regni priuatione ab illa mulctatus, perpetua sua constantia deuicit, superatisque omnibus immitis Deæ aduersitatibus, Gloriosus tandem, Inclytus, felix, & Triumphator, bonorum omnium cum luctu, fatu concessit non plane Senex sexto Idus Martias Anno M. CCC. XXXIII.

XX. CAZIMIRVS MAGNUS.

CAzimirus cognomento Magnus summam ingenii grauitatem, indomitum præstantis animi vigorem & prudentiam in explicandis cum ciuilium, tum bellicarum rerum difficultatibus incomparabilem prætulit, per omnem ætatem Loctici patris virtutes æmulatus. Hic multo plura consilio quam vi aut armis feliciter gessit, procerumque pariter ac equitum vnanimi consensu Rex Poloniæ factus, inprimis latrociniis itinera purgauit, quæ regnante patre ob impunitatem valde increbuerant; postea ad externa mala,

manum admouit. Erat enim non mediocriter in rebus bellicis versatus, quamuis ad studia pacis natura fuerit pronior: deditque singulare virtutis specimen, patre Vladislao cum Silesiis bella gerente, vbi, cum in acie semper primus visus est, tum in oppugnatione Costeni, munitissimæ arcis, inter stagna & paludes sitæ, validoque hostium præsidio defensæ. Irridebat enim obsidionem nostrorum hostes, fisi viribus suis & situ arcis: itaque motus hac indignatione Cazimirus, audacius cum ea manu, quam circum se habebat, ad mœnia progressus, vi expugnare munitionem adortus est. Quod conspicatus reliquus exercitus, ducem secutus, non prius oppugnare arcem destitit, quam ea per vim potitus est. Regni autem habenis susceptis, in Russiam inprimis vniversalem expeditionem indixit, captaque Præmislia, Leopoli, atque Halicia, primariis totius Russiæ vrbibus, reliquis facile eius oræ munitionibus potitus est, ita vt ad Cremeneciam vsque arma circumferret. Atque sic ex eo tempore Russia in formam prouinciæ est redacta, Russique ipsi cum Polonis iure & prærogatiuis exæquati Palatinos, Castellanos, præfectos, iudices, aliosque magistratus, Polonorum more habere cœperunt. Hoc prospero successu Cazimirus elatus, totum se libidini ac voluptatibus dederat, quæ breui sic animum eius emollierunt atque dementarunt, vt paternorum præceptorum dignitatisque suæ oblitus, iniquas pacis conditiones a Crucigeris acciperet potius, quam erepta ab iis bello repeteret; ad quod quidem gerendum satis virium, præsertim accessione Russiæ habere videbatur. Excitatus autem crebris procerum admonitionibus Anno 1343. Henrico Zeganensium Duci bellum intulit, & quidem magnis viribus, vt recuperaret Vschouiensium territorium; quod & effecit paucissimis diebus, Stinauia, Gora & Lubino Vschouiaque ipsa celeriter expugnatis, præda militibus concessa. Henricus vero ipse, cum fratribus suis Ioanne, Conrado, & Præmislo, supplex in castra ad Cazimirum veniens, pacem æquissimis legibus impetrauit: & Cazimiro in Poloniam reuerso, ad Ioannem Boemiæ regem confugit, opem eius implorans, seque & sua omnia eius fidei permittens. Venit itaque Ioannes in sequenti anno, cum exercitu numeroso in Poloniam, & apud Cirinum pagum, in conspectu Cracouiæ castra habuit. Sed nostris neque frumentari, neque pabulari libere eum sinentibus, neque tamen pugnandi copiam facientibus, veritus ne in angustum redigeretur, biduo commoratus, soluit obsidionem: bipartitoque agmine, quo plura populationibus complecteretur, exercitum reuerti iussit: ipse autem cum paruo comitatu præcessit. Quod vbi Cazimirus didicit, concitato cursu, abeuntes insequitur; & primum quidem agmen apud Bialam pagum adorsus, secundum apud Pogonia profligauit, opera Prendotæ Galcæ, gente Odrouan-

zii, vbi plurimi cæſi captique fuere de primoribus Boemiæ. Quo etiam tempore Tartari obiter tranſcurſa Ruſſia, magna vi in Poloniam contendebant, quibus Cazimirus obuiam profectus, poſitis in ripa viſtulæ ſtatiuis, tranſitu eos prohibuit: Qui ferro atque igni obuia quæque vaſtantes, per Lublinenſem tractum retro abiere. Eorum poſtremum agmen tantum Cazimirus carpebat, aut ſi qui longius ab exercitu recesſiſſent; manus autem iuſto prælio cum eis conſerere non eſt auſus, quod longe maiores copias illo haberent. Anno deinde 1349. fecit Cazimirus Rex expeditionem in Rusſiam, vt eam quoque partem, quam Lubartus & Keiſtutus Lituaniæ Duces ſibi vſurpabant, regno ſuo adiicerent: magnaque felicitate vſus, vna æſtate expugnatis arcibus Luceoria, Vlodimiria, Breſte & Chelma: cæteris in deditionem acceptis, Volhyniam omnem Belſenſemque & Breſtenſem tractum, in poteſtatem ſuam redegit. Conantibusque Lithuanis recuperare Rusſiam, & cum exercitu ingenti ad Leopolim usque excurrentibus, Cazimirus eis cum expeditis occurrit, vnoque prælio totum bellum confecit, capto Duce eorum Lubarto, cæſisque ad internecionem eius copiis. Et Lubartus quidem promittens ſe Chriſtianam Religionem vna cum fratribus ſuis amplexurum, non ita multo poſt e captiuitate euaſit: Cazimirusque ipſi non diu ſuperſtes vixit; ſed dum cupidius ceruum fugientem, vti venationi erat deditus, impedito loco & inter vepres perſequeretur, labente equo cum impetu magno vehementer homo ſenex & carnoſus conquaſſatus eſt, & in morbum deinde lethalem incidit; indeque Cracouiam deportatus, cum rite Sacramenta Chriſtiana percepiſſet Nonis Nouemb. 1370. vitam exhalauit; & in baſilica Cracouienſi ad dextram aræ maximæ honorifice ſepultus eſt. Pacis vt dixi, quam belli artibus & operibus clarior, vnde & Magni cognomentum ſolus hic inter Polonorum Principes, non tam virtute bellica & victoriis meruiſſe videtur, quam operibus magnificis & plurimarum arcium & oppidorum munitione: & quod omnium ſummorum pariter & infirmorum hominum erga ſe beneuolentiam, iisdem quibus collegerat virtutibus, hoc eſt iuſtitia, facilitate humanitate, elegantia & clementia ad extremum retinuit. Etenim ad gloriam quidem plus valent bellicæ virtutes, præſens vero hominum beneuolentia, leuioribus his virtutibus facilius comparatur. Magis illas fere homines admirantur, ſed hos gratiore memoria proſequuntur. Tametſi bellicæ quoque gloriæ Cazimirus non expers fuit cum alibi, tum in Rusſia maxime, quam a maioribus ſuis amiſſam, maiore felicitate, quam ſudore recuperauit. Cuius rei memoriam, ne vetuſtas temporum aboleret, ſuperbisſimum ei grata poſteritas mauſolæum erexit, ad quod nos quoque hoc breue Epitaphium appendamus.

Quis fuerim, quid egerim, qui monumentum posuerint, si tua scire refert Viator, hanc Subscriptionem diligentius legito.

Vladislaus, Rex Poloniæ, ob breuitatem staturæ, Locticus, id est cubitalis dictus, me Cazimirum cognomento Magnum, genuit: non a proceri quidem corporis statura sic appellatum, cum hæc mihi vix mediocris fuisset, sed a magnitudine inuicti liberalisque animi, & perpetuo Illustris vitæ splendore, quo vel opulentissimos ætatis meæ Reges antecessi, habenisque Imperii susceptis in primis Poloniam meam Latrociniis purgaui, ac Patriciis insolescentibus, æquior Plebi fui: tum Silesios, Tartaros, Bohemosue, Regna mea infestantes, cladibus ingentibus affeci, & in Triumphum duxi: debellatisque Russis atque Lithuanis, Pomeria mea eorum Prouinciis auxi; & Coloniis Germanorum eo deductis, Patriam meam cultiorem atque populosiorem reddidi. Tandemque Anno reparati orbis M. CCC. LXX. Nonis Nouembris, Fabulam clusi meam, cumque Librorum exors essem, ciues mei mihi Mausolæum hoc pietatis ergo extruxere. Tu vero bone, manibus bona precare: sicque viue, vt &, cum vixeris, viuas.

XXI. SENDIVOGIVS SVBINIUS.

ET vi prudentis ingenii, & belli fortuna omnium Poloniæ Dynastarum præstantissimus Sendiuogius Subinius meruit in hunc fortissimorum virorum campum produci. Qui sub Cazimiro Magno bellis Silesiticis Boemicisque exercitatus, etiam apud Ludouicum Regem in pretio fuit; cuius signa contra Venetos secutus ordines Polonorum ductabat; Vndeque cum gloria reuersus, Maioris Poloniæ ab eo Præfecturam promeruerat. Qua potitus ob virtutem, cum alia plurima latrocinia purgauit, tum Vladislaum cognomento Album, Vladislai Loctici nepotem, a quibusdam rerum nouarum cupidis, ad regnum accersitum, & Cuiauiam possidentem, cum primo captum & admonitum dimisisset; iterum res nouas molientem, opera Ioannis Kmithæ, Præfecti Siradiensis, & Bartholomæi Weisemburgii Capitanei Brestensis, apud Gneucouiam conserto prælio, facile fudit fugauitque: Ac tandem Zlotoriæ circumsessum, magnoque cum labore oppugnatum, per deditionem accepit, & ad Regem in Vngariam misit. Cumque Lithuani, Ducibus Keistuto, Iagellone Lubarto, & Vitoldo Lublinensem atque Sendomiriensem oram, ad Sanum & Vistulam flumina, factis excursionibus popularentur, & Rex Ludouicus ex Vngaria veniens bellum in eos suscepisset, Sendiuogium Præfectura Cracouiensi, & Palatini Calissiensis titulo cohonestatum, cum parte ex-

te exercitus ad Chelmam recipiendam misit, ipse vero cum reliquo ad Belsum castra mouit: Is intra octauum diem Chelma potitus, Grabouecciam quoque, Grodlum, & Seuolossum, munitiones cæpit, rebusque ex sententia confectis ad Regem victor rediit: atque ex assiduo in castris labore, letalem concepit morbum, quem iam plane senex, diu ferre non potuit. Cuius nos tumulum hoc breui Cenotaphio cohonestandum duximus.

Hospes, siste Gradum, & quod scriptum est perlege. Sendiuogius Subinius, Vir ad omne laudis exemplum genitus, hic tumulatus est, qui ob res bello contra Venetos, Silesios, Lithuanos, Bohemosque præclare gestas, a Cazimiro Magno, & Ludouico eius Successore, Diuis Poloniæ Regibus, maximis in Patria honoribus auctus fuit. Quique præter ceteras virtutes, quibus longe aliis excelluit, hanc maxime coluit, vt omnibus assidue benefaceret, & neminem ob id sibi deuinctum esse vellet. Vale & abi.

XXII. VLADISLAUS JAGELLO.

NEmo credo sic est hospes in Polonia, ac in toto ferme Septentrione, cui non sit auditum de Iagellonia familia, quæ ducentos circiter annos apud nos regnauit, a Lituanorum Ducibus originem ducens. Cuius princeps Iagello Olgerdi filius, rerum gestarum gloria celeberrimus, Rex Poloniæ Anno Christi 1386. omnium consensu acclamatus, sacroque fonte a Bozenta Archiepiscopo Gnesnensi ablutus fuit: cui Vladislao nomen, bono veroque omine, quasi qui gloria potens futurus esset, maiores nostri indiderunt. Cum enim is Lithuaniæ & magnæ partis Russiæ dominatu potiretur, expetitus a Polonis, & ad regnum vna cum coniugio religiosissimæ virginis Heduigis, demortui Ludouici Regis Vngarorum & Polonorum filiæ, repudiatis quibusdam aliis procis, accitus, religioni Christianæ non modo semetipsum, sed cunctam simul Lithuaniam addixit; ditionesque suas omnes Poloniæ fœdere sempiterno adiunxit, & in curanda, atque a prodigiosis dæmonum superstitionibus, ad veri Dei cultum conuertenda gente sua agresti & barbara, per multum laboris, operæ, sumptuumque impendit. Nec indecorum sibi duxit præpotens Rex, Doctoris & Apostoli munere fungi, apud rudem & vilem plebeculam, cum nostri sacerdotes eius linguæ penitus essent imperiti. Non enim satis se functum officio, ac munere regio putabat, si tantum res humanas administraret nisi etiam res diuinas summo studio curaret. Itaq; quum iam Lituanam, siue Deo gen-

gentem, ac impiam antehac, ad ouile Christi adduxisset, in Ecclesiam dicauisset; in Bohemis quoque ad sanitatem, priscamque religionem, a multiplici errore, quo se ab Ioanne Husso seducti implicarant, reuocandis, non parum operæ sumpsit. Cumque pertinaciores eos esse animaduertisset, regnum ab eis delatum repudiauit. Similiter & ab Vngaris oblatum, quod illi viuente Sigismundo, quem carceri incluserant, offerebant. Verum Petrum Palatinum Valachiæ, cum ab eis sub interregno defecisset, solenni iureiurando in fidem & clientelam suam accepit. Prout & Varcislaum Ducem Pomeranorum Scetinensium, in societatem regni, ritu solenni iuratum admisit. Silesios quosdam, & Russos Satrapas domuit. Crucigeros Teuthonas, non modo Lithuaniæ inhiantes, verum etiam Poloniam ipsam, parentem & nutricem suam, crudeliter & impie laniantes, clarissimis aliquot victoriis repressit. Quod equidem bellum, viribus partium, generositate ducum, magnitudine cladium, varietate casuum, euentorum consequentia, omnium quæ vbiuis terrarum gesta vnquam sunt, si non maximum, at certe æquale fuit. Quibus deuictis, fractaque potentia totius Germaniæ, pacem æquis conditionibus dedit, quam maximopere amabat. Erat enim singulari lenitate & mansuetudine, ad remittendas offensas perfacilis, & supra modum credulus, quippe qui fallere neminem ipse consueuisset. Quo magis obnoxius & opportunus fuit, dolis & iniuriis, cum Sigismundi Imperatoris, tum Vitoldi & Suitrigellonis, proximorum suorum, de quibus erat bene meritus: per quos factum est, vt in administrando regno plusculum, haberet negocii. Quod omni ex parte beatum facere cupiens, cum literas ipse nullas sciret, tamen hic omne literarum genus, ac Musas ipsas tam Latinas quam Græcas in Poloniam introduxit, eisque domicilium in ea vrbe collocauit, quæ caput ipsius Regni fuit. Cracouiæ enim vniuersale gymnasium condidit, quod omni virtutis, ingenii, ac doctrinæ laude ad hanc diem floret, vt inde tanquam ex equo Troiano, innumerabiles viri prodierint, sapientia & doctrina præstantes. Illoque ipso adhuc viuente, plurimi eruditi in Polonia sunt visi: nam simulatque litteras & literatos in pretio habere cæpit, mox nobilitas, atque adeo plebs ipsa, sic humanioribus literis addicta fuit, vt nullum seculum legatur feracius virorum in qualibet scientia & facultate excellentium: quos singulos benigne complexus, eorum virtutem liberalissime fouit. Tanta si quidem fuit liberalitate & munificentia, vt non modo fiscum exhauriret, verum etiam magnam partem regiarum possessionum, ministris suis dilargiretur, ac tota interdum singulis hominibus donaret territoria: sic vt quodam tempore Martinus V. Pont. Max. prodigalitatem eius inhibendam sibi esse duceret, dato ad Archiepiscopum Leopoliensem

mandato

mandato, vt donationes eius reſcinderent. Ipſe abſtemius in omni vita ſua, nec niſi aquæ potor fuit, cæterum cibi appetentior, itemque balnei. Cumque regnaſſet annos duo de quinquaginta, & tres fere menſes, Anno demum 1434. pridie Kal. Iunias, ſeptimo decimo die poſtea quam ægrotare cæperat animam exhalauit, bonorum omnium cum luctu; ſepultusque Cracouiæ in Baſilica Diui Stanislai. Cuius monumentum, quod carie obſorduerat, per Sigismundum primum Regem Poloniæ eius nepotem, magnificentius renouatum eſt, vbi nos quoque, tanti Herois pios manes venerati, hoc breue Cenotaphium erigamus.

Viator quiſquis es: Hic ſitus eſt, Pater patriæ, Magnus Iagello, vir iuſtus atque perfectus, & in exemplar omnium magnarum virtutum natus, qui in medio Illuſtrium Sarmatiæ Regum, ſicut Sol in medio Planetarum ita refulſit, vt illi ſimilis in Gloria, in toto Septentrione non fuerit. Dux Magnus, Princeps Magnus, Apoſtolus ſuæ Gentis maximus, & Regum omnium Polonorum decus & ornamentum. Hic tam Bellicis, quam Religionis laudibus cumulatus, multa trophæa de hoſtibus omnis generis conſtituit. Inter quos Germanos, Crucigeris Boruſſicis ſuppetiantes, ad Gruneualdum memorabili pugna deuicit. Cæſis in acie vno die, quinquaginta millibus, captis quatuordecim. Quod nulli vnquam Regum, neque Nationum de Germanis licuit. Cumque octo & quadraginta annos feliciſſime regnaſſet, & quem Deus illi dederat vitæ curſum, multis magniſque caſibus exercitum peregiſſet, pie, Religioſeque in Fide Catholica moriens, finem viuendi fecit, Anno M. CCCC. XXXIV. æternitatem memoriæ erudita illi Profeſſorum Academiæ Cracou. quam fundauerat, Scripta contulere, immortalitatem Deus ipſe largitus eſt.

XXIII. VITOLDUS.

ETſi complures Lithuanorum Ducum ſtirps, viros illuſtres protulerit, præcipuos tamen, Iagellonem Regem, atque Vitoldum Ducem, in ſua propagine fuiſſe cenſemus: quorum prior Olgerdum patrem habuit, poſterior Keiſtutum, vterque autem Gediminum auum. Qui, Vitenen Magnum, Lituaniæ Ducem, apud quem Stabuli præfectus erat, cupidine negandi dolo interfecit, fauoreque popularium principatum adeptus, haud mediocriter pomeria ſua propagauit, nonnulla parte Ruſſiæ, partim vi & armis, partim pactis ſibi adiuncta. Hanc deinde moriens ſex filiis partitam reliquit Moniuido, Narimundo, Olgerdo, Keiſtuto, Coriatho, Iaunuto. Et Olgerdus quidem e Maria vxore, Thuerenſium Ducis filia, duodecim maſculos ſuſcepit, Iagellonem, Skirgellonem, Suitrigellonem, Boriſſum, Coributhum, Vigundum, Corigellonem, Narimundum,

Languinum, Lubartum, Andream & Buthauum. Keiſtutus vero ſex, Vitoldum, Patricium, Totiuilum, Sigismundum, Voidatum atque Dougotum. Et quemadmodum inter Olgerdi filios principatum obtinebat Iagello, quod & natu maximus, & præclara indole eſſet: ſic inter Keiſtuti filios Vitoldus, quod præter primogenituram & effigie, & virtutibus, & vigore animi expresſius patrem referret: atque ſic inter hos duos patrueles, ſumma erat & animorum & voluntatum coniunctio. Cum itaque Iagello, paterno principatu potitus, Voidilonem quendam ex humili fortuna euectum (is enim piſtrinam primum apud Olgerdum patrem eius exercebat, deinde cubicularius, ac tandem pocillator factus, inter intimos habitus eſt) ſumma beneuolentia complecteretur, & ſororem ei ſuam in matrimonium collocaſſet, non leuiter offendit Keiſtutum patruum. Qui, criminatus a Voidilone, contractis raptim copiis Vilnam inuaſit, & Voidilonem captum opido in crucem egit: quum Iagello per id temporis, contra Polocenſes imperium ſuum detrectantes, cum exercitu abiiſſet, Quæ tum Iagelloni nunciata eſſent, & Keiſtutus ad Nouogrodum Seuerienſem oppugnandum cum copiis proceſſiſſet, celeriter cum victore exercitu aduolans, non modo Vilnam proditione recepit, verum etiam Trocos munitiſſimam arcem per deditionem occupauit: parantemque contra ſe bellum Keiſtutum, vna cum Vitoldo filio, per ſpeciem colloquii ſeuocatos cæpit. Et Keiſtutum quidem, cathenis vinctum, & Creuam miſſum, in carcere necauit, Vitoldum vero fato ſuo ſeruatum, in cuſtodia detinuit. Quem, cum neque Crucigerorum Magiſtri, neque fratrum, patruorumue deprecationes liberare potuiſſent, vxor eius, quæ liberam habebat commeandi ad virum poteſtatem, nocte quadam, commutato cum vna de duabus pediſſequis habitu, veſte muliebri indutum eduxit. Elapſus itaque in Maſouiam ad Ioannem Ducem affinem ſuum, atque inde in Pruſſiam ad Crucigeros confugit; a quibus benigne recreatus & bene ſperare iuſſus eſt. Sed & Iagello ipſe ad Regnum Poloniæ vocatus, ne hoſtem a tergo haberet, reuocatum e Pruſſia multis ſibi beneficiis obſtrinxit: conceſſoque ipſi Grodnenſi dominatu, Breſte, Drohicino, Melnico, Bielſco, Suraſſo, Camenecia, Volcouiſco, oppidis atque territoriis, ita pactus ſibi fidem & obſequium eius, vt is ne legatos quidem, quoquam ſe inſcio mitteret. Quare fidelem præſtitit ille patrueli operam contra Crucigeros, ſub tempus inaugurationis & nuptiarum eius Lituaniam vaſtantes: itemque contra Suetoslaum Smolenſci Satrapam, eodem tempore ex compoſito, Vitebſcum & Ruſſiæ oram, parte ab alia vexantem, quam non modo defendit, & ea quæ ille poſſederat recupauit, verum etiam interempto Suetoslao, Ducatum eius Smolenſcenſem, totum in Regis poteſtatem redegit.

Sed

Sed quum Rex Iagello, prætermiſſo Vitoldo, ac quaſi contempto, ſummæ rerum apud Lituanos pro ſe, Skirgellonem fratrem præfeciſſet: Vitoldus excelſi animi vir, deteriori parere indignum ratus, munitionibus ſuis valido præſidio firmatis, in Pruſſiam ad Crucigeros iterum contendit; apud quos aliquandiu commoratus, rei familiaris adminiſtrationem, & linguam Germanicam didicit: fœdusque icerat cum illis, & ſpe potiundæ Lituaniæ ab eis onerabatur. Sed cum ſuſpectam eorum fidem, ſiue vacua ſuſpicione, ſiue coniecturis quibusdam habere cæpiſſet, clam ſibi per internuncium Vladislaum Regem reconciliauit: inſciisque Crucigeris reuertens, tres arces illorum Samogitiæ confines, in itinere cæpit, & exuſſit, præſidiariis partim cæſis, partim in ſeruitutem, abductis. Spe vero adipiſcendi principatus Lituaniæ a Rege ſibi iniecta, cum diu expectaſſet fruſtratus, reconciliatis ſibi per internuncios Crucigeris, tertio ſeſe ad eos recepit, & Lituaniam inde armis eorum toto biennio infeſtauit. Atque de nouo reconciliatus Regi, in abitu aliquot caſtella eorum exuſſit, & captiuos in Lituaniam ſecum multos abduxit, iureiurando promittens ſemper fore in fide & clientela Polonorum. Quapropter Lituaniæ Ruſſiæque toti præfectus, breui temporis ſpacio, detrectantes iuſſa facere Megiſtanes, armis compeſcuit feliciter, partim eiectis aut interemptis rebellibus, partim captis aut profligatis contumacibus. Quin & Tartaros ex Aſia ſeſe effundentes repulit, cæſis tribus eorum ducibus diuerſis præliis, vt amplius in ditiones eius, præcipue in Podoliam, quæ illi tota parebat, incurrere non auderent. Tribumque eorum vnam, quam illi Ordam vocant, cum pueris & mulieribus abegit in ſeruitutem, partemque captiuorum Regi Vladislao, & proceribus Polonis dono miſit, partem in media Lituania, ſupra Vacam amnem prope Villnam, agris attributis collocauit: qua manent ibi in hodiernum priſcæ virtutis & armorum non immemores, ritus autem patrios Machometicæ ſuperſtitionis adhuc ſeruant. Cum Crucigeris quoque Pruthenicis & Liuonienſibus bellum vario Marte geſſit ſæpius tamen proſpero ſucceſſu; nam & Samogitiæ dominatum totum eis ademit, & magno illi Gruneualdenſi prælio, cum non contemnendis copiis interfuit, vbi centum quadraginta millia Germanorum cæſa fuere. Verſus ortum ſolis quoque transmiſſo Vgra flumine in Moſchos expeditionem fecit, prouocatus iniuria a genero, Duce gentis Baſilio, quem cum ad pugnam elici non potuiſſet, peruaſtata longe lateque regione, præda onuſtus in Lituaniam rediit. Iterumq; expeditione in eum ſuſcepta, vsque ad Occam fluuium populabundus proceſſit, & munitiones omnes expugnauit. Ob hæc igitur aliaque huiuscemodi, vt hominem militarem diligere eum ſuus exercitus, & vt virum fortem admirari vicini populi cæperunt; Ipſeque Vladislaus Rex per multum tempus, eius conſiliis maxime in omni re nixus, ita

 autho-

authorithatem eius indulgentia ſua, apud Polonos auxerat, vt illum magis quam ſe reuererentur. Quem tantæ tranquillitatis & fortitudinis fuiſſe ferunt, vt mœrore vel gaudio, vultum nunquam mutarit, ſeuque res lætas, ſeu acerbas acciperet, tanta nihilominus oris, oculorumque ac totius vultus conſtantia fuit, vt quaſi perennis quædam ſerenitas illi ineſſe videretur. Princeps impiger & vegeto ingenio: abſtemius in omni vita, nihil præter aquam bibere ſolitus: in victu temperans, temporis perparcus, ita, vt ſupra menſam iudicaret, & reſponſa legatis daret: cæterum in venerem procliuior: in externos liberalis: ſuos vero metu magis, quam beneficentia in officio continere ſolitus. Ipſe vtique nullum non militiæ munus obire, & ſiue quid fodiendum foret, primus fodere; ſiue pons flumini imponendus, aut extruendus agger, ſiue quod opus manum faciendum, aut labor ſubeundus, primus omnia occupare: tenuique menſa ac ligneolis poculis vaſisque eſculentorum contentus eſſe: panem etiam temere factum comeſſe, ſeu maſſam in carbonibus decoctam. Omnia denique elegantiora aſpernari, & viliſſimis quibusque, ac vel pauperrimo gregarioque militi facillimis vti. Iam autem quanto ſe viri præſtantes ſubmiſſius gerunt, tanto ſublimius attolluntur iudicio eorum, qui veræ magnitudinis indolem non externo faſtu, ſed internis animi dotibus æſtimare didicerunt. Statura autem fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genuas ſolitus, qui ſenio & aſſiduis laboribus exhauſtus, tandem apud Trocos ſpiritum exhalauit, & Vilnæ ſepultus eſt. Et hæc de rebus ab illo præclare geſtis, quibus addo Epitaphium, quod ſepulchro ſuo inſcribi poſſit.

Quieſcit in hoc ſepulchro, Hoſpes Magnus Sarmatarum Bellator Vitoldus, Magni Ducatus Lituaniæ, Maximus Princeps, Iuſtitia, Comitate, Affabilitate, vigore animi, aſtu, peritia rei militaris, & rebus contra Tartaros, Ruthenos, Moſcos, & Crucigeros tam Liuonienſes quam Pruthenicos feliciter geſtis, omni æuo memorabilis. Et in quo noua Euangelii Lux, cum nouarum virtutum admirabilibus exemplis illuxit. Hic eſt ille Heros, qui in ſumma Barbariæ natus, ſumma pietate Chriſtianam Religionem complexus, pro ea aſſerenda, bella cum Barbaris continua geſſit: eisque Glorioſus, reliquos quoque hoſtes, facile deuicit, & Imperium Polonum ſubactis Prouinciis auxit: vnde etiamnum nomen par æternitati per cunctas Gentes obtinemus. Hic eſt, qui dogmatibus Chriſtianis imbutus, in omni vita abſtemius, nec niſi aquæ potor fuit: qui in victu, & veſtitu, ſemper temperans vixit, qui Viros fama meritisque inſignes, Magna liberalitate fouit, & qui benefica in omnes voluntate, Sacrorum Myſtas præcipua veneratione coluit. Denique expletis LXXX. annis, plenus fide & operibus Chriſtianis, mortuus eſt in ſenectute bona, & in Regionem viuorum receptus Anno ſalutis. M. CCCC. XXIX.

XXIV.

XXIV. SIGISMUNDUS LITUANIÆ DUX.

INter fratres Vitoldi, maximæ authoritatis Sigismundus Starodubensium Dux fuit, qui & rei militaris ſcientia clarus, toties cum illo contra Crucigeros bellis tum in Pruſſia, tum in Liuonia interfuit, Moſcouiticasque & Tartaricasque expeditiones, ſæpius eius nomine adminiſtrauit. Hic igitur defuncto Vitoldo, a Rege Iagellone Magnus Dux Lituaniæ declaratus, imprimis Suitrigellonem germanum Iagellonis, temerario auſu Principarum inuadentem, apud Oſmianos inſigni ſtrage profligauit; cæſis decem circiter millibus de exercitu eius, qui e Ruſſis, Tartaris & Liuonienſibus conſcriptus fuit, captisque quatuor millibus. Vbi gratiis more Chriſtiano pro ſucceſſu Deo redditis, monumentum quoque victoriæ, templum ac Collegium Sacerdotum inſtituit: cumque victore exercitu Liuoniam ingreſſus, per duodecim dies eam populatus eſt, ingentemque prædam inde aſportauit. Quod dum Teuthones ulciſci, & conſcripto numeroſo exercitu inuadere Lituaniam pararent, miſſo contra eos filio Michaële, fœdiſſima illos ſtrage ad Vilcomiriam affecit; vbi & Magiſter ipſe Ordinis, & Marſalcus eius cecidit, multique mortales cæſi, multi Suentæ fluuii vndis extincti, innumeri pene capti fuere: & inter eos Sigismundus Rotus Sileſius, qui aliquando a Ioanna Ciarnicouio Polono captus fuerat, dum Pruthenicis Crucigeris auxiliares cohortes e Bohemia adduceret, ſubque militari ſponſione dimiſſus, quod contra Polonos arma ſumere amplius non debebat, fidem fregerat. Itemque Coributus Iagellonis frater, qui paulo ante e Bohemia per Pruſſiam reuerſus, Suitrigelloni ſe & Crucigeris cum ſuis legionibus coniunxerat: Quare vterque in profluentem demerſus; Suitrigello autem cum paucis Ruſſis effugit, & ex eo tempore Smolenſcum, Orſam, Poloſcum, Vitebscum & Rusſiam fere omnem victoriis fidem ſecutam, amiſit. Cæterum Sigismundus, quia paulo durior ſubditis viſus, ideo facta conſpiratione nonnullorum procerum Lituaniæ, a Ioanne Duce Ciartorienſi, quadam nocte interfectus eſt. Habebat enim ille vrſam cicurem, quam ad menſam, & ad cubiculum familiariter admittebat. Ea non venerat illo eunte cubitum, vel de more emiſſa exiuerat, & a coniuratis alicubi concluſa erat. Eius igitur vnguium ſcalptura ad oſtium cubiculi aſſimilata, coniurati intromiſſi, Ducem nihil tale ſuſpicantem trucidarunt. Cui pro meritis, hoc breue Epithaphium ſubſcribamus.

Memoriæ & Honori incomparabilis Herois Sigismundi Magni Ducis Lituaniæ, Pace & Bello Inclyti Principis. Qui perduellibus Regis Iagellonis Secundo prælio profligatis: contumacibusque Liuonienſibus Marianis, ad interne-

cionem pene, cum suo Magistro cæsis: per totum vitæ suæ tempus, nihil habuit antiquius, quam prope afflictam, nutantemque Lituaniam, stabilire primo, deinde & ornare. Sed eum, proh dolor, hæc talia molientem, inopinatum coniuratorum scelus, crudeli fato, apud Trocos oppressit. Anno Christi incarnati. M. CCCC. XXXIX. Hoc volui, ut scires, Viator, abi, & vale.

XXV. MICHAEL BUCIACIUS.

EX quo Podolia Polonorum potestatem cessit, semper Buczacii optimis partibus addicti, & strenui defensores patriæ libertatis fuere: pro qua, omnes fere, ad nostram vsque ætatem, in acie vitam cum Barbaris dimicando posuere: vix aliqui certe, præter vltimum (iam etenim nobilis huius familiæ vena, quæ numerosos proceres, ac longa decora præferentes produxit viros, infelici hoc nostro sæculo, extincta est) numerari possunt, qui domi inter ploratus & lamenta mulierum, morbis aut ætate extincti fuerint. Tot enim tantisque pignoribus ac meritis deuinxerunt fidem suam Reipubl. vt piaculum sit in dubium vocare, ipsorum virtutem, constantiam atque integritatem. Et familia satis quidem cum viris & cognationibus, tum etiam fortunis abundans: ex qua Primus Michaël, post excussum iugum toti Roxolauiæ, a Magnis Ducibus Lituaniæ impositum, in fide & clientela Polonorum armis inclaruit. Et temporibus Iagellonis Regis, contra Suidrigellonem, fratrem eius perduellem, multa bello egregia opera edidit, & copias eius ad Cremeneciam clade ingenti affecit. Tum Valachos quoque e Suiatinensi, Haliciensi, atque Camenecensi agro cum ingenti præda reuertentes consecutus, magna strage fudit, prædamque excussit. Et copiis coniunctis cum fratribus Mirsilo atque Theodorico, partem magnam Podoliæ in potestatem Regis Vladislai redegit. Idem Fedconem Ducem Ostrogium virum bellicosissimum, pro Suidrigellone arma sumentem, sæpius repressit: & Suidrigellonem ipsum sub tempus inaugurationis Regis Vladislai, Podoliam populantem, cum Vincentio Samotulio, qui Polonorum legioni præerat, iunctis cohortibus suis, aliquot secundis præliis profligauit; & Theodoretum Ducem Nesuissensem ab eo captum liberauit, cum quo statim Bratislauia, Cremenecia, Sbarassum, Vinnicia, Chelmicum, Socolicia, atque alia oppida & munitiones, in ditionem Regi venerunt. Demum ingressis numeroso exercitu Tartaris in Podoliam Anno trigesimo octauo supra millesimum & quadringentesimum, regnante iam Vladislao Iagellonide, qui ad Varnam occubuit, quum eorum populationes Michaël prohiberet, & vt erat ingentis spiritus, aperto Marte cum eis decertaret, circumuentus cum paucis a multitudine

tudine concidit, & cum eo pleraque omnis nobilitas Russiæ: ita, vt crebris deinceps excursionibus Tartari, omnem illam regionem absque metu peruastarent. (Adeo nulla est felicitas, quam non aliqua parte ægritudo contaminet.) Quum Duces omnes a nemine præterquam a Michaële superari locorum iniquitates, & validissimos hostium interdiu noctuque acriter incumbentium impetus sustineri posse faterentur. Illo autem sublato, rari inuenti, qui irruentibus procellæ adinstar barbaris, resistere possent aut scirent. Idcirco ab eius schola, tanquam ab exacto militiæ Magistro, multi qui postea inclaruere, summi Duces prodierunt, quum ea quæ ille prospere gessisset, apud hostes & socios pro documentis, & disciplinæ præceptis haberentur. Hunc igitur tantum, ac tam magnum Heroem, pro virtute & meritis, hoc sepulchrali elogio condecoremus; siquidem magnorum virorum, & excellenti virtute præditorum laudes celebrare, apprime vtile est vitæ hominum & necessarium, vt & illis, quoad fieri potest, pro meritis suis gratia referatur, & cæteri habeant, vnde virtutis & laudis exempla petant, & quod ad bene merendum de suis incitentur.

Dis. Man. S. Incomparabilis Heros, Michael Buciacius, Podoliæ Præfectus, hic condi sua ossa voluit. Cuius si virtutem spectes, Viator, satis vixit. Si ætatem, parum. Is siquidem profligatis toties Valachis, Tartaris, Incubatoribusque Magni Ducatus Lituaniæ, quum Patrium, Auitumque Heredium defensurus, cum Barbaris animose conflixisset, circumuentus a multitudine, maluit in Prælio fortiter occumbendo egregiam sui memoriam linquere, quam fugiendo turpiter Auitæ Gloriæ deesse.

XXVI. THEODORICUS BUCIACIUS.

POst obitum Michaëlis fratris, cum quo sub Iagellone Rege contra Suitrigellum Podoliam populantem, strenue sæpius feliciterque pugnauit, tota militum manus ad Theodoricum concurrebat: cum quibus ille, arces Podoliæ nonnullos, a Michaële, Sigismundi olim Magni Ducis Lituaniæ, filio interceptas, recuperauit. Ob quam rem Præfectura Podoliæ, a Vladislao Iagellonide honoratus, flagrantis apud eum gratiæ, & præcipuæ apud suos Roxolanos dignationis fuit: quas dotes non auræ popularis aucupio captauit, sed integritatis & fidei commendatione promeritus est. Ea enim morum actionumque moderatione fratrem summis nitentem virtutibus æmulabatur, vt cunctis ciuium ordinibus esset carissimus; supraque cæteros ciues, ipsi duo fratres, dum adhuc in viuis Michaël esset, mire concordes eminerent, & Rempubl. paternis auitisque artibus feliciter administrarent, vtpote qui veteres opes, maiorumque perpetuam inter ciues

ciues existimationem validis affinitatibus, numerosis clientelis, & noua denique virtute corroborassent. Cazimiroque Rege, post receptum iusiurandum Cameneciæ, a Petro Palatino Valachiæ, in Lituaniam abeunte, cum Tartari rapidi torrentis in modum, per totam Podoliam populabundi sese diffudissent, ferro & igni cuncta vastantes, Theodoricus cum expedita manu, impeditis in locis palatos aliquoties adortus, non leuibus incommodis affecit, multosque captiuos liberauit. Demum in Valachiam cum exercitu iussu Regio profectus, vt Alexandrum puerum deduceret; qui a patruo Bogdano principatu eiectus in Polonia exulabat, ad Nestrum signis collatis fortissime depugnauit, & Polonis victoriam insignem peperit. Nisi fortunam eiusce diei obnubilasset cædes ipsius Ducis, qui fortissime dimicando suis triste desiderium reliquit, sibi gloriam immortalem morte quæsiuit. Quem pro more nostro ob virtutem hoc breui Epitaphio condecoremus.

Theodoricus Buciacius a Vladislao Iagellonide, quod impiger militiæ esset, Podoliæ Toparcha constitutus; compressa seditione Michaelis Ducis Lituaniæ, ad Dominationem adspirantis: cæsisque sæpius Barbaris Russiam incursantibus: Cum demum, Daciæ Regulum Alexandrum, iussu Cazimiri Regis, in Patriam deduceret: Parta de Bogdano, Polonis insigni Victoria; In ipso felicitatis cursu, Fato crudeli cecidit. Qui te amice Lector, de hoc Tumulo, plurimum saluere, & bene valere iubet. Tu vicissim, si pius es, ipsius animæ Requiem precare.

XXVII. ZINDRAMUS MASCOVICIUS.

QUantus & quam magnus animo Zindramus Mascouicius fuerit? vel hinc facile quisque cognoscere poterit, quod in generali illa expeditione contra Crucigeros Prussienses, summa totius belli administratio ad eum, qui ensiferis tantummodo Cracouiensis, inter concio-nes suos honorem gessit, delata fuerit, vbi Rex ipse Iagello, non minus prudentia, quam rerum bellicarum scientia præclarissimus adfuit, vbi frater eius patruelis Vitoldus astu militari, & tot reportatis de hostibus trophæis, celeberrimus, vbi Duces Masouiæ fortissimi, & totius Regni proceres fuere, vbi denique omnis omnium Prouinciarum Regni Poloniæ nobilitas conuenerat. Inter hos ille omnes scientia rei militaris præstare inprimis videbatur, homuncio statura parua, sed ingenti spiritu, & ingenio solertiaque non vulgari: ex ea familia, cuius insigne sol est. Singulari humanitate, prætcrea & morum elegantia præditus, vt facile in amorem sui pelliceret, quicunque virtutem in pretio haberet. Et qui ita attollentibus cunctis procerum ordinibus annuit, vt se tanquam indignum excusaret,

ſaret, parumque idoneum ad periculoſiſſimi belli vim ſuſtinendam: ſic vt amore patriæ potius, publicæque ſalutis & dignitatis cauſa, quam vllo ambitu regimen ſuſcipere videretur. Huic igitur longe optimo atque fortiſſimo viro, qui gerendo bello cæteris omnibus aptior, & ad defendendam communem iniuriam, magnitudine animi, militarique auſu promptior cenſeretur, ad memoriam temporum hoc Cenotaphium erigamus.

Somno & ſecuritati æternæ. Zindrami Maſcouicii, Enſiferi Cracouienſis, totius Sarmatiæ Iudicio fortiſſimi. Qui ad Gruneualdum in Boruſſia, ipſo Rege aſſentiente, Imperator Exercituum Polonicorum a Legionibus acclamatus, eo victoriæ euentu, collatis cum hoſte ſignis conflixit, vt Theuthonici quanquam eximie fortes, amiſſis Ducibus funderentur: Cum de centum & quadraginta millibus Armatorum; quinquaginta cæſorum & XIV. captiuorum millia fuiſſent. Hic igitur tantus, & cum iis quos mirata eſt antiquitas Heroibus comparandus, leui febricula ſublatus, donec immortalitatem producat, ſui reliquum huc aſſeruandum dedit. Tu qui Legis Manibus bene precare.

XXVIII. DOBESLAUS PUCHALA.

Zindramo Maſcouicio, qui ab illuſtri inuſitataque animi magnitudine, & immenſo ardore pugnacis ingenii, bello Pruthenico ad Gruneualdum, ab omnibus delectus Imperator fuerat, inter Tribunos haud poſtremus Dobeslaus Puchala erat; vir proceritate corporis, & forma digna imperio: ſed animi dotibus, linguarum peritia, doctrinæque, vt in illa ætate ornamentis, & multiplici rerum vſu longe præſtantior. Hic cum Vitoldo Duce contra Tartaros, & cum Iagellone Rege contra Crucigeros Pruſſienſes haſtatorum alam ſæpius ductabat; cui poſt Gruneualdenſem victoriam Rex, Ripini & Bobrounicorum defenſionem demandarat. Quum igitur Hermannus Liuonienſium Theuthonorum Magiſter non contemnendas copias militum e Germania & Boemia in Pruſſiam adduxiſſet, iisque apud Golubum relictis, ipſe cum paucis Mariemburgum diſceſſiſſet, Dobeslaus inſidiis apto loco diſpoſitis, paucisque qui hoſtem prouocarent præmisſis, cum toto agmine a tergo eos adortus, cum in palantes inopinato proſiliiſſent, omnes ita perterritos, & incompoſite fugientes oppreſſit, vt præter occiſos, quatruplo maior numerus captiuorum eſſet, quam eorum qui eos cæperant. Huic igitur ob virtutem & merita breue Epitaphium ſubſcribamus.

D. O. M. cæterisque Diuis. Dobeslaus Puchala: impiger manu, Exercitusque militia, Regis Iagellonis Tribunus. Cui fida Comes, & nusquam abſcedens fortuna in Bellis aderat, fati importunitate, omnibus lugentibus, ætate

florente sublatus : Heic sua Ossa condi voluit, donec dies Domini Magnus aduenerit.

XXIX. ANDREAS BROCHOCIUS.

CVm multi alii viri insignes, in castris Iagellonis Regis, bello Prussico fuere, tum Andreas quoque Brochocius, Præfectus Brestensis, gente Ossorius; qui in Vngaria apud Sigismundum Regem, contra Turcas & Venetos militauit, & in patria rebus sæpius præclare gestis, ingentem nominis sui gloriam, non inter ciues modo, sed & apud exteros etiam comparauit. Vir non magis fortis, quam religiosus & pius. Erat is cum Matthia Labissinio Brestensi, & Ioanne Coscelecio Inouladislauiensi, Palatinis, & cum omni nobilitate Cuiauiensi, relictus a Rege, ad præsidium eius oræ, cum imperio, ne quid a Crucigeris ibi moueretur. Indignati igitur Palatini sibi eum prælatum esse, domos cum clientibus suis, per speciem comparandi commeatus recesserant. Perstitit in castris Brochocius ipse, nihilque ea discessione deterritus, diligentius seruabat excubias quoquouersus dispositas. Fuerunt in præsidio Nessouiæ octingenti equites Crucigerorum, qui incautum Brochocium opprimere volentes, silenti agmine eggressi, a tergo, vbi nullas rebantur seruari excubias, magno animo adorti sunt. Sed nostri correptis armis, ita eos adhortante Brochocio exceperunt, vt ad vnum fere essent deleti vel capti. Idem in Grunealdensi prælio, quo plus sanguinis fusum constat, quam duobus aut tribus antea seculis, legioni integræ præfectus, rem strenue gessit. Et in oppugnatione Coualouiæ atque Golubensis arcis, inter primos semper pugnare visus est: ob idque a Rege Iagellonide plurimi æstimatus, & Cuiauiensium phalangi ductor datus erat. Nam præoccupare imminentium hostium consilia, munitiora loca castris antecapere, hostes imagine committendæ pugnæ distinere, diuque ludificari, ac fatigatos demum longi laboris atque vigiliæ mora, ideoque vinci paratos, peracri repentinoque impetu inuadere consueuerat. Cui ob egregia in patriam merita hoc breue elogium apponamus.

Andreas Brochocius, ad virtutem a natura compositus, omnique liberali doctrina perpolitus, Sigismundo Romanorum Imperatori, & Vladislao Iagelloni, Poloniarum Magno Regi, ob res bello sæpius præclare gestas, seruatamque in Castris ad Nessouiam, veterem Sarmatarum Disciplinam, carissimus, in ipso felicitatis suæ cursu, fato præcipiti ereptus, hic tegitur depositus.

XXX. PETRUS SAFFRANECIUS.

PRudenter ſane dixit, quisquis virtutem in viro nobili magis ſplendeſcere dixit: quod ipſum eueniſſe vel in ſolo Saffranecio videmus, cuius maiores, licentiore vita, labem nonnullam familiæ adſperſerant, quam Petrus noſter detergere cupiens, toto conatu ad virtutem contendebat; adeo, vt a Rege Iagellone vniuerſæ Podoliæ Præfectus conſtitutus eſſet, vix trigeſimum ætatis annum attingens; ſimulque Magiſter cubiculi Regii & Succamerarius terræ Cracouienſis ob præclaras animi dotes renunciatus. Ob quas quidem, & in illa expeditione Polonorum generali contra Crucigeros, ad Gruneualdum in Pruſſia, conſiliarius datus fuit, magno illi viro Zindramo Maſcouicio, ad quem ſumma adminiſtratio belli fuit delata. Cumque gnarus militiæ præ cæteris eſſet, ab eodem Rege prudentiſſimo Dux totius exercitus declaratus, ita ſe amanter pro Republ. vbique geſſit, vt vel ſolus familiæ ſuæ dignitatem conſeruare videretur. Et in Pruſſiam cum infeſtis copiis profectus, collatis ad Tucholiam cum hoſte ſignis, ita ſtrenue decertauit, vt profligatis acie Crucigeris, caſtra inſuper eorum diriperet; quin & quinque inſignes eorum ductores captiuos ad Regem adduxit. Quamobrem Palatini Cracouienſis titulo ab eo cohoneſtatus, non feſſam ætatem, non actos labores prætendebat, ſed ad omnia Reip. munia promptus, etiam Sileſios, Vladislao Iagellonide, ad Vngaricum regnum euocato, latrocinantes, bello perſecutus domuit. Quem hoc breui Epitaphio decoremus.

Iouæ Optim. Maxim. & immortali memoriæ Viri clariſſimi Petri Saffranecii, Palatini Cracouienſis, Podoliæque Toparchæ. Ob vetuſta in Rempub. merita, Vladislao Iagelloni, Regi Sapientis. Cunctisque bonis chariſſimi. Qui cum Exercitu in Pruſſiam miſſus, Theuthones Marianos, ad Tucholiam acie vicit, & Triumphi Inſignia accepit. Tum quoque Vladislao Iagellonide, ad Vngaricum Regnum euocato, compreſſis Seditionibus, extinctisque Latrociniis, Auitum decus recoluit. Sicque Patriæ & Amicis vixit, vt eum vixiſſe non pudeat.

XXXI. SCIBORIUS SCIBORICIUS.

LUdouico Poloniæ & Vngariæ Rege bello cum Venetis atque deinde cum Bulgaris decertante, cum alii complures Sarmatæ, ſua ſtipendia merebant, tum Sciborius Sciboricius quoque, manu & ingenio promptus. Qui ſuccedente deinde Sigismundo, & in illo bello contra Turcas apud Nicopolim, legioni præfectus, ſtrenue ſeſe geſſit: cumque omnes iam Chriſtiani

 ſtiani

ſtiani profligati eſſent, & Rex ipſe naui conſcenſa, trans Danubium fugeret, ille vti ſemper ad latus Regis erat, quam nauium ingredi non poſſet, inſequentibus. Turcis, ita vt erat armatus in Danubium ſe proiecit, & enatauit in rippa aduerſa, charusque poſtea Sigismundo Regi fuit. Adeo, vt cum a ſuis Vngaris captus, & in arce Socloſſenſi cuſtodiæ traditus eſſet, Sciborius conſcriptis e Polonia & Boemia turmis aliquot, ſuperiores Vngariæ partes & Morauiæ finitimas, in fide eius continuit, compluresque aduerſariorum munitiones in ſuam poteſtatem redegit, quin & proceres nonnullos captiuos in vinculis habuit. Cumque neruo belli deficeret, a Vladislao Iagellone Poloniæ Rege, decem millia marcarum mutuo accepit; proque his nouam Marchiam, quæ ſimul cum veteri, hereditario iure ad Sigismundum pertinebat, ipſi oppignorauit. Quare dimiſſus e cuſtodia Sigismundus, Sciborium deinde maiori honore proſecutus & amore, Tranſyluaniæ eum Palatinum fecerat, & eius opera contra quosuis hoſtes & conſilio fideli vtebatur. Fuerunt & alii complures Poloni in aula & militia Sigismundi, vti Zauiſſius cognomento Niger, & Ioannes Farureius, Garbouii fratres germani gente Sulimæi, Thomas Calſcius Roſeus, Albertus Malſcius Nalencius, Dobeslaus Puchala Vienauius, Ioannes Broglouius Grimalius, & Scarbicus Gorſcius Habdancus: qui propter præclara merita ſua, non contemnendas facultates & poſſeſſiones in Vngaria, beneficentia eius Regis adepti erant. Qui omnes vbi regem ſuum Vladislaum Iagellonem ad Pruſſicum bellum proficiſci, & Sigismundum ad violandum cum eo fœdus pronum eſſe ſenſerunt, relictis poſſeſſionibus, & ingentibus Sigismundi pollicitationibus repudiatis, memorabili exemplo Vladislaum ſecuti ſunt. Nec male eis poſtea reſpondit Vladislai gratitudo & liberalitas. Solus Sciborius manſerat in Vngaria, miſſusque fuerat in Legatione ad Crucigeros a Sigismundo, pacem componere cum Vladislao cupiens tempore Grunealdenſis prælii: ſed nihil effecit. Reuerſusque ad Regem ſuum multa cum illo bella geſſit tum contra nominis Chriſtiani hoſtes Turcas, tum contra rebelles Imperatori Romano. Quapropter viro tam egregio cum pyramides & coloſſos ſtatuere non poſſumus, ſaltim hoc breue Epitaphium erigamus.

Qui legis, diſce ex me, Viro forti vbique Patriam eſſe. Ego Sciborius Sciboricius, Gente Oſtoius, ſub Ludouico Rege, Patrium ſolum linquens in Vngariam commigraui; Sigismundique Imperatoris caſtra ſecutus, Honores ab eo tantos pro meritis tuli, vt anteponi mihi nemo, comparari vero vix quisquam poſſit. Principatu ſiquidem Tranſyluanico donatus, Conſiliis eius non interfui ſolum, ſed & præfui: Exercitibusque omnibus imperaui, ac Trophea ex Hoſtibus deuictis retuli. Nunc, heu ſortem humanam, calcor ab omnibus, tectus hac humo.

XXXII

XXXII. ZAVISSIUS NIGER.

Zauissius Niger, Præfectus Scepusiensis, in militia Sigismundi Cæsaris diu in Vngaria commoratus, interfuit & Turcicis & Italicis bellis. Verum quum Sigismundus contra Vladislaum Iagellonem Poloniæ Regem machinaretur expeditionem, bello Prussico cum Crucigeris tum distentum, ille quamuis plurimas possessiones a Sigismundo in Vngaria habuerit, cum aliis fortissimis viris commilitonibus suis, in Poloniam redierat, nolens contra patriam nefarium quidquam audere. Igitur a Iagellone magni æstimatus, & bello Prussico phalangem ducens intererat, & ad Concilium Constanciense, atque Galliæ & Angliæ reges, tum & ad ipsum Sigismundum Cæsarem, honorificas legationes obiuit. Cumque apud Cæsarem esset quem Boemi tum armis persequebantur, noluit deesse veteri domino suo, sed quamuis Oratoris officio fungeretur, rem pro illo contra rebelles subditos fortiter gessit, a quibus vertente se fortuna, in expugnatione oppidi Gora, captus & diu detentus fuit. Et tandem dimissus iterum cum Sigismundo contra Turcas iuit: sed is euentu non satis prospero bellum illud apud Golubeciam gessit, & priusquam ad congressum cum hostibus veniret, retro se, transmisso raptim Danubio, cum magna parte exercitus ad tutiora loca in Transyluaniam recepit, proditis hosti reliquis, quos naues capere non potuere, in quibus fuit & Zauissius Niger: Qui submissum a Sigismundo lembum, ascendere noluit malens fortiter occumbere, quam turpiter sociis proditis fugere. Quare adacto calcaribus equo, in confertissimos hostes irruit, & multis præclaris operibus editis, ad extremum conglobatis circa eum Turcis, viuus captus: & cum pro magno munere ad Tyrannum, vir robore corporis, oris dignitate, & auratis armis insignis duceretur, controuersia inter duos barbaros orta, quod vterque captiuum sibi vendicabat, ab imbecilliori desecto capite interfectus est Anno 1428. cui ob virtutem & merita in rem Christianam hoc sepulchrale Elogium, ad memoriam temporum subscribamus. Qui vi bellica, castrensi apparatu, magnitudineque animi, non suæ modo, verum superioris etiam ætatis Duces, sic antecessit, vt summæ gloriæ fastigium assecutus crederetur, nisi eum arduis & audacibus innixum consiliis, immoderataque fortitudine quæque aspera aggredientem, turbulenta & insolens fortuna perculisset.

Seruatori Deo Pacis custodi. Ioannes Zauissius, cognomento Niger, Præfectus Scepusiensis: Vir in omni Vita, Belli Pacisque artibus clariss. & sempiterna memoria digniss. Hic quiescit, Viator, qui a puero fere Ludouici Regis Castra secutus, supra ætatem Rerum & Linguarum vsu, in Aula sua inclaruit.

Deinde Sigismundo Cæsari addictus, Italicis, Boemicis, Vngaricis, Turcicisque Bellis, Militum Tribunus interfuit. A quo possessionibus ampliss. remuneratus, ne impia arma contra Patriam sumeret, æternum memorando exemplo, omnia deseruit, & cum Iagellone Rege suo, in Prussiam contra Crucigeros iuit. Vbi re ad Gruneualdum prospere gesta, Legationes etiamnum pro Repub. honorificentissim. ad Concilium Constanciense, Galliæ & Angliæ Reges, atque Sigismundum Imperator. cum laude obiuit. Cumque eodem ipso, iterum contra Turcas, parum felici omine profectus, ad Golubeciam in acie occubuit. Cum desertus ab omnibus, turpe fugere existimaret. Tu qui transis, dic ossibus pia verba, si es pius, & Patriæ similes Heroas, quamplurimos opta.

XXXIII. JACOBUS COBILENIUS.

QVidni producam in hunc Martium Campum & Iacobum Cobilenium? qui bellis sub Cazimiro Magno, & Ludouico, Regibus Poloniæ, assiduis exercitatus, eo honoris apud Iagellonem Prudentissimum Principem processerat, vt in auxilium Sigismundo Imperatori, cum quinque millibus æquitum Polonorum contra communes Christiani nominis hostes Turcas mitteretur: qui in Prussicis etiam expeditionibus, semper integræ legioni præerat. Et cum Vitoldo Duce bellicosissimo, in Moscouia contra Nouogrodenses militum Tribunus fuit, vna cum Ioanne Cizouio, Mesciugo Scrinnio, Nicolao Brezio, Zico Cadlubio, Matthia Vscio, Ioanne Sciecocinio, Io. Lopata Calinouio, Iacobo Precora Morauianio, & Nicolao Sepinio, qui singuli singulas cohortes ductabant sub Imperio suo. Idem postea in auxilium Sigismundo Duci Lituaniæ missus, contra Crucigeros Liuonienses, insigni eos strage ad Vilcomariam profligauit, occiso in acie ipso Magistro illorum, & Marsalco Religionis. Hanc in eo perpetuam bellicæ laudis existimationem, splendidissime cumulabant, literarum honos, & magnificentiæ studium; quo ciuibus semper charus, meruit, vt etiam defuncto memoriam erigamus.

Hospes, quem cernis Lapidem, Iacobo Cobilenio, Gente Grimalio, Præfecto Sanocensi, Viro Toga & Sago præclariss. positus est. Qui sub tribus Regibus Poloniæ Cazimiro scilicet Magno, Ludouico Hungaro, & Vladislao Iagellone Exercitus militia. Tribus Bellicosiss. Principibus, suppetiatum cum Polonicis Cohortibus missus, Vitoldo nimirum contra Moscos, Sigismundo Duci Lituaniæ, contra Liuonienses, & Sigismundo Imperatori contra Musulmanos Turcas, rem prospere vbique gessit. Et in Patriam Trophæa retulit. Nunc, heu, vermibus ipse præda factus. Hospes Sospes abi.

XXXIV. NICOLAUS MICHALOVIUS.

INter alios Regis Iagellonis Duces, etiam Michalouius locum non postremum tenet, qui bellis Pruthenicis atque Vngaricis, ſub Ludouico Rege exercitatus, apud Vitoldum Ducem, in Moſcouitas & Tartaros poſtea alam ductabat, non æmulatione, non odio, aut priuatis adfectionibus obnoxius, ſed publico bono, famæque immortali intentus, atque ob id Vladislao Iagelloni Regi magnopere carus, & in Comitiis Colenſibus, generali totius Poloniæ expeditioni Dux datus (Rex enim ipſe Iagello confectus ſenio oculis caligabat, nec iam belli munia per ſe ipſe obire poterat) Pomeraniam vniuerſam longe lateque vaſtauit, Derſauiaque incenſa, ſupra decem millia captiuorum habuit. Deinde alias munitiones Crucigerorum expugnauit: quibus & pacem poſtulantibus dedit facili negotio, & cum victore exercitu Pyſdros ad Regem rediit. A quo pro meritis multis honoribus auctus: a nobis quoque hoc breue Elogium accipiat, vt generoſi iuuenes, quos maiorum imagines, aut impetus animi, & viuida vis ingenii ſpondent ad Rempub. ituros, vel hinc ad virtutem excitari poſſint.

Æterno Luminum Patri. Sepultus eſt hic, Strenuus Sarmatarum Bellator, Nicolaus Michalauius, Gente Roſeus, Caſtellanus & Præfectus Cracouienſis, qui Moſcouiticis, Tartaricis, Bulgaricisque Bellis Exercitatus, Generali totius Poloniæ expeditioni, contra Theutones Pruſſienſes, præfuit, ſub Vladislao Iagellone Rege; cuius diſciplinæ diligentiſſimus obſeruator, multis fortibus factis, conſtantis atque impigri Ducis famam eſt conſecutus.

XXXV. IOANNES OLESNICIUS.

ADiiciamus Ducibus Iagellonis Regis & Ioannem Oleſnicium, claris maioribus ortum, militiæque ſcientia clarum, qui ab illo ſapientiſſimo Rege Vilnæ præfectus, magna cum dexteritate commiſſam ſibi prouinciam adminiſtrauit, venienteque cum Crucigeris Pruſſienſibus Vitoldo, vrbem ne receptaculo eſſet hoſtibus igni cremauit, ſeptisque ex viridi robore extructis aditum ad arces impediuit. Et hoſtes ad ædem Virginis Matris intra mœnia vrbis, quam Franciſcani Sodales obtinent, ſtatiua ſibi facientes, impetu in eos facto profligauit, nulloque de ſuis amiſſo in arcem ſe recepit. Et omnibus illis temporibus, quibus Vitoldus apud Theuthones manens in Lituaniam excurſiones faciebat, multus vbique, & valde conſpicuus ſumma fide, felicique prudentia bellum adminiſtrauit: quosque Regi ob Vitoldum auerſos animi cognouerat, cædibus & incendiis perpopulatus in fide continuit. Erat enim natura ingenio præditus apprime pugnaci,

& fer-

& feruido, mirabiliterque ſolerti ad præcauendos hoſtium dolos, tendendasque inſidias. Quapropter viro tantis virtutibus prædito tamque bene de Rege & patria merito, hoc breue Elogium pro more noſtro ſubſcribamus.

Lector Aueto. Ioan. Oleſnicius, Gente Dembnius, omnibus optimis & diſciplinis & moribus, ita ornatus, vt eius ingenium, comitatem, & rei Bellicæ prudentiam, nulla ſatis æquare poſſit admiratio. Ac ob id fragrantiſſima apud Iagellonem Regem Gratia, Vilnæ & circumiacenti Prouinciæ, cum præſidio præfuit Vitoldumque Bellicoſiſſimum Ducem, & Crucigeros ab Obſidione fortiter repulit. Atque demum ipſe Hominem exuit, Anno ætatis LIII. Hac tumulatus humo.

XXXVI. SPITCO MELSTINIUS.

EOdem Iagellone regnante, floruit bellicis artibus Spitco Melſtinius Palatinus Cracouienſis, ac Dominus inferioris Ruſſiæ, ſeu Podoliæ, quam ei Iagello Rex, fruſtra reclamante regina cum proceribus, donarat: ſiue adeo certo pacto obligarat, ea lege, vt accitus a Rege ad quoduis bellum cum auxiliis præſto eſſet. Is contra Vladislaum Ducem Opolienſem exercitum magno cum applauſu popularium duxit, & intra ſeptem dies Crepiciam, Velunum, Oſtreſſouiam, Brezniciam, aliasque complures arces in deditionem accepit, reliquas expugnauit. Solam Boleslaueciam, loco arteque munitam, ſeptem annis continua obſidione preſſit. Et pro meritis eadem ipſa, atque aliis omnibus, captis ex hoſte arcibus & Oppidis donatus, Lublinecia videlicet, Strelce, Domarazo, Oleſno Gorzouo, atque aliis compluribus, familiam ſuam opibus & trophæis auxit. Idem cum Vitoldo Duce, contra Tartaros ſæpius proſpere bellum geſſit: ac demum ad Boryſthenem ab iisdem oppreſſus, cum acies noſtrorum inclinari cœpiſſet, inter confertiſſimos hoſtes illatus, fortiter pugnando occubuit. Vir doctrina & vſu maxime exercitatus: vtpote qui caſtrenſibus vigiliis, ſummum decus bello adeptus, in ocio demum vberrimam ex literis laudem appeteret. Quem pro inſtituto hac breui Epigraphe condecoremus.

Pietati & Memoriæ. Fortiſſimi Viri Spitconis Melſtinii, totius Podoliæ in Ruſſia & maioris partis Ducatus Opolienſis in Sileſia, poſſeſſoris, Palatini Cracouienſis. Qui maioribus opulentiſſ. ac potentiſſ. editus, in omnibus fortunæ euentibus, totus ex ſe pendens, aureaque mediocritate contentus, ſuos non minus Virtutum ſuarum Exemplo, quam Victoriis & Triumphis honeſtauit.

XXXVII. IOANNES MELSTINIUS.

EIusdem familiæ, ſed paulo ſuperioris ætatis Ioannes Melſtinius fuit, vir grauis & prudens, & amans Reipub. qui pro Vladislao Loctico, contra Boemos Regnum Poloniæ poſſidentes ſæpius ſtrenue pugnauit. Et in Sileſiam Regem cum ſuis cohortibus ſecutus, ad Coſtinum, magna fortitudinis ſuæ præbuit exempla. Cazimiroque Magno, poſt obitum patris, ſceptra Poloniæ capeſſente, iuuenilium eius conſiliorum, datus fuit a toto procerum conuentu moderator: cuius ille conſilio, diligenter vbique prædones & infeſtatores publicarum viarum perquiſiuit, exquiſitisque ſuppliciis affecit: atque ſic domeſticis malis oppreſſam patriam liberauit, priusquam externis manus admouiſſet. Cum itaque Boleslaus Ruſſiæ Dux veneno extinctus eſſet, & Cazimirus Melſtinii ſuaſu cum exercitu, ad occupandam prouinciam, & expugnandam Leopolim iuiſſet, Melſtinius non modo conſilio eum ſuo vbique iuuit, ſed etiam manu ſtrenuus, cunctis exemplo præfuit: & Ruſſia tunc Poloniæ in toto ſubiecta Cazimiro ceſſit, & in formam prouinciæ redacta eſt. Quapropter viro tam optime de patria merito hoc breue Epitaphium ad poſterorum imitationem ſubſcribamus.

Ioannes Comes Melſtinius, Caſtellanus Cracouienſis, vigore animi, clientelis atque opibus, ſub Vladislao Loctico, & Cazimiro Magno, Regibus Poloniæ, Procerum potentiſſ. fui. Atque his ſuffultus, contra Pomeranos, Ruſſos, Sileſios & Bohemos, Arma pro Patria indefeſſo animo geſſi, multisque Illuſtribus Victoriis quæſitam Gloriam, Poſteris meis reliqui. Profui quibus potui. Obfui nemini. Tandemque Vermium eſca factus, Hic ſepeliri volui. Valete Poſthumi.

XXXVIII. DOBROGOSTIUS SAMOTULIUS.

INter plures alios Duces Loctici Regis, numeratur & Dobrogoſtus Samotulius, cognomento Paruus, Thomislai Palatini Poſnanienſis filius, magna virtute & genere præſtans, qui Ioannem Biberſteinum Comitem, cum exercitu in Poloniam, a Henrico Duce Glogouienſi miſſum, inſigni clade affectum Loctici ditionibus eiecit: Poſnaniamque ab eo, cura proditorum captam, & firmo præſidio munitam recuperauit. Contra Marchionem Brandeburgenſem Pomeraniam vna cum Crucigeris inuadentem, multoties, ſigna regia ſecutus, pugnauit: & in Sileſia cum eodem Vladislao Loctico expeditionis conſiliarius deputatus, cum paſſim virtutis & fortitudinis ſuæ præclara exempla dedit, tum in expugnatione Coſteni, munitisſimæ arcis, inter ſtagna & paludes ſitæ. Idem ſub Cazimiro Magno

contra Ruſſos, & ſub Vladislao Iagellone contra Tartaros, in exercitu Vitoldi, equitum alæ præfuit. Cumque ſuis cohortibus interfuit prælio illi Gruneualdenſi magno, vbi Crucigeri Pruſſienſes ad exitium pæne gentis cœſi fuerunt. Quos ille ipſe iterum ad Coronouiam profligauit, cæſis ocl̃to millibus ex eis: in qua quidem pugna ter reſpiraſſe defeſſæ partes vtræque a ſcriptoribus memorantur. Hac igitur victoria Samotulius procerum omnium longe clariſſimus euaſerat, vtpote qui perpetuo tenore vitæ, domi & foris ſplendidus, erga milites liberalis, in hoſpites vel inconſulte munificus, authoritate, gratia, opibus reliquos omnes Poloniæ Dynaſtas anteiret. Cæterum quia ſuum cuique decus poſteritas rependit, ad memoriam æternam Epitaphium illi in hunc modum aſſcribamus.

Parua hæc vrna Viator, Magnum maioris Poloniæ Heroem claudit. Dobrogoſtium Samotulium, Cognomento & Statura paruum, Caſtellanum Posnanienſem, Gente Nalencium. Raro & amœno ingenio Virum. Et in quo nulla Ciuilis, Bellicæque Virtutis ornamenta defuerunt. Hic ſub tribus Poloniæ Regibus, Vladislao Locłico, Cazimiro Magno, & Vladislao Iagellone, omnibus quotquot euenerunt expeditionibus interfuit, & ad ipſos exactæ ætatis terminos, magna cum Cura & Gloria Legionibus præfuit, reportatis toties de hoſte Triumphis. Bene vale quisquis es, vbi ſimiles Heroas Patriæ precatus fueris.

XXXIX. ALBERTUS COSCELECIUS.

ADſcribamus Ducibus Locłici Regis, Albertum quoque Coſcelecium Palatinum Breſtenſem. Qui in Senatum cooptatus multa præclara virtutum ſuarum exempla poſteris reliquit; fide & induſtria meritus, vt maxima quæque negotia tuto ipſi committi poſſint; educatusque militiæ ab ineunte ætate ſub diſciplina Cazimiri Cuiauienſium Ducis, Pruthenicis bellis, multa potius egregiæ laudis, quam bellici quæſtus decora domum retulit. Verum ſub Vladislao Locłico, multo luculentiora ſpectatæ virtutis & fidelis operæ præmia promeruiſſe viſus eſt, prælio præſertim illo ad illo Radiouiam facto, vbi viginti millia Crucigerorum cæſa fuerunt. Qui cum ante paulo florentiores Poloniam Maiorem peruaſtarent, Coſcelecius Pacoſſum arcem, non modo a vi illorum egregie tutatus eſt, ſed etiam eruptionibus factis, non paruis incommodis palantes affecit. Quin & anno ſequenti Culmenſis terræ pagos ferro & igni depopulatus eſt; volentibusque vice verſa Crucigeris Cuiauiam infeſtis cum inſignis inuadere, fortiter obſtitit; & Boemos ſubſidio illis venientes multis in locis cæcedit. Sed ad Posnaniam præcipue, quam obſidere iam cœperant,

& cu-

& cuniculos ad vrbem dirigebant. Ergo tam ſtrenuo viro, ob merita & virtutem; hoc exiguum Cenotaphium more noſtro erigamus.

Oſſibus & Memoriæ. Alberti Coſcelecii, Palatini Breſtenſis, Multa morum elegantia & ingenio Illuſtri qui Staturæ Dignitate, Celebri Facundia. Liberalique Vitæ ſplendore, ſuæ ætatis Megiſtanum, famam obſcurauit. Militarique laude ſub Vladislao Loctico Rege vsque adeo floruit, vt poſt egregias Victorias profligatis ſæpe Crucigeris atque Boemis. Dux Bello ſtrenuus & fortunatus haberetur.

XL. VINCENTIUS SAMOTULIUS.

NOn poſſum, nec debeo tacitus præterire, virum ampliſſimæ dignitatis, & eximiæ virtutis, prudentiæ ac ſapientiæ Vincentium Samotulium, Caſtellanum Medirecenſem: cuius in obeundis arduis muneribus fidem, ſolertiam, & magnitudinem animi, nulla vnquam obſcurabit obliuio. Is quum fatali quodam motu concuſſæ fuerunt impauidæ mentes Crucigerorum, ad excutiendam veterem erga Reges Poloniæ venerationem, primum turmas, deinde legiones integras contra eos in Pruſſiam ſub Vladislao Iagellone ductabat. Demum Vitoldo in Moſcouia bellum contra Nouogrodenſes gerente, totius exercitus Dux ab illo conſtitutus fuit. Subque tempus inaugurationis Vladislai Iagellonidis, quem Suitrigello Lituanus, Podoliam infeſtaret, ac Theodoretum Neſuiſenſem Ducem cæpiſſet, iunctis cum Michaele Buciacio copiis, repreſſit audaciam eius, & Theodoretum liberauit, occiſis quamplurimis de exercitu eius. Et dum Vladislaus Iagellonides ad capiendam coronam eſſet ab Vngaris vocatus, præmiſſus cum Andrea Tencinio, & Ioanne Sennenio, Budam Vngariæ metropolim in ſuam poteſtatem redegit, & omnibus Turcicis bellis interfuit, Viſegradenſi Præfectura, (vbi corona & ornamenta ad cæremoniam coronationis pertinentia religioſe aſſeruabantur) pro meritis a Rege decoratus, cumquo ſimul ad Varnam vitam in acie poſuit, & quid? niſi religioni donauit.

Vincentius Samotulius, Caſtellanus Medirecenſis, cæſis ſæpius Moſchis, Lituanis, Crucigeris, & Turcis, ampliſſimis poſſeſſionibus, quas Magni Iagellones contulerant, inter Ciues Hunniæ & Sarmatiæ præeminebam. Quibus vt aduenticiis, in limine fati ſpoliatus, mea tantummodo mecum porto. Reliquorum autem, vix ſola fama remanet. Tu quisquis es, qui hæc capis, ſi pius es, deprecare Deum pro me.

XLII. ANDREAS TENCINIUS.

QUamuis plurimos alios, toga & ſago viros illuſtres, hæc inclyta vetuſtiſſimaque familia protulerit, quorum nomina conſecrata erunt

perennitati donec in pretio virtus erit; huic tamen martialium virorum cathalago, duos tantum modo, fama meritisque insigniores, inserere placuit. Andream videlicet Palatinum, & Andream Castellanum Crac. quos hodie nominare possumus inter præcipuos Sarmatici orbis bellatores. Ac primum quidem Palatinum, Ioannis Castellani Cracouiensis filium, apud Vladislaum Iagellonem, post prælium Gruneualdense, validissima gratia, quod non solum ibi cum equitum suorum ala fortissima interfuerit, sed etiam cum Vitoldo Duce contra Moscouitas & Tartaros, integras legiones duxerit. Quo quidem bello summam laudem rebus gestis est consecutus; ob idque pleniorem, quod singulari certamine Scytham superbe ostentantem vires, & prouocantem, vtroque inspectante exercitu, confecisset. Et tandem in Senatum adscriptus, complures pro patria legationes, ad diuersos principes honorificentissime obiisset. Cum autem Vladislaus Iagellonides sceptris paternis positus, etiam ad Vngariæ regnum fuisset euocatus, Andreas cum suis cohortibus eum sequutus, cum egregiam vbique ac fidelem illi operam præstitit, tum Tirnauiam ab incursionibus hostilibus fortiter tutatus, etiam Præsburgensem agrum populatus est: reginæque Elizabethæ, (quæ regnum sibi post obitum mariti Alberti Austriaci vsurpabat) exercitus clade ingenti afflixit. Iterumque cum auxiliaribus copiis, ab ordinibus Regni Poloniæ, in Vngariam missus, nequiquam prohibente Iscra cum suis Bohemis, Budam ad regem Vladislaum peruenit, & eam Vngariæ partem, quæ Austriæ finitima est, rege iubente tutatus est, liberata obsidione, arce Posoniensi: aliisque munitionibus, quæ reginæ præsidiis tenebantur, partim per vim, partim per deditionem receptis, & Vlrico Ciliæ Comite capto. Cui ob egregias animi dotes & in patriam merita, hoc breue Epitaphium subscribamus.

Andreas Comes Tencinius, Palatinus Cracouiensis, æternitate Nominis Dignissimus Senator, heic situs est. Cuius inuicta vis animi, & fortia facta, Tartaricis, Pruthenicis, Moscouiticis, Turcicis & Vngaricis bellis enituere. Hominem mors extinxit Anno ætatis LXIII. sed extinxit vno in Homine multas Virtutes, Artis Bellicæ scientiam Eximiam, Illustrem facundiam, perpetuam in omni vita moderationem: Denique Pietatem in Deum, Humanitatem in omnes homines mirificam: sed in viros Militares præcipue, ingentem liberalitatem: quæ sublata ex oculis vigebunt in animis memoriaque multorum.

XLIII. ANDREAS II. TENCINIUS.

EIusdem nominis & seminis floruit sub Sigismundo I. Castellanus Cracouiensis, paruus quidem ille corpore, sed ingenio ac eloquentia sum-

summus: ob amplissimam & haud scio an maximam in regno Poloniæ familiæ dignitatem, tum vero ob canam prudentiam dignus qui huic albo Heroum Sarmaticorum inferatur. Is enim sub Cazimiro, Alberto, & Alexandro, Regibus Poloniæ, variis bellis exercitatus, non destitit & sub Sigismundo, gentile decus magno animo capessere. Dumque Solimanus Turcarum Imperator, Austriæ Viennam, ingentibus copiis oppugnaret, collectis tribus equitum Polonorum millibus, vel non rogatus. Ferdinando Cæsari vltro suppetiatum iuit: & ad confinia Morauiæ, duodecim millia palantium Turcarum nactus, in fugam omnes facile coniecit. Cæsisque quamplurimis, metum Tyranno ipsi, obsidionem tunc forte soluenti adeo iniecit, vt properis itineribus, & vltra solitum Budam reuertens, omnem grauiorem armaturam amiserit, Tencinioque extremum agmen assiduo carpenti præbuerit occasionem ad comparanda trophæa, quæ æternum & gentem Polonam & domum Tenciniam exornarent. Quapropter his tantis eius virtutibus fauentes, ad sequentis æui memoriam, Cenotaphium scribendo Epitaphio erigamus.

Andreas Tencinius, Castellanus Cracouiensis, animi magnitudine, consilii solertia, Bellicis virtutibus, ac rerum gestarum gloria, Dux nemini veterum Secundus. Hic tegitur depositus, qui vt erat magnis ausis promptus, cum dimidia phalange, numerosissimos Turcarum Exercitus aggressus, ingentem sibi, atque Polonis Laudem, Cæsari vero Germanico Victoriam peperit. Abi Viator, & salutis tuæ memor viue, & Vale.

XLIV. SANDIVOGIUS OSTROROGEUS.

PRodeat in palæstram bellicosissimorum virorum & Ostrorogeus Comes in bello illo Prussico cum Crucigeris, sub Iagellone Rege, consiliarius datus Zindramo Mascouicio Ensifero Cracouiensi, ad quem summa totius belli administratio, ad Gruneualdum delata fuit. Cum quibus Sandiuogius noster iterato quoque ad Coronouiam pugnauit, adiutus a Dobrogostio Samotulio, & Martino Labissinio, pugnacissimis viris: qui omnes voluntarii militarunt cum suis cohortibus, solo patriæ amore ducti, ita, vt octo millia ex hostibus cæsa tunc numerarentur, duxque ipse illorum Michael Cochmeister, cum non exigua turba captus fuerit. Qui postea dimissus, summus Crucigerorum magister fuit creatus. Similiter faciente rege expeditionem cum maioribus Polonis in Pomeraniam, Sandiuogius vni legioni præfectus, nouum oppidum vi cæpit & exussit, Pomeraniamque vniuersam, omissa arcium & munitionum oppugnatione longe lateque ferro, & igni vastuit. Itemque alia expeditione, maioribus Polonis & Boemis sti-

pendia regia merentibus, præpositus, nouam Marchiam, Crucigerorum imperio subiectam, crudeliter diripuit; duodecimque oppida munita, partim vi, partim per deditionem accepit: & sic totam illam prouinciam in potestatem Polonorum redegit. Mortuo denique Iagellone Rege, cum ex filiis eius alter Poloniæ Rex, Vladislaus nimirum, factus esset; alter, id est Cazimirus, ad Bohemicum regnum, post obitum Sigismundi Imperatoris, vocaretur, Sendiuogius cum Ioanne Tencinio, Sendomiriensi Palatino, duobus equitum millibus præfectus in Boemiam missus ad abeundam possessionem regni, nomine Cazimiri, cum accepisset, ab altera parte Boemorum, Albertum Ducem Austriorum, regem iam esse creatum, collectis adhærentibus Boemis atque Silesiis ad quatuordecim agros longe lateque vastabat, & multa leuia prælia cum Alberto, vario marte gessit, donec iussu regis sui reuersus in Poloniam, ad proceresque Vngariæ legationi destinatus, cæptam expeditionem omittere cogeretur: vir decora proceritate, & cuiuslibet splendidi muneris capax: & qui ad bellum illud prisca seueritate & disciplina militem suum firmauerat. Ergo tanto & tam magno viro, solito more nostro, conueniens Epitaphium subscribamus.

Sandiuogius Ostrorogeus, Palatinus Posnaniensis, vi corporis insignis, prisca virtute, & Patrias artes edoctus, claraque inter accolas fama: Annos natus circiter sexaginta, cum ob Bellicos pro Patria Labores, æternis Scriptorum monumentis insertus, in arcem immortalitatis sibi Gradum fecisset, Homo esse desiit.

XLV. DOBROGOSTIUS OSTROROGEUS.

PRuthenicis bellis sub Iagellone Rege, vna cum Sandiuogio fratre Dobrogostius exercitatus, cum Vitoldo Duce primum contra Tartaros, magna cum cura, & mox gloria, cui principium illa militia fuit, equitum alas ductabat: Deinde Vladislao Iagellonide ad regnum Hungariæ euocato, integræ phalangi præerat, maxima cum laude sua, nam quid in eligendo belli campo, quid in ordinanda acie, quid in subsidiis disponendis, quid in procurrendo concurrendoue, aut excipiendo hoste, bene aut secus fuerit factum: quis leuis, quis grauis armaturæ fuerit vsus: equitesne an pedites ad summam operis plus momenti attulerint, ceu Xanthippus aliquis Tacticus edocebat. Et licet in conciliis non rhetoricabatur, nihilominus efficax alliciendis mentibus fuit, & artificio colligendæ beneuolentiæ plurimum pollebat. Ac propterea a Vladislao Iagellonide, ad Amurathem, Belgradum oppugnantem cum Luca Gorcensi legatus fuit missus: sciebat enim Rex, præter singularem, vti dixi, peritiam rerum

rum bellicarum, manu etiam ſtrenuum, ac ſermone promptum fuiſſe. Qui tamen rebus infectis ad Regem redierat, a Tyranno per ſeptem menſes Smiderouiæ detentus. Atque inde patriam reuerſus, iterum bellis Pruthenicis ſub Cazimiro Iagellonide interfuit. Erat enim ingenio perſpicaci, erectoque ad laudem, & imperii militaris maxime cupido, & quæ erant ad id opportunæ artes, multa ciuiii prudentia, & aſtuta lenitate temperato. Quem quidem pro meritis breui Epitaphio ornemus.

Dobrogoſlius Illuſtri Oſtrorogeorum Comitum Familia natus, ſciens contemptu famæ contemni virtutes, animo ſemper ad magna & ardua erecto fuit. Reique Bellicæ ſumma peritia, & compta facundia, ſub tribus Poloniæ Regibus clarus, non ad conterminos modo Populos, ſed ad poſteros etiam, & qui nunc viuimus, virtutum ſuarum famam extendit. Cuius defuncti heic iacent oſſa, Anima vero vbi in vita præparauit.

XLVI. STANISLAUS OSTROROGEVS.

SEquitur & tertius eiusdem familiæ Heros, Stanislaus Oſtrorogeus Palatinus Caliſſienſis: vir acri & elato animo, & qui cum Vladislao Iagellonide in Hungariam profectus, Iaurinum munitiſſimam arcem, cum parte copiarum a rege miſſus expugnauit, ſubque Cazimiro fratre eius, bello Pruthenico clarus præ aliis, quod ei literarum & præcellentium artium decus cordi fuerit, cunctasque clariſſimarum gentium hiſtorias auidiſſime legerit, vt inde hauſtis militiæ præceptis, actionum ſuarum diſciplinam exemplorum varietate confirmaret. Quapropter legatus de componenda pace inter Regem Cazimirum, & Georgium Podebrantium Boemum, rem non minus prudenter quam feliciter peregit: Itemque ad Fridericum Imperatorem atque alios Chriſtianos Principes miſſus, officio ſuo honorificentiſſime functus eſt. Denique cum Vladislaum Cazimiri Regis filium, ad regnum Bohemicum, ſplendidas veteranorum cohortes habens, deduceret, ſtrenui & intrepidi Ducis nomen tulit; vtpote quem nulla terrerent pericula, neque vllæ rerum aut locorum difficultates ab incepto vnquam retardarent. Quem vt virum magnum, & bene de patria meritum, iuſto Epitaphio condecoremus.

Stanislaus Oſtrorogeus, Palatinus Caliſſienſis, meritæ per tot annos gloriæ; antiquis quoque & minus corruptis moribus: Hunc ſibi ſuperſtes Sepulturæ locum delegit, ne cui vel in re parua moleſtus eſſet. Vt idem moriens faceret, quod viuus fecit.

XLVII.

XLVII. DOBESLAUS CUROSVANCIUS.

RES gestas Polonorum, cum plurimi composuerint, nemo sine honore Curosuancios memorauit, præcipue Dobeslaum Castellanum Cracouiensem; qui sub Ludouico Rege bellis Vngaricis exercitatus, postquam in patria albo Senatorio adscriptus resedit, multa in toga & sago præclara, pro eius incolumitate gessit, prouectusque senectu & longo vsu, etiam militaribus copiis, Rege in Vngariam abeunte, domi præfuit; cum quibus contra Lituanos, Lublinensem tractum infestantes profectus, rem strenue gessit, & insignia triumphi adeptus est. Multo siquidem consilio bella suscipere, multoque maxima celeritas vehementia conficere: obo-rientes rerum casus ad rationem flectere: varias semper occasiones ad finiendum bellum inuenire: frustrari longa mora hostes, eorumque profectos fraudibus sæpe tentare, & commenticiis literis suspectos & inutiles reddere probe didicerat. Multisque & validis propinquitatibus subnixius Ziemouitum Masouiorum Ducem, tempore interregni ingressu vrbis, & Vilhelmum Austrium, ingressu arcis Cracouiensis (quod vterque regnum, & nuptias cum Heduigi Ludouici Regis filia ambiret) prohibuit. Et Iagellonem ad regnum vocatum, non consiliis modo, sed opibus, & arcis contra quosuis regni hostes, pro parte sua viuit. Erat enim illi genus decorum, multa auctoritas, quæ viro militari pro facundia erat, viuida senectus, & regendis exercitibus idonea, multaque apud omnes gratia, vt etiamnum facta atque famam nominis eius plurimi prosequantur. Quapropter & nos immortali eius memoriæ, optimo iure Epitaphium subscribamus.

Dobeslai Curosuancii, Castellani Cracouiensis, egregiæ Militaris famæ Viri, hic ossa clauduntur, donec immutatio veniat, & corruptibile, Hoc incorruptibile induat, & Mortale Immortalitatem, quam etiam hic, rebus præclare toga & sago gestis, sibi comparauerat.

XLVIII. CRESLAUS CUROSVANCIUS.

SVb eodem Ludouico Rege, bellis Vngaricis claruit Creslaus Curosuancius, qui sub fratre Dobeslao alas equitum ductabat, & illi bello cum Lituanis, barbaris tum & hostibus Polonorum, cum laude interfuit. Totoque illo tempore quo Vladislaus Iagello nobis regnauit, expeditionibus fere omnibus aderat, vni legioni præfectus. Quin & sub Vladislao eius filio, dum in Hungariam regnatum iuisset, rebus bellicis floruit, eo crescentis laudis accumulatique honoris successu, vt facile nemo Creslauo

Dux melior putaretur. Longo enim bellorum vſu (nam vixit ad octuageſimum nonum ætatis annum inconcuſſa valetudine ſemper) peritus, gnaui ſimul, ac expedito ingenio occaſiones præſentire, terminare conſilia atque arma celeriter expedire didicerat: Idem quum oporteret acerrimus bellator & cunctator egregius, cui nec ciuiles artes defuere, nec fortunæ, corporisque bona. Sed & huic more noſtro ad memoriam poſterorum Cenotaphium erigamus.

Claudit hoc Saxum Viator, Magnum Poloniæ Senatorem, Creslaum Curoſuancium, Caſtellanum Sendomirienſem, Præfectumque Poſnanienſem ac Luceorienſem, longa in Rebus Bellicis experientia clarum. Ac ob id tribus maximis Poloniæ Regibus Ludouico nimirum, & duobus Vladislais Iogellonibus carum: & quem, Annos natum circiter nonaginta. Vitam ſane, ſi ad Labores, nimis diuturnam, ſi vero ad eius Virtutem, & Patriæ deſiderium ſpectes, per breuem, Mors improba nobis eripuit. Anno M. CCCC. XLI.

XLIX. VLADISLAUS IAGELLONIDES.

REgnum paternum Vladislaus, Magni Iagellonis F. Anno a reparata ſalute, milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto, extrema pueritia ſuſcepit; ineunte vero adoleſcentia, Rex eſt ab Hungaris abſens expetitus, bello Turcico maximo, atque acerrimis hoſtibus. Tanta enim opinio de illo animos omnium peruaſerat, vt in illius indole ſalus omnium gentium, repoſita putarentur, vbi primum paternis ſceptris admotus Eliam Valachiæ Palatinum, fæudo dato Leopoli in ſuam tutelam recepiſſet, qui ſibi a Turcis nimium tum creſcentibus, vti vicinus magnopere metuebat. Igitur Sigismundo Magno Duci Lituaniæ, auxilio contra Crucigeros Liuonienſes & Suitrigellonem miſſo, ſtatutisque excubiis, contra incurſiones Tartarorum, in Podolia atque Ruſſia; Bohemiam quoque per duces ſuos longe lateque vaſtauit; quod fratre eius Cazimiro ad regnum vocato, pars alia Albertum Auſtriæ Ducem, regem ſibi creaſſet. Tandem ipſe ab Hungaris accerſitus; Turcas imprimis ab obſidione Belgradi repulit, poſtea Reginæ Elizabethæ copias, quibus Ladislaus Iſera præfuit, profligauit, Tirnauiamque ab oppugnatione liberauit. Suſceptaque expeditione in Turcas, complures Bulgariæ & Seruiæ munitiones recepit, commiſſoque ad montem Hemum prælio, ingentem barbarorum exercitum deleuit, & ducem eorum Carambeium Baſſam cepit. Petente itaque pacem Amurathe, inducias decem annorum dedit, his legibus, vt Albaniæ & Raſciæ munitiones ſuo Deſpotæ reſtituerentur. Interim pollicentibus Chriſtianis principibus auxilia, & Iuliano Cardinali a iuramento diſpen-

ſante, bellum, iterum contra datam fidem ſuſcepit, poſtque medium Septembris, Segedino caſtra mouit, non ſatis alacer, nec ſpe optima; propterea quod violari a ſe fœdera & iuriſiurandi religionem cogitare non poterat. Fides etenim quando promittitur, etiam hoſtibus eſt ſeruanda contra quos bellum geritur, inquit D. Auguſt. ad Bonifacium ſcribens, quia leuiſſimi atque inconſtantis, imo perfidi hominis eſt, facto non implere, quod iam ante pronunciaſti. Expugnauit itaque in itinere munitiones aliquot, & aliquot per deditionem accepit: tandem ad Varnam decima die Nouembris peruenit, oppidoque potitus, laborare ex apoſtemate pedis cœpit, & Turca cum exercitu occurrente, manus cum eo fortiter conſeruit, quamuis longe viribus inferior eſſet, pedem referre turpe, & ſe genereque ſuo indignum exiſtimans. Itaque fuſo fugatoque iam omni equitatu Turcico, in Ianizerorum phalangem, in qua Amurathes ipſe erat, temere cum paucis inuectus, Baſſam Aſiaticum manu ſua interfecit, & ad extremum equo confoſſo ab Ianizeris, telorum multitudine obrutus periit, princeps longiore vita & immortali gloria digniſſimus, & in quo tantus ad virtutem impetus fuit, vt præter ætatem, periculoſiſſimis temporibus, maximis vndique hoſtibus ſeptus, duo regna maxima Sarmatiæ atque Hungariæ, ſumma atque incredibili virtute conſeruarit. Cuius heroica pene virtus etiam in illa pugna inprimis enituit, vtpote in vltimo mortalium operum quod eſſet obiturus; omnia enim tum conſtantis Ducis, tum fortiſſimi militis munera impleuit, occurſando pauentibus, retinendo cedentes, atque vbi plurimum laboris, ſpem aliquam ſemper afferendo, conſilio, manu, voce, tam hoſtili inſignis, quam ſuis conſpicuis. Sed incredile dictu, quantæ calamitati ſoleat eſſe nimia fiducia: multique ſæpe parta iam victoria, poſtquam intra teli iactum venerunt, maximis cladibus affecti fuerunt. Rex igitur ſi quando ipſe decertet, caueat diligenter, ne ſit audacior, aut manum ipſe cum hoſte conſerat. Nam licet præſtabilem fortitudinis operam nauare poſſit, non tamen tantum ſuis pugnando proderit, quantum occumbendo oberit. Quemadmodum etenim ſi gubernator relicto gubernaculo, nauticis remigium operis ſeſe immiſceat, nauem in periculo eſſe contingit: eodem plane modo, ſi Imperator conſilia ſuis dare negligens, ad militaria munera ſe transferat, rem vniuerſam in maximum adducit diſcrimen; præſertim cum hoſtis ad anguſtias eſt redactus. Nullus enim pernicioſior eſt hoſtis, inquit Seneca, quam quem audacem anguſtiæ faciunt: longeque violentius ſemper ex neceſſitate, quam ex virtute corrigimur, quod in hoc prælio manifeſte videre eſt, cum Amurathes toto æquitatu amiſſo, cum ſolis Ianizeris cauſæ ſuæ fidens reſtitit, & Deum vindicem violatæ fidei teſtatus, Vladislaum magnum inter confertos hoſtes ſtra-

gem

gem edentem, interemit. Fuit autem Vladislaus procera ſtatura, facie fuſca, ſed honeſta ac dignitatis plena, capillis nigris laboris & inediæ patientiſſimus, abſtemius, iuſtitiæ & religionis cultor eximius; probitate, comitate & clementia, etiam in hoſtes ſingulari: liberalitate propemodum nimia: animi vero magnitudine tanta, vt nihil humile cogitaret, nullaque difficultate ab eo quod conſulto inſtituerat, auelli ſe pateretur. Denique ſumma in eo fuerunt omnia, quæ maximos & optimos principes decent. Turcæ regio corpore inuento, modicæ altitudinis columnam cum inſcriptione rei geſtæ, in ipſo cædis loco ſtatuerunt, vbi nos quoque Epitaphium illi, quaſi ab vtraque gente appendamus.

Viator. Vides Puniceas iſtas as Rubricantes, antea Gramine viridantes Glebas? ne fallare, non Glebæ, ſed Linguæ ſunt: quæ implacabili gemitu pectora Polonorum quatiant: quæ Hungarorum oculos ad fletus quotidie integrandos prouocent: quæ Chriſtianos Reges ad vlſciſcendam communem iniuriam incitent: Quæ moneant Principes, Hoſtibus etiam Fidem ſeruare.

Hic inquam eſt ille Locus, in quo fortiſſimus Sarmatarum, Vladislaus Iagellonides cecidit: Qui immanes Scythas in Ruſſiam irruentes ſæpius vicit: Qui Valachos Poloniæ adiunxit: Qui Amurathem Turcarum profligatum ex Hungaria eiecit: Et qui ſolus omnium opinione, dare Lechitis ſalutem, & Hunnos liberare periculis poſſe videbatur. Hic igitur talis ac tantus Heros, ad Varnam in Thracia. inter confertiſſimos Hoſtes dimicans, certam propemotum Victoriam, Heu nefas, cum Vita pariter amiſit: Hoc eſt, Religioni pro qua Bellum ſuſceperat, donauit. Æræ Chriſtianæ Anno M.CCCC.XLIV. cum vndecim ferme apud Polonos, apud Hungaros vero, non totos quinque annos regnaſſet.

Quodque illi aut Iuuenilis ætas negauit, aut immatura Mors ademit, id ipſe ſuppleuit Virtute ſibi, qua ad omnem claritudinem ſublatus, Rerum geſtarum Gloria quandiu hic Sol terras aſpiciet, viuet.

L. LUCAS GORCANUS.

LUcas Gorcanus, inſigni familia, ac perinde opibus, ſub Vladislao Iagellone initium dignitatis accepit; Pruthenicisque bellis excitatus a Vladislao eius F. ad Amurathem Belgradum oppugnantem legatus miſſus fuit: acerrimi vir ingenii, Ducumque illius temporis militaribus artibus, & robore virium facile princeps: & vt bello optimus, ita in pace haud aſpernandus. Qui ſub Cazimiro Iagellonide, in pugna cum Crucigeris ad Choiniciam, dum fortiter rem agit, ab hoſtibus capitur; a quibus Marieburgi durius tractatus, moritur in carcere bonorum omnium cum luctu. Corpus in profluentem equo tractum & ſubmerſum, qui tot legionibus præfuit, qui tot legationes peregit, qui tot negociis Reip. commiſſarius demandatus fuit: magiſtratumque ita geſſit, vt nemo temperantia, æquitate, atque

industria potior videretur. Cui ad profluentis rippam monumentum apud posteros, hoc breue Epitaphium erigamus, quamuis meditata fuerint ad memoriam Virtutis carmina & laudationes a viris eruditis quamplurimis, hodieque adhuc memorantur exempla, quæ priscis moribus ad virtutem & gloriam Gorcana domus prodiderit.

Viator. Durum, si nescis, frangit Patientia. Lucas Comes de Gorca, Palatinus, Præfectusque Posnaniensis: multa Militari fama, ingenti Corporis robore, Armorumque scientia; sub tribus Iagelloniæ Stirpis Regibus Poloniæ, Vladislais, videlicet duobus & Cazimiro: Maioris Poloniæ Legionibus præfuit: Hostesque Patriæ, ac rei Christianæ multoties prosperrime vicit. Demum ipse ab immiti fortuna victus, a Crucigerisque ad Choiniciam in prælio captus, ex pedore Carceris Marieburgensis interclusa anima, creditus est Mortalitatem expleuisse. Corpus submersum aquis præterfluentis Istulæ: Gloria vero Rerum præclare Gestarum, durabit quamdiu illa curret.

LI. PETRUS ODROVONSIUS.

PEtro Odrouonsio viro militari, ob egregiam in bellis fortitudinem & prudentiam liberalitate Iagellonis Regis, magnas opes, & vel graui cum inuidia obuenisse constat, quod solus tota Podolia potiretur, magnamque Russiæ partem possideret. Is igitur regnante Iagellone contra Crucigeros in Prussia veteranorum cohortes ductabat; auctusque Senatoria dignitate, prouincialibus copiis præfuit, cum quibus, Suidrigellonem Podoliam populantem, multis locis repressit. Vladislaoque Iagellonidi Hungaricum regnum bello pacanti, cum voluntariorum egregia manu, nullo stipendio publico adiutus, suppetiatum venit, (qui eum ob insignem corporis formam, & præclarum animum, Ducem sibi elegerant) egregiamque in rebus bellicis operam præstitit. Ac inprimis Bohemos montium iuga occupantes profligauit: deinde præsidiarios Cassouienses, agros circumuicinos depopulantes ad internecionem deleuit. Cæsoque multis in locis prospere hoste, tandem quoque & ipse a Telepho Præfecto Cassouiensi inopinato Agriæ adortus & captus fuit: & a Soloma Vngaro Budam ad Regem suum deductus, qui defectionis suæ apud Regem culpam vel hoc ipso abolere studuit. Cum interim vices fortuna variante ipsemet Telephus a militibus Odrouonsianis, & profligatus die insequenti, & ipsemet captus esset. Proinde in Podoliam contra Tartaros Odrouonsius a Rege ire iussus, cum omnibus copiis suis Vngaria excessit, & Vladislao ad Varnam occiso, a Cazimiro fratre eius, qui in Regem Poloniæ electus, sceptro paterno positus fuit, missus cum exercitu in Valachiam, vt deduceret

drum puerum, ad capiendum principatum a quo exulabat, in pugna cum Bogdano interiit, victoria Polonis suis non incruenta relicta. Igitur viro pro patria deuoto, scribamus Epitaphium.

Genio. Manibus & Vmbræ. Petri Odrouonsii, Palatini Russiæ, Præfectique Leopoliensis, ac Vniuersæ Podoliæ. Qui sub tribus Iagellonibus Regibus Poloniæ Bellicosissimis variis, expeditionibus, varia fortuna interfuit. Et quamuis secunda toties Clarus, & turbidis Rebus intrepidus, Aduersa tamen succubuit. Primum; in Vngaria, in Tumultu Agriensi, a Telepho Præfecto Cassouiensi captus. Deinde; perdomandæ Valachiæ dilectus a Cazimiro Rege, in Pugna cum Bogdano Vaiuoda interfectus. Vt insolentis Deæ Posthumantibus Documentum relinqueret parta suis Victoria interiit.

LII. ANDREAS ODROVONSIVS.

INter viros, quorum fidei custodiæque concredita est imperii dignitas populi salus, cura patriæ libertatis, & antiquæ religionis, iure merito locum sibi vsurpat Andreas Odrouonsius Palatinus Russiæ, Præfectusque Leopoliensis post obitum fratris Petri a Rege Cazimiro Iagellonide factus; a quo iussus tueri munitiones Alexandri Valachorum Principis pueri, in Moldauia sitas, strenue sæpius, contra Bogdanum inuasorem rem gessit; & Tartaros Podoliam incursantes cum Theodorico Buciacio feliciter repressit. Idem difficillimo Crucigerico in Prussia bello, ingentium præliorum victor, peritissimi ducis nomen assecutus, etiam legationibus grauissimis ad diuersos Europæ Principes inclarescere studuit. Inque omni senatorio munere, vigebat apud eum dignitas sine fastu, doctrina sine ostentatione, sine fuco probitas, & studium sine factione. Quapropter viro tantis dotibus prædito tamque bene de patria merito, cum aliter litare nequimus, saltim pro modulo ingenii, scribendo Epitaphio parentemus.

Andreas Comes Odrouonsius, Regni Polonici Senator amplissimus. Amans Virtutum: Osor Vitiorum: Rectus Iudicii: Rerum togæ, Rerum sagi, vsu & experientia egregie peritus, sub hoc Marmore iacet. Qui sub Diuis Iagellonibus variis Bellis Exercitatus, Tartaros in Podolia sæpius feliciter cæcidit, & Bogdanum Daciam inuadentem oppressit. Crucigerisque in Prussia toties profligatis strenui & intrepidi Ducis Nomen tulit. Demum, obitis aliquot ad diuersos Principes, Clarissimis pro Republica, Legationibus obiit & ipse Anno M.CCCC.LXV. Bonorum omnium cum luctu.

LIII. LESCO BOBRICIUS.

ADscribamus Cathalogo bellatorum Sarmatiæ & Lescum Bobricium, equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. Hic variis insuefactus bellis, vti valde patiens laboris, & ad ardua quæque militiæ munera capessenda promptus & audax, facile apud Magnum Iagellonem legionis præfectus in Prussia euasit, quum viuidæ eius virtuti nihil esset imperuium. QuumqueVladislaus Iagellonides ad Regnum Hungariæ vocatus esset, Lescum secum inter præcipuos educendum delegerat, quod & animi audacia & virium robore percelebris fuisset: præmiseratque eum cum parte copiarum ad præoccupandam Budam, totius Hungariæ Metropolim. Postea Regina nolente pactis stare, cum Iaurinum milite muniuisset, Comitemque Ciliæ (cuius vnius spe maxime regina elata fuit) copiis omnibus suis præfecisset, ille cum Stanislao Ostrorogeo missus, Comitem noctu ex arce fugientem cæpit, & copias deinde eius fœdissime profligauit. Dumque in Bulgaria Sumium opidum Rex expugnaret, vbi quinque millia Turcarum occisa fuerunt, Lescus duobus vulneribus acceptis, solus portas vrbis refregit, & cum turma sua hostem mænibus deiecit. Atque demum, multis suæ fortitudinis exemplis editis, in pugna Varnensi egregie cum hoste dimicans, multis quoque vulneribus vndique confossus cecidit. Cuius tumulum hoc Cenotaphio honoremus.

Lescus Bobricius Ligenza, vi Corporis, & virtute animi, Militarique felicitate nemini Secundus, ac prorsus antiquis Heroibus par hoc Tumulo conditus iacet. Qui prima Castrorum Rudimenta in Podolia contra Tartaros Vitoldo prudenti atque Bellicoso Duci approbauit: Iagelloni Regi fortissimo, contra Crucigeros in Prussia tribunus Militum egregiam operam præstitit: Et tandem Vladislao eius F. Bellis Hungaricis atque Turcicis eximie commodus, cum quo simul & Vitam in acie Varnensi posuit, Vitam Bello assecutus est, cuius nullus Terminus, nullus Finis.

LIV. NICOLAUS COMOROVIUS.

VLadislao Iagellonide ad regnum Hungaricum euocato, cum multi ex Hunnis partes, reginæ Elizabethæ, mutata fide sequerentur: multique e contra Poloni, voluntarie & absque stipendiis Vladislaum regem suum iuuarent; etiam Nicolaus Comorouius, Podolinetiæ in Scepusio Præfectus, cum suis cohortibus castra secutus, magno Regi adiumento fuit, qui tum nobilitate opibusque anteibat alios, & militia clarus, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate & alloquiis officia prouocans: ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus, incorrupto

pto ducis honore. Sed præcipitis fortunæ ludo ab iisdem Hungaris victus, & in captiuitatem ductus, reliquis exemplo fuit, qui rebus secundis insolescere consueuerunt, alias egregii & fortissimi duces. Iunctis siquidem cum Nicolao Ciaica suis copiis, noctu Eporiassum oppidum, quod Iscræ Bohemi præsidio tenebatur, admotis scalis ingressus, raptim direptum incenderat, & cum præda domum redire properabat: cum interim ex insidiis, quod minus caute agmen suum procederet, ab Iscra inopinato adortus, ipsisque captus, & prædam & militem fere omnem amisit, diuque carcerem in Bohemia pertulit. Tandem sub Cazimiro Rege liberatus, Poloniam sua industria latrociniis purgauit, prædantesque Silesios repressit, & munitiones eorum diruit: atque demum ipse quinquagesimo quarto ætatis anno supremum diem expleuit.

Viator. Hic terra tegit Terram. Hoc est, Tumulus Nicolaum Comorouium Comitem Liptouiensem Gente Caraffam. Cui Regium Genus, & Pace Belloque inter Roxolanos clara Origo fuit. Quique idem sub tribus Iagellonibus, Bellicosiss. Sarmatiæ Regibus, Armorum Gloria clarus; & vertente se fortuna, in Pugna quadam in Hungaria captus, quum diuturnum Carcerem constanter in Bohemia pertulisset, Docuit Exemplo suo Virtutem insolentis Deæ fluctibus iactari quidem, sed nunquam mergi, aut opprimi posse.

LV. CAZIMIRUS IAGIELLONIDES.

QUidni quoque in hunc Martium campum producam Cazimirum Regem Magno Iagellone natum, qui cæpto ductoque per varios successus bello, eum militiæ fructum cæpit, vt inter inclytos eius ætatis reges præstantissimus euaderet, & sæpe victor, & quandoque victus, ab indomita virtute se ipso maior semper & clarior haberetur. Is igitur puer adhuc nimis, post obitum patris a Bohemis ad regnum expetitus, quod nondum suæ spontis esset, dissuadentibus proceribus oblatam occasionem omisit. Ast a Lituanis, fratre Vladislao in Hungariam ad capessendum regnum profecto, magnus Dux creatus, tumultuantes Russos statim compescuit: oppressa plebe Smolenscensi, & arce recuperata, quam iam in potestatem suam Georgius Mscislauiensium Satrapa redegerat. Tandem Vladislao fratre ad Varnam a Turcis occiso, Rex Poloniæ declaratus est Anno Virginei partus 1447. Statimque bellum Crucigeris Poloniam lacessentibus intulit, & prælio illi ad Choiniciam ipse interfuit: cumque omnes qui ad custodiam illi dati fuerant, diffugissent, solus cum paucis instaurando pugnam perseuerabat. Quod nisi vi ab iis quibus eius cura mandata erat abstractus esset, viuus in potestatem hostium dubio procul venisset. Non despondit

spondit nihilominus animum, sed continue bellum illud prosecutus annis tredecim varia fortuna gessit. Et simul tempore eodem cum Matthia rege Hungariæ fortissimo atque bellicosissimo, in Silesia acerrime decertauit. Stephanumque Valachiæ Palatinum, bellatorem inclytum, parere Polonorum imperio iussit: & Machometem Turcarum tyrannum ex Valachia expulit, pacemque petere coegit. Prussiam ipsam ad extremum maximo bello perdomuit, & Pomeraniam, Culmensemque ac Michalouiensem terram, nonnullasque ciuitates & munitiones regno Poloniæ adiunxit. Tum incurrentes in Podoliam Tartaros, aliquoties profligauit, Moscumque deuicit; & populis quos in suam potestatem pactis conuentis acceperat, tributa omnia condonauit. Carolum Daniæ regem exulem Gedani recepit. Itidem Sueciæ regem a subditis suis expulsum, in arce Puscensi regio plane sumptu fouit: quam ei postea hypothecæ nomine, certam pecuniæ summam mutuatus, dederat. Nec vlli vnquam genti sine iustis & necessariis causis bellum intulit, quamuis lacessitus interdum: erga nos autem nimis etiam mitis ac leuis fuit, vt qui nunquam iis quoque, qui vel grauiter in ipsum deliquissent, irasceretur: pulchrumque duxit, & se dignum, impune lædi. Quapropter contumelias suas, nulla vnquam acerbitate executus est: finitimosque omnes partim societate sibi adiunxit, partim fœdere reconciliauit, partim vero bello deuicit. Pacem vero publicam, ocium, ac tranquillitatem, armis atque legibus in suo regno diligenter custodiuit, vt videlicet sub illo Polonia, tot iactata casibus, tot afflicta cladibus, tot denique oppressa malis, requiesceret aliquando, & se ex diuturno labore, pace ac quiete reficeret. Singularis siquidem prudentiæ fuit, eximiæque dexteritatis, ac felicitatis maximæ profecto, in tam difficilibus rebus Reip. in tantis procellis & tempestatibus, & in tot occasionibus occasus patriæ, ita moderari Rempubl. ita tueri, conseruare ac relinquere, vt neque Turcarum torrentis more sæuiens potestas, neque Tartaricarum cohortium rapacitas, neque impetus Moschouitici, neque Valachiæ casus & mutationes, neque Germanorum machinationes nostram Rempubl. ægrotantem aliquo insigni damno vel detrimento affecerint. Erat etenim animo, aliisque virtutibus vehementer excellens: sed & præstans etiam pulchritudine oris, ac totius corporis forma conspicuus, læta atque hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam hominum conciliandam. Igitur expletis quatuor & sexaginta ætatis suæ annis, in terris esse desiit, relictis ex Elizabetha vxore, filia Alberti Imperatoris, filiis sex, Vladislao nimirum Hungariæ & Bohemiæ Rege, Alberto, Alexandro, & Sigismundo, qui serte quadam mirabili atque diuina, in regno Poloniæ sibi succedebant, & Cazimiro atque Friderico, ad meliora regna hisce terrenis deputa-

deputatos. Horum etenim alter in diuos relatus est, alter vero vrbis Romæ Cardinalis fuit. Filias quoque septem numero, ex hoc eodem matrimonio susceptas habuit, quas omnes Germanis Principibus in matrimonium dedit: atque ita genere ac sanguine suo cunctam Germaniam compleuit, vt pauci sint ex omnibus Germanis Principibus, qui consanguinei non sint Polonis. Hæc de rebus præclare ab illo gestis; addamus etiam Epitaphium constantissimo Regi, quod venerando eius Mausolæo appendamus, in Basilica Cracouiensi, vbi & Pater eius quiescit.

Alter huc ingreditur Iagellonides, Nobilis huius Mausolæi Hospes, Magni Parentis, Magna Progenies, ille Sarmaticæ Gentis Rex Bellicosiss. Qui circumquaque positas Gentes, aut sapienter Amicitia comprehendit, aut fortiter vi armisque compescuit; Et quos omnes ab Odera, ad Borysthenem vsque & vltra, ingenti sui Nominis Terrore compleuit. Quiescit hic Hæres vnicus Iagellonicæ Stirpis, exemplar Constantiæ, Grauitatis, Patientiæ, Fortitudinis, omniumque Virtutum. Qui Prussiam & Pomeraniam per deditionem accepit; Crucigeris fœderum non tenacibus, post tredecim annorum Bellum supplicibus Pacem concessit: Qui cum Hungaris & Bohemis, variis & ipse ærumnis Exercitus, Bella acerrima gessit. Qui magnum Moscouiæ Ducem, Pacem redimere coegit, & Scythiam sæpe repressit: Moldauorumque Palatinum Bellicosiss. Stephanum, in clientelam accepit, & Magno ei ad profligandos Turcas adiumento fuit. Cumque annos vixissetLXIV. Et effusæ clementiæ plurima Subditis Exempla reliquisset, fatalem horam adesse sentiens Christiano. Ritu Sacramenta percipit: Et quinque ac quadraginta Annis quibus regnauit, tot, tantasque Res gessit, vt immortalem sibi apud omnes circumuicinos Populos gloriam compararit.

LVI. FOELIX PANIOVIUS.

FOelix Paniouius a puero in castris Vladislai Iagellonidis Poloniæ & Vngariæ Regis exercitatus: illo ad Varnam occiso, Huniadi primum Palatino Transyluaniæ, deinde filio eius Regi Matthiæ adhæsit. Cumque is bellum Turcis intulisset, Paniouius cum Ioanne Srescouio Dolinio, cognomento Albo, quingentos Polonos regiis stipendiis in Vngariam euocauit: eisque a Rege præfectus assignatus, ad reprimendas barbarorum excursiones e Bosna in excubiis constitus, multa egregia facinora sæpius edidit, omnibusque fere præliis cum laude interfuit. Atque semel in palantes barbaros, obfirmatis suorum ad vincendum aut moriendum animis, prima noctis vigilia, ne paucitas sua conspecta hostibus animum adderet ingentem impetum fecit, resistentibusque acriter Turcis, quinquies pugnam redintegrauit: & die illucescente a Rascianorum turma adiutus,

 quatuor

quatuor millia barbarorum deleuit feliciter, & septemdecim millia vtriusque sexus captiuorum, qui in fœdam seruitutem a barbaris abigebantur, liberauit. Itaque clarus militia & fortitudine in patriam reuersus est, Tribunusque militum bello Prussico a Cazimiro Rege factus, Choiniciam munitissimam ciuitatem, arcta obsidione pressit, & ad deditionem coegit: exque eo Regi inposterum charus, & summis ab eo beneficiis ornatus, pro patria se strenue vbique & amanter gessit. Quem hac breui Epigraphe, pro meritis, cohonestemus, licet eum satis sua virtus laudatum reddidit.

Fœlix Panionius, Gente Goziembius, Hic Tumulatus quiesco. Vosque Amici mei omnes rogo, Desinite Luctu quietem nunc meam rumpere. Vixi namque Bellis deditus, vt morerer pro Patria, proque re Christiana, in acie feliciter: Mortuus sum præter spem Domi, vt viuerem felix in Domo multarum Mansionum in cœlis: vobiscum victurus demum, in illa felicitate æterna, cum mortua Mors fuerit.

LVII. PAULUS IASENIUS.

SUb Vladislao Iagellonide bellis Hungaricis clarus, subque Cazimiro fratre eius equitum alæ in Prussia præfectus, cum multa specimina Virtutis suæ edidisset, in pugna velitari ad extremum ad Choiniciam a Crucigeris captus; qua deinde ad deditionem coactam, suis redditus, in magna & feruenti gratia apud Regem fuit: Eiusque filium natu maiorem Vladislaum ad regnum Bohemiæ vocatum, Dux exercitus factus, deducebat. Erat enim validus animi, & corpore ingens; anteire agmen: locumque castris capere, noctu diuque consilio, ac si res posceret manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans, prorsusque antiquis Ducibus par. Igitur Rege in solio Bohemiæ collocato, inuaserat statim citis cum militibus & Hungariam, munitionesque cæperat nonnullas; quas deinde Vladislaus Bohemis consentientibus, restituerat Vngaro. Quem iterato Paulus, ad Vratislauiam, Regibus Cazimiro Poloniæ & Vladislao eius F. Bohæmiæ, iubentibus, armis aggressus, in primo statim congressu turbauerat exercitum eius, totum & mille in acie occisis, sexcentisque captis ad pacem, cum Regibus concludendam, quodammodo permouit. Inde contra Tartaros in Podoliam missus, inruptiones eorum repressit, peractisque ad Imperatorem, Regem Galliæ, & Regem Vngariæ Matthiam grauissimis pro Republ. Legationibus, fato concessit non plane senex, Vir industrius, efficax, multarum linguarum peritus, aulicarum artium minime rudis, & qui naturam versare posset in varias partes, ac

velut

velut alter Proteus multiplices formas aſſumere, quas ei fors obieciſſet, aut officii ratio aſſignaſſet. Quem tali Epitaphio decoremus.

Paulus Iaſenius, Theſaurarius primum Regni Poloniæ Supremus, Deinde Caſtellanus Sendomirienſis, & apud Cazimirum Iagellonidem Regem prudentiſſ. Exercituum Generalis, Hungaricis, Bohemicis, Tartaricis, Pruthenicisque Bellis Clarus; Dum peractis pro Repub. ad diuerſos Principes, grauiſſimis Legationibus, Quietiorem ex Labore Vitam quærit, Sexto & quinquageſimo, Ætatis Anno, immatura Morte præuentus quam viuens non inuenit. Hic Requiem ducit.

LVIII. IACOBUS DEMBINIUS.

IAcobus Dembinius, modeſta iuuenta & corpore inſigni, proſpero curſu, in caſtris Vladislai Iagellonidis, ſingulorum ordinum honores percurrit, & a Cazimiro eius fratre vnius legionis præfectus factus, in bellis Pruthenicis ſeſe ſtrenue pro patria atque amanter geſſit. Et quadam vice ad obſidendam Valciam miſſus venienti cum tribus millibus Germanorum, in ſubſidium obſeſſis, Bernardo Sumbergio, ne ſe hoſtes vtrinque, aduerſum pariter & auerſum adorirentur, in æquiorem locum obuiam proceſſit, & cœſis complurimis omnes penitus diſſipauit. Quo intellecto ii, qui in præſidio Valciæ fuerunt, nocte arce incenſa diffugerunt. Quapropter Regi vehementer gratus bello Vngarico cum Rege Matthia exorto, non tantum præliis cum officio & honore interfuit, verum etiam Cancellarii ſupremi titulo auctus, rerum tractationi præfuit, obiuitque legationes diuerſas, in Boemiam, in Hungariam, in Pruſſiam: itemque ad Pontificem in Italiam & ad Imperatorem in Germaniam, vbi rebus ex animo confectis, totius minoris Poloniæ curam a Rege commiſſam habuit, Rege ipſo ad Pruſſicam bellum perſequendum profecto: quo in loco conſtitutus, vt bonis comis, ita aduerſus malos iniucundus fuit. Purgauitque latrocinia in confinio Sileſiæ orta: & vbi conuentus ac iudicia poſcerent (nam & Præfecturam Cracouienſem geſſit) grauis, intentus, ſeuerus, & ſæpius miſericors. Nec illi quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatem, aut ſeueritas amorem diminuit. Mortem obiit ætate extrema: reliquiæ paterno tumulo illatæ Cracou. & funus ductum, lacrymis & conclamationibus dolorem amicis teſtantibus; cuius Tumulum hoc Epitaphio cohoneſtemus.

Iacobus Dembinius, Theſaurarius primo, Deinde Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, Præfectusque Cracouienſis hic tegitur depoſitus. Vir cunctis vitæ officiis æquabilis, Opum contemptor, recti peruicax, conſtansque aduerſus

metus. Et qui totam ætatem in Bellis tractandis, Administrandaque Republic. peregit. Ac imprimis Valcensi Victoria, Legationibusque pro Patria obitis clarus, Climacterico demum ætatis Anno Fato concessit. Rarissimum Senatoriæ Prudentiæ Exemplum.

LIX. PETRUS DUNINUS.

SEquitur e Tribunis Cazimiri Regis, Petrus Duninus quoque, qui cum plurima, ſub patre adhuc eius Vladislao Iagellonide, virtutis præclara ſpecimina edidiſſet, tum ſub Cazimiro eius filio toto Bello Prusſico, quod tredecim annis durauit, equitum alas ductauit, integræque demum legioni præfuit, Succamerarii Siradienſis titulo auctus. Et Crucigeris temere maiorum fœdera violantibus, ad Fraumbergum ſubſidio obſeſſis miſſos, Magiſtrum Crucigerorum ita conterruit, vt aleam pugnæ periclitari non auſus, deſertis caſtris fugiens ſolueret obſidionem. Inde in Pomeraniam mouens, non ſatis habuit hoſtem liberioribus excurſionibus prohibere, ſociosque defendere : ſed in hoſticum progreſſus Stargartenſium, Bythouienſium, Lemburgenſium & Puſcenſium fines, ferro & igni vaſtare adortus eſt. Hoſtes vbi noſtros prædæ cupiditate longius ad iniqua loca, inter ſtagna & lacus prouectos animaduertere, validam & ipſi manum, deducto e proximis ſuis munitionibus præſidiario milite, agreſtibusque arma ſumere iuſſis, coegerunt, opportunitate locorum contra noſtros vſuri. Idque eo maiore fecere audacia, quod commodum Fricius Raunechius Auſtrius, & Caſpar Noſtiuicius Sileſius, nouos milites e Germania ipſis adducentes, aduenerant. Rex etiam Dunino, aulicum ſuum Comitatum cum Alberto Gorſcio ſummiſerat. Itaque ventum ad prælium apud Puſcum, & Duninus hoſtibus profligatis, caſtris eorum ex facili potitus eſt, cæſis cum Fricio ductore eorum, duobus Germanorum millibus, captisque ſexcentis : cum noſtri mille octingenti tantummodo fuiſſent. Idem paulo poſtea Ericum, Stolpenſium Pomeranorum Ducem, ad Crucigeros cum copiis ſuis tendentem profligauit. Holandiam opidum munitiſſimum ab hoſtibus proditione captum, recuperauit. Gneuum ſeu Meuam biennio obſidione premens, tandem ad deditionem coegit : ſimiliter Nouum, arcta obſidione toto anno cinctum : priusquam in Hungariam atque Bohemiam deinde Senatoria dignitate ornatus orator nomine regio abiret. Et rebus proſpere confectis reuerſus, paucos deinde poſt dies deducebat Cazimirum Regis Cazimiri filium, in Hungariam ad Regnum vocatum. Quod Hungari nimirum diutius ferre tyrannidem Matthiæ Regis non valentes, vel a Turcis auxilium ſe petituros dicerent, ni Rex Cazimirus filium

um mittere vellet. Inde reuerſus, mortem obiit ætate prouectam, in hoc vnum ſemper intentus, vt inſtaurata militia, quæ longo æuo emarcuiſſe videbatur, veteres equitum alas lectiſſimis ſupplementis corroboraret, & in expeditionem Pruſſicam iterum educeret. Cuius feralem vrnam hac breui Epigraphe condecoremus.

Viator. Petrum Duninum, Succamerarium primo Sendomirienſem, Deinde Caſtellanum Siradienſem, Præfectumque Marieburgenſem, Virum claritate Natalium inſignem, Militiæque gnarum, & Corpore validum, atque omni Liberali Doctrina perpolitum, Rex Cazimirus Iagellonides, Bello Pruthenico e Gregario ad ſumma Militiæ prouexerat. Eundemque meliore Fato Fideque Natum, Albo Senatorio inſcripſerat, atque Honorificentiſſimis Legationibus ad Principes externos ornauerat. Qui cum egregiam Regi, Reiquepub. Operam nauaſſet. In ipſo Laudum ſuarum Progreſſu eſt Hominum expectationi ereptus.

LX. NICOLAUS SARLEGUS.

VT primum e literario, militarique ludo adoleſcens Nicolaus Sarleius prodiit, incredibili proſperoque ſemper curſu, ſingulorum ordinum honores, apud Vladislaum Iagellonidem percurrit atque promeruit: creatusque demum Palatinus Inouladislauienſis a Cazimiro Rege, & Procerum numero adſcriptus, Plauenium Bohemum, Crucigerorum ſtipendia merentem, magnaque Polonis cum ſuis cohortibus damna inferentem, ad Choiniciam profligauit, & in hoſticum progreſſus, caſtella eorum exſcindit, & plana, edita, validos, inualidosque pari metu compleuit, Cumque iterum ibidem ad 14. Kal. Octob. prælium cum Crucigeris commiſiſſet, cui & Rex ipſe interfuerat, ab infeſta fortuna ſuperatus, cum aliis claris viris captus eſt, & Marieburgum deductus. Vbi durius habiti noſtri, pars maxima interire: mortuos ne ſepultura quidem crudi & immanes hoſtes dignati ſunt, ſed equis tractos in profluentem abiecere. Sarleius vero lyntro graui liberatus, quia a puero duriori vitæ aſſuetus fuerat, pedore carceris illius opprimi non poterat. Igitur redux ad penates iterum a Rege miniſter bello datus fuit; inque omnem rerum occaſionem aduerſus Crucigeros expedita arma conuertens, ita fortunam innatæ creſcentique virtute ſuæ optimis artibus conciliauit: vt nemo eo domi conſultior Senator, nemo dux in caſtris exactæ diſciplinæ præceptis inſtructior in Maiori Polonia cenſeretur. Cui pro meritis hoc breue Epitaphium ponamus.

Nicolaus Sarleius, Palatinus Inouladislauienſis; & Schluchouienſis atque Tucholienſis Præfectus. Vir Secundis aduerſisque iuxta Famoſus. Hoc eſt

Clade & Victoria, vno eodemque in Loco, ad Choiniciam, reportata. Post Annum septimum & quadragesimum, quam Terris ostensus est, Cœlo Animum, vnde sumpserat, reddidit.

LXI. PETRUS SAMOTULIUS.

HAud quaquam degener ab auitis & paternis virtutibus Petrus Samotulius, Castellanus Posnaniensis, qui ea tempestate inter claros Duces validas equitum copias ductabat. In eo quippe vis ingenii mirifica eminebat, & natura erat aduersus laborem & somnum indomitus, periculorum despector, imperii & militaris laudis auidus. Itaque cum fortem fidelemque operam difficillimis Reipublicæ temporibus nauaret, tanto regis studio singulos honores adeptus est, vt copiis regni præficeretur: inque illa generali expeditione, Anno 1457. contra Crucigeros Prussienses, summam in exercitu secundum regem potestatem habuit. Et Paponiam, in primo in Prussiam ingressu, munitissimam arcem, in vna hora expugnauit & incendit. Sumbergium Ducem Crucigerorum inopinato inuadere nostros volentem, ita profligauit, vt cunctis amissis, quindecim milliarium iter eo die solus fugiens conficeret. Cumque plurimos pro Republ. exantlasset labores fato demum suo functus est ætate prouecta, Cui vel hoc breui Epitaphio scribendo parentemus.

Mortales. Petrus Comes Samotulius, Hic iaceo; Supremus mihi Dies affuit, cui olim viridis Ætas Senectusque fuit. Aderant & opes ingentes, & Nobilitas Maiorum, & Senatoria in Patria Dignitas. Tum Corpus Procerum Decora Facies, ac Ingenium Illustre: Nunc Puluis tantum sum, inanis: Gloria autem illa, quam Bellis Pruthenicis comparaui, in Fumum abiit tota: Proinde qui me nunc calcatis viui, cogitate si sapitis, idem & vos breui futuros: Atque pro Me, Deum exorate.

LXII. LAURENTIUS ZAREMBA.

FUit Zaremba Palatinus Calissiensis regnante Vladislao Iagellone, ingenio peracuto, constanti, versutoque apprime validus: corpori autem quanquam mediocri, singulisque membris, habilis inerat vigor, adeo firma explicataque membrorum compage, vt eques pariter & pedes armorum exercitatione, cunctos æquales anteiret, nec vnquam inedia, vigiliis, algore aut æstu frangeretur. Is Vladislao Iagellonidi Hungariæ Regi ex Polonia missas copias a Republ. ductabat, omnibusque Turcicis bellis cum laude interfuit. Reuersusque in Patriam etiam sub Cazimiro eius fratre

fratre floruit, & ad bellum Prussicum eunti, cum delecto equitatu, & sagittariorum cohortibus Comes fuit. Cuius Sepulchrum hoc Epitaphio honoremus.

Conditus est sub hoc Marmore, ille pullus Martis, Laurentius Zaremba, Palatinus Calissiensis: Vultu Habituque Moris Antiqui, & Æstimatione recta Seuerus. Qui optimos Mortalium, optima cupere sciens, Non aliud in Votis tota Vita habuit, quam ut pro Patria & re Christiana in Bello Turcico, aut Prussico Moreretur. Cæterum illæsus vbique & incolumis, apudque Penates Mortalitate interceptus, & suos, & Posterorum suorum Cineres Diem Domini heic expectare curauit.

LXIII. IOANNES ZAREMBA.

SEquitur & alter eiusdem stirpis & dignitatis Senatoriæ Heros, elegantia singulari, comitate, humanitate, complurium linguarum peritia, & prudentia præstans. Is diutius peregrinatus fuisse dicitur, maximamque Asiæ atque Africæ partem peragrasse, hoc fine, vt ea omnia edisceret, quæ ad optimam bellatoris disciplinam pertinerent. Eminebat enim in illo eruditum & graue perspicacis ingenii iudicium, quum rerum bellicarum omnis generis, & literarum intelligentia polleret: corpusque patiens inediæ, vigiliæ, algoris, & supra quam cuiquam credibile, animus audax. Igitur regnante Sigismundo Primo, Germanicum exercitum in Prusiam Crucigeris suppetiatum euntem, ad Medzireciam præcipue; sed & aliis in locis sæpius cecidit, cum Prædislao Lanckoronio & Iacobo Secigniouio iunctis suis cohortibus. Idem Gedanum eum mille equitibus fortiter tutatus: factaque ex vrbe eruptione, multos ex hostibus paucitatem nostrorum contemnentibus trucidauit, multos cæpit. Neque multos post & ipse fato interceptus, e tanta expectatione rerum, publico omnium luctu decessit, eloquio, prudentia, religione, innocentia, & grauitate domi forisque insignis: Inque dicendis in Senatu sententiis liber, & grauissimus. Cui hoc breue Epitaphium subscribamus.

Perpetuæ Dormitionis Domus. Magnanimi Herois Ioannis Zarembæ, Palatini Calissiensis, qui in remotissimas Oras Peregrinatione suscepta, Asiam, Africam atque Europam lustrauit. Et domum reuersus, licet Nobilitate ceteros anteiret, Bonis tamen Consiliis notescere volebat: Nec in Senatum ingressus est, nisi Iudicio Sapientissimi Regis Sigismundi Primi, Bello Prussico tantum honorem promeritus, Quod etiam Gloria & Virtus infensos habeat. Quapropter te quisquis es, Hic Sepultus rogat, sua ne moueas, seu inquietes Ossa, vt qui viuus nunquam ob inuidorum maleuolentiam quieuit, saltem quiescat Mortuus.

ALBER-

LXIV. ALBERTUS IAGELLONIDES.

Viguere in hoc Principe, quod negari non poſſit, egregie corporis animique virtutes: namque auo ſimilimus, militarisque laudis appetentiſſimus fuit. Corpus laborum non minus patiens, quam ſtrenuum: plurimum audaciæ ad pericula ſubeunda: & qui nullo vnquam diſcrimine perterritus, nullis caſibus victus: linguæ quoque Latinæ peritus, & præſertim hiſtoriæ ſtudioſus: liberalitate erga militares homines & magnitudine animi non vulgari. Siquidem illi inerat animus pecuniæ contemptor, & opulentiore Rege dignus, quo maxime ſibi hominum animos deuincebat. Merueratque Caſtrenſis diſciplinæ laudem, a Cazimiro patre Anno 1489. contra Tartaros miſſus in Podoliam, vbi ad Copeſtrinum bipartito agmine Barbaros incedentes inuenit. Itaque relictis cum exiguo præſidio ſarcinis, in id agmen hoſtium quod anteceſſerat, ingenti procurſu impetum fecit: quem Barbari quoque conſpicati, ex templo diduxere agmen, denſumque ſagittarum imbrem ſurſum verſus eiaculati, equos pariter & equites noſtrorum ſuperne conſauciabant, donec præpeti curſu inuectis noſtris res cominus gladiis geri cœpit: vbi vero impares noſtris armatioribus, in fugam conuerſi ſunt: quam tamen obiecta cænoſa palus impediebat. Itaque multi in prælio, longe plures in fuga cecidere, ita, vt e quindecim millibus, vix pauciſſim cum duce pedes euaſerint, equis in palude hæſitantibus. Præda omnis a noſtris recuperata, & captiuis exuuiisque hoſtium cumulata. Interea alter Tartarorum exercitus ſuperueniens, impedimentis noſtrorum ad Capeſtrinum relictis potitus eſt: cumque ibi affatim mulſi reperiſſent, ex itinere ſitientes largius ſeſe ingurgitabant, diffugiſſe noſtros rati. Sed cum Albertus cognouiſſet, in commeſſabundos facto impetu, ad internecionem pene omnes deleuit: decem millia fuiſſe feruntur, quorum pauciſſimi duce amiſſo fuga elapſi ſunt. Albertus vero re bene geſta, & lectis hoſtium ſpoliis victor, ad patrem reuertit; cunctisque ex eo charus haberi cœptus, militibus pariter & captiuis reducibus, virtutem, dexteritatem & prudentiam eius prædicantibus. Quæ res magno ipſi deinceps adiumento fuit ad regnum poſt obitum patris adipiſcendum, imo & Hungarorum, ſceptro potitus fuiſſet, niſi fortuna nouerca in medio curſu eum deſtituiſſet. Namque euocatus a nonnullis proceribus Hungariæ, bellum cum fratre Vladislao, qui ab altera parte procerum electus fuit, gerere adactus eſt. Iamque multas arces occupauerat, commiſſoque ad Eperiaſſum prælio, vix quatuor millia militum habens, cum octodecim Hungarorum millibus audacter congreſſus eſt: & iam primos hoſtium loco mouerat, ſed prægrauante multitudine

repreſſus,

repreſſus, multis fortibus viris amiſſis, ad extremum ceſſit. Cumque aliquandiu inſtaurare prælium vellet, duobus equis in ardore pugnæ amisſis, tertio quoque grauiter ſub ventrem ſauciato, vix tandem Eperiaſſum euaſit; parumque abfuit quin a duobus Bohemis inſequentibus caperetur, cum fracto gladio, quo ſe tueretur non haberet, ni Crupſcius eques Polonus accurrens, ſuum ipſi gladium porrexiſſet: quo quidem illi vtrumque hoſtem transfixit. Itaque Vladislaus pace cum eo facta, Sileſiam illi conceſſit, vt ſtatim Hungaria excederet. Breui autem poſt patre Cazimiro fatis ſublato, procerum ſuffragiis Rex Poloniæ creatus eſt, & a Sbigneo Archiepiſcopo Gneſnenſi, ritu ſolemni vnctus, Cracouiæ diadema ſuſcepit, gloriæ & imperii propagandi percupidus. Cæterum rex factus non pro voto ſe geſſit, fruſtraque Valachiam aſpexit vetantibus vatis: ſiquidem ampliſſimi exercitus vexilla in conſpectum chotinenſium promota, terribilis quidem primo impetus, ſed mox inanes atque irritos conatus habuerunt. Nimirum tardi ſunt rerum magnarum progreſſus, raroque tam bene cum humano genere agitur, vt incœpta generoſa ab iis, qui ſuſceperunt in offenſo pede ſtatim ad finem perducantur. Quare inglorius viuere nequiens, vsque adeo acerbum ex animi dolore morbum concepit, vt tum bellum appareret in Pruſſiam, pauciſſimis diebus vitam relinqueret. Eunus ductum pompa regali, & reliquiæ paterno tumulo illatæ tribunorum centurionumque humeris: præcedebant incompta ſigna, verſi faſces, aliaque funerum ſolemnia, etiam plebe atrata feralem vrnam ſequente, vt ſupremo erga memoriam nepotis Diui Iagellonis munere fungerentur quam decentiſſime. Cui & nos pro modulo hoc breue Epitaphium ſubſcribamus.

Regi cui omnia viuunt, Sacrum. Ioannes Albertus, Regis Cazimiri Filius, Diuique Iagellonis Nepos; Rex & ipſe Poloniarum Generoſiſſimus, cernens quam ſit Labilis Vita Humana: Ne in Mortuum etiam vis fati ſæuiret: Eodem delubro, vbi & Pater ſepultus eſt, Cineres ſuos inferri curauit: Cum inconſulti ſit, Superſtiti Sepulturæ Curam reponere. Is Auitam Paternamque Felicitatem æmulatus, cum aduerſus Tartaros, Perpetuos Poloni Nominis Hoſtes, Res egregias Bello geſſiſſet, Multisque Regiis Virtutibus, ac propriis his Viris, Quos Fortunæ Calculus Mundi Gubernaculis admouit, clarus apud circumuicinos Populos eſſet, in ipſo apparatu Belli Pruſſici, Heu nefas! primam intra Iuuentam, ad Superos abiit, cum Regnaſſet Annos nouem, & Menſes aliquot. Hoſpes abi, & vale. Vbi optimi Regis Oſſibus quietem apprecatus fueris.

M LXV.

LXV. SIGISMUNDUS IAGELLONIDES.

ALberto Regi adiiciamus Sigismundum eius fratrem, Heroem Summis Principibus Venerabilem, hostibus formitabilem, subditis amabilem, cæterisque omnibus admirabilem. Qui fratre Alexandro e viuis sublato, Anno salutis 1507. cunctis acclamantibus, Rex Poloniæ vnctus & inauguratus est, ab Andrea Rosa Archiepiscopo Gnesnensi; breuique infelices casus Alberti & Alexandri fratrum, sua dexteritate & felicitate, ita vindicauit, vt & præteritas clades egregie vlcisceretur: & tot victoriis ac triumphis, non solum earum memoriam deleuerit, sed nomen etiam Polonum, tot & tantis trophæis illustrauerit: ac ipsam Poloniam tenuem, exhaustam, ac tot malis vexatam paucis annis florentem opibus, viris & armis potentem, claram, felicem & beatam reddiderit. Et priuatus quidem, ætateque imbecilla adhuc, Valachico illi bello cum fratre Alberto interfuit; vbi cunctis trepidantibus, diffugereque a Rege volentibus, & magnanimitas & prudentiæ singulare specimen edidit, tumultum sedauit, & fugam repressit. Eoque casu monitus, susceptis postea regni habenis, nunquam quenquam bello lacessiuit, nunquam nisi lacessitus bellum gessit, & propterea etiam victor semper extitit. Perpetuoque vitæ cursu, & senili ætate quoque non ægre ferebat admoneri & corrigi, vel ab humili persona, si quid præter sententiam, & etiam subito ac fortuito iuuaretur. Sciebat optimus & Sapientissimus Rex, maximum momentum esse in admonitione, quæ magna plerumque ingenia, sed iacentia & deprauata corrigit attollitque, vnde Seneca, Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, qui admonitione excitantur, non aliter quam scintilla flatu leui adiuta ignem suum explicat, erigitur virtus quæ tacta est & impressa. Pollebant equidem hoc dono & reliqui Jagelloniæ stirpis Reges, sed quorum ille virtutes. Sic superauit, vti, quæ singulis partitim contigere, eas vnus hic habuerit vniuersas; nullamque vnquam vti dixi fratris malo edoctus, in hostes susciperet expeditionem, nisi pernecessaria eum causa ad id adigeret: emolumenti lucrique spe omni neglectu & postposita. Quapropter cum iuuenis adhuc, in Hungariam ad Vladislaum alterum fratrem se contulisset, tanta ibi dignatione fuit, vt Vngari & Boemi magis eum propemodum quam regem suum reuererentur: per eum, quæ cuperent, publice & priuatim a rege peterent: eius authoritati & iudicio libenter starent. Et cum Glogouiensem atque Opauiensem Dominatum, & summam vtriusque Silesiæ præfecturam a Vladislao fratre obtinuisset, adeo charus ac venerandus Silesiis fuit, vt hodie etiam eius imperium, grata & iucunda memoria vel ex maiorum relationibus prosequantur.

quantur. Aſpectu Venerando & mirabili fuit, vultuque pene ſemper ſerio, nec ad riſum facili: inceſſu moderato, voce & ſermone ſedato: ideoque augebat intuentium viſus ipſius ſpecies. Omnibus autem regni ſui annis modeſtus, ſobrius, & omnifariam temperans, neque fortitudine, conſilio, liberalitate, magnificentia aliiſque virtutibus ſeu bellicis, ſeu ciuilibus ſui ſimilem habens neminem. Tantaque veneratione propter ſummam iuſtitiam apud omnes gentes fuit, vt iuſtitiæ illius fama impulſi Sueci primum, deinde Hungari atque Bohemi, Ludouico Rege apud Mohacium a Turcis interfecto, iſti; illi vero cum Danis, Chriſtierno ob crudelitatem nimiam expulſo, huic vltro tria maxima regna offerrent: quæ ille tamen non accepit, cum reprehenſione multorum, eorum præſertim, qui non perſpiciunt, ac multo etiam minus intelligunt, quantum ipſius regni ſit opus, Tartaris præſertim perpetuis noſtris hoſtibus Podoliam aſſidue incurſantibus; tum quoque Valachis, Turcis atque Moſchis, continuo Poloniæ inhiantibus. Et quantum ad Scythiam, hos ille Barbaros Sexies & Vicies proſpere vicit, hoc eſt, toties quoties excurſiones ea gens rapaciſſima & famelica, & vel e flamma, quod dicitur, cibum petere ſolita, in ditiones Poloniæ ipſo regnante fecit. Valachos multoties ſuperauit ipſo etiam Principe eorum ad deditionem coacto; tum Germanos Crucigeris Pruſſienſibus ſuppetias ferentes. Sed præcipuam gloriæ & victoriarum materiam huic regi præbuere Moſchi, quos ad Radogoſtiam, Starodubum, Veſmam, Dorohobuſum, Poloſcum, atque Smolenſcum magnis cladibus affecit. Sed præcipue in illa Orſenſi pugna, tyrannum illorum Baſilium, bellatorem exercitatum, & contra Tartaros, & alias gentes finitimas victorioſum, & compeſcuit & perterruit, cum de octuaginta millibus maiorem partem, vna die occidiſſet, & Duces viros Illuſtres, Senatumque gentis totum, ac ſupra quater mille captiuos, cum caſtris opulentiſſimis in ſuam poteſtatem redegiſſet. Eo etiam regnante Zatorienſis ditio, & Maſouia, poſt quadringenteſimum fere annum ad corpus Poloniæ, velut radii ad ſuum ſolem rediuerunt. Pruſſia recuſatum diu, & aliquoties excuſſum iugum accepit. Pomerani Stolpenſes ad intermiſſam aliquandiu huius regni clientelam iureiurando adacti reuenere. Cumque Gedanenſes res nouas atque pernicioſas, non in Remp. tantum, ſed etiam in religionem moliri cœpiſſent, condigno eos ſupplicio affecit; & ætate grauescente, filium Sigiſmundum, Auguſtum, patrio more inſigni regio euinxit. Vitæque demum & gloriæ ſatur, mortalitatem exuit, relicto regno pacatiſſimo annum agens octogeſimum ſecundum, cum ſupra vnum & quadraginta tranquille feliciterque regnaſſet. Princeps vtiam dixi, ſingulari pietate prudentia, iuſtitia, fortitudine, conſtantia, temperantia, iniuriarum obliuione

(nulla enim virtute mortalis conditio propius ad diuinæ naturæ similitudinem accedit, quam salute multorum procuranda, ignoscendo lapsis, succurrendo afflictis, parcendo supplicibus) & aduersarum rerum tolerantia præditus: ingenio acuto, memoria felici; corpore sanus ac robustus, adeo vt ætate florenti, ferreas equorum soleas manibus diffringeret, funes canabinos crassiores rumperet, balistam manu intenderet, & chartularum lusoriarum fasciculos discerperet. Ex his aliisque si videbitur, amice Lector, colliges ipse epitaphium, quod in Pyramide sepulchri eius inscribas.

Claudit hæc vrna penultimum Iagellonidarum sydus, Sigismundum Cazimiri Filium, Vladislai Iagellonidis Nepotem; Diuum Genus: in quo Simplicitas cum Prudentia, Lenitas cum Fortitudine, Iustitia cum Clementia, Parsimonia cum Liberalitate & Munificentia certauit. Qui Regnum Poloniæ Legibus, Opibus, Ædificiis, Humanitate, Elegantia & Gloria longe Florentius, Quam acceperat reliquit. Qui Bella cum Potentissimis Moschis, Ferocissimis Tartaris, acerrimis Valachis, fortissimis Germanis, cum Turcis denique, vel ipsa Victoriarum perpetuitate formidabilibus, feliciter gessit. Et qui ab initio suscepti Regni, ad Finem vsque Vitæ suæ, secundo flatu Fortunæ prosecutus, Hostes Nominis Poloni, vel insignibus Præliis vicit, & profligauit, vel domuit & Tributarios sibi fecit. Cumque vnum & quadraginta Annos ita feliciter regnasset, vt eum & Subditi mitem, & Hostes mire experti essent formidabilem; Denique Octogesimum secundum Ætatis Annum agens, in quieta beataque Senectute placidissima Morte functus, Animo ad Cælestem illam Curiam, Corpore ad Patris & Aui Lipsana, Glorioso & pœnæ Triumphali Funere elatus, Cracouiæ in Basilica Diui Stanislai, vbi ipse sibi Mausolæum viuens Superbissimum extruxerat, condi voluit. Æræ Christianæ, CIↃ. IↃ LXVIII. *Tu qui Legis, si pius es, Piissimi Regis Manibus, Dic Pia Verba.*

LXVI. CONSTANTINUS SENIOR, DUX OSTROGIUS.

INter Duces Sigismundi Regis, iure merito primum locum sibi Constantinus Ostrogius vendicat, quod eo nemo procerum Sarmatiæ bellacior fuerit, nemo collatis signis ad hanc diem pluries cum hoste conflixerit: & qui, vt Iacobus Piso Legatus Pontificius meminit, ter & tricies de barbaris victor extiterit: vtque sunt alternæ Martis viciſſitudines, ancepsque fortuna præliorum, bis tantummodo, toto vitæ suæ decursu in acie succubuerit. Primum in campis Viedrusiis, regnante apud nos Alexandro Iagellonide, a Moschis; deinde a Tartaris ad Socaliam in Volhynia. Dum enim temere nimium copiis suis confidit, in medullium Moscouiæ progressus,

greſſus, cum quatuor millibus tantummodo equitum, cæco & imprudenti conſilio, cum maximum hoſtium manu, conſerere manum non dubitauit; quo factum eſt, vt a multitudine circumuentus caperetur, totoque triennio barbaro more, Princeps tam vetuſtæ gentis, tam egregie indolis, ferro oneratus, pædorem curaris perferret. Donec ſacramento obſtrictus, Tartaros qui Moſcouiam incurrebant, inſigni prælio, ex captiuo Dux exercitus factus, ſuperaret, & bene meritus de re Chriſtiana, in liberiore iam cuſtodia aſſeruaretur. Ex qua profugiens, Sigismundum iam Regem poſt obitum Alexandri fratris in ſolio regali inuenit. Cui omnem operam vti fidelis ſubditus, contra Moſcos promittens, vlciſci iniuriam ſuam & ignominiam ſtatuit. Quod & præſtitit proſperrime Generalis exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ a Rege conſtitutus, cæſis multis in locis copiis eorum, vt hic taceam Orſenſem illam celeberrimam, & cum omnibus fere omnium gentium atque ſæculorum victoriis comparandam victoriam, vbi ille octuaginta millia Moſchorum bellatorum, qui omnem noſtrum exercitum, non modo proterere poſſe videbantur, verum etiam Boryſtenem tranare paſſi pecudum in modum flagris abigere in Moſcouiam deſtinarant, ita prælio vicit, vt deſideratorum numerus ad quadraginta fere millia perueniſſe dicatur. Et ductores eius exercitus viros illuſtres, omnemque ſenatum gentis, & ſupra quater mille captiuos Regi Sigismundo præſentauit. Ad Socaliam quoque ſecunda vice a Tartaris cæſus & fugatus fuit, quod fluuio impediente, tarde ſubſidio veniret laberantibus Firleio atque Herborto, qui alterum præfecti ſe inconſulto temere cum infinita Barbarorum multitudine manus conſeruerant: quibus in acie occiſis, cum reliquo exercitu, qui ſolummodo trium millium erat, vim hoſtilem ſolus iam ſuſtinere nequiuit, amisſisque mille ducentis equitibus, in arcem ſeſe Socalienſem non inultus recepit. Sed & hunc pudorem quamuis aliena culpa natum, celeberrimis ſæpius de Barbaris victoriis reportatis, egregie abſterſit, & tres exercitus Tartarorum apud Sluſcum, tribus præliis ad internecionem pene cecidit. Deinde apud Viſnioueciam, cum Nicolao Camenecio, ſex millibus ſuorum viginti quatuor millia Barbarorum profligauit. Ter in Volhymia proſpere deuicit, & multis aliis in locis leuioribus præliis cecidit, quæ ſciens volensque, ne ſim longior prætereo, hac vna apud Caniouiam omnibus ſæculis memoranda victoria adiecta, qua ſex & viginti millia Barbarorum vna die occidit, & victor ad Regem Sigismundum Cracouiam cum ſignis captiuisque hoſtium propere iuit. Tum illa altera ad Pinſcum obtenta, vbi ſimiliter viginti & aliquot millia Barbarorum Anno 1527. profligauit, ita vt paucisſimi cladis nuncii in Tauricem ad ſuos redirent: captiuorum autem Chriſtianorum quadraginta mil-

lia liberauit. His atque aliis similibus ille victoriis celebris, non adæquauit modo malorum suorum gloriam, Danielis illius pugnacissimi Ducis, atque Fedconis manu & ingenio promptissimi viri, quorum insignia facta & in patriam merita, seria Annalium narratio posteris commendat imitanda. Quorum exemplo Constantinum quoque ipsum pro patria tot annis decertantam, animo semper inuicto, infracto, hilari & læto, tametsi summis in angustiis plerumque constitutum fuisse tradunt, qui res eius gestas monumentis consignarunt. Qui vti diximus sinistro Matre cum hoste in Moscouia decertans, hastam cum animo non abiecit, sed egregie vltus, milites quoque suos, qui præcellenti virtute in sustinendis periculis sese fortiter gesserant honorariis ac legitimis donis, ad subeundos iterum labores, afficiebat. Sæpe enim cernere eos, qui superiores iamiam videbantur euasisse, mox vniuerso prælio esse victos: alios contra, qui per initia offenderant, postmodum mutata rerum facie, summæ rei victoriam sua solertia præter opinionem omnium esse consequutos. Et sane, si Plutarcho credimus, virorum fortium est, animi statum in periculis, rectum & immobilem conseruare: persæpe enim magni viri, in festo aliquo casu, timore & formidine, ita percelluntur, vt animum & fiduciam omnem abiiciant. Qui autem salutem suam Deo committunt præter opinionem e mediis emergunt periculis, quod reapse expertus est Constantinus noster, qui dum e Moscouia fugeret, vno comitatus seruo, per viam descendit, die Dominico sacrum missæ in quodam Oratorio sacrificium audire (Quod in Moscouia ritu Græcanico peragitur, & Constantinus ipse eiusdem religionis erat) iusso seruitore iter arreptum prosequi in Poloniam, ipsi liturgia finita, acceptaque benedictione a presbytero, per aliam viam diuertit ignotus & habitu priuato. Tum qui persequebantur fugientem minime rati illum in tanto periculo existentem, tanto tempore alicubi præsertim inter Moscouitas hostes suos immorari, maxime autem in templo vbi omnes ad orationem conueniunt sæpissime inter se noti; nihil immorantes persequebantur abeuntem, & Constantinus cognito ex rumore populi, quod illum ipsum quærerent, & ea recte omnes, qua ille seruum suum præmiserat, citatis equis currerent, finito vti dixi sacrificio per aliam viam in Poloniam secure peruenit, & albo Senatorio ob virtutem & merita adscriptus, Castellani Vilnensis titulum gessit & omnibus copiis Magni Ducatus Lituaniæ viginti & amplius per annos præfuit moderator, visu & auditu iuxta venerabilis, quamuis statura paruus. Cuius grauitas tantæ humanitati atque comitati coniuncta fuit, nemo vt esset tam humilis & abiectæ fortunæ, cui non ad eum perfacilis semper pateret aditus: quum ex re cum omnium Roxolanorum suorum, tum etiam mortalium omnium gratiam assequebatur:

batur: quamuis militaris disciplinæ, ad veterem normam seuerissimus exactor fuerit, quod non semper militaribus viris placere solet, qui pro suæ animo sitate licentius viuere cupiunt. Quapropter virum tam magnum, tamque inclytum, & non de patria modo sua, verum de tota Repub. Christiana bene meritum nequicquam reclamantibus iis, qui credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam, hoc breui elogio exornemus.

Iacet in hoc Marmore Inclytus Roxolaniæ Heros Constantinus Ostrogius, Castellanus Vilnensis, ac Summus Magni Ducatus Lituaniæ Militiæ Præfectus, Vir Manu Strenuus atque Animi Magnitudine, aliisque Virtutibus, nemini sua Ætate comparandus. Hic est ille Bellator Laudatissimus, Qui ter & tricies acie Victor extitit, semperque illustria de Hostibus Patriæ Trophæa retulit. Hic Gloriosus ille Imperator, cuius auspiciis, toto orbe celeberrima illa, de Moschis ad Orsam, de Tartaris autem ad Caniouiam, Victoria stetit: Ob eamque rem solus ex omnibus Ducibus Regum Poloniæ, iussu Senatus, Vilnæ & Cracouiæ, triumphauit. Hic est ille celeberrimus Sarmatiæ Militiæ Magister, Ex cuius Disciplina velut ex equo Troiano tot postea insignes Bellorum Duces prodiere: Et cuius Liberalitate integræ Legiones, absque Stipendiis Reipubl. in aciem sæpissime descenderunt. Cuius eximia Bonitas, Constantia, Æquitas & Munificentia tanta, quanta in nullo antea Ducum Ostrogiorum, a Scriptoribus commendantur. Viator, si pie Patriam amans, Dic Magni Herois Ossibus pia Verba, atque Deum roga, vt similes quamplurimos Ciues nobis duit.

LXVII. CONSTANTINUS IUNIOR, DUX OSTROGIUS.

SUccessit Constantino inclyto Duci, vnicus filius itidem Constantinus, Kiouiensis Palatini titulo in Republ. clarus, haud degener sanguis a paternis laudibus atque virtutibus: qui, nec sumptui vllo, nec labori, nec vitæ ipsi denique pepercit, vt Roxolanarum Prouinciarum dignitati ac libertati consuleret. Cuius vicaria opera viuens adhuc & Senio confectus pater in bellis, & grauissimis quibusque negociis, magno omnium fauore & beneuolentia vsus fuerat. Qui postmodum ætate grauis & multa copia honorum, propriis auspiciis, regnante Stephano Balthoræo, Moscouiam ingressus, ad Starodubum, Radehostiam & Podczopouiam obuia quæque suis cum cohortibus peruastauit: paternæque laudis æmulator factus, & principem locum in Russia studiis ciuilibus adsecutus est, & de barbaris feliciter sæpius profligatis triumphauit: nemoque illo nostra ætate vehementius atque felicius arma Tartarorum exercuit, nemo fre-

quentius

quentius post obitum patris eius acie victor extitit. Qui vt vetustis opibus ingens erat, eximia in pauperes & milites munificentia fuit. Omnibus enim qui illum adibant, benignum & liberalem se præbere: miseris etiam & abiectis, qui in foro & plateis palam mendicabant, non pecunias solum & res ad victum necessarias, sed etiam decentem corporis vestitum subministrandum curare solebat. Et quod maxime principem virum dignum putes, offensarum inimicitiarumque minime memor erat: (siquidem hæc est celeberrima virtus, & vt inquit Quintilianus, animi suspiciendi moderatio, vincere iram, & inter simultates quoque, vincere animum.) Cui certe non animi dotes solum, sed & corporis etiam ornamenta affuere, statura procera, robur & agilitas par, sagittandi equitandique summa peritia, summa in rebus agendis felicitas, laboris & incommodorum cœli tolerantia, par victus frugalitas, & ex eo valetudo prosperrima. Et quem per omnia maiorum suorum virtutibus simillimum, ad posterorum imitationem & exemplum, hoc breui epitaphio decoremus.

Vides hoc Mausolæum Viator? Opus est Magnificentissimi ac Prudentissimi Principis Constantini, Æternæ Parentis Memoriæ positum ac consecratum: Quod ille non Thesauris congestis refertiit, sed Lipsanis omni Auro Gemmisque potioribus Fortissimorum ac Gloriosissimorum Ducum Ostrogiorum, in quo quasi longo quodam itinere defessi postremum requiescerent, ac simul cum illo, Moscouiticis Tartaricisque Bellis defatigato, atque omnibus suis Posteris, Supremum Mundi Diem expectarent.

LXVIII. ROMANUS OSTROGIUS.

CONstantino Iuniori, adiiciamus fratrem patruelem Romanum, Senioris Constantini nepotem, belli ac togæ dotibus eminentissimum sæculi sui virum. Qui adeo oris dignitate renidebat, vt quod alii armis, ille oculis ageret in hostem: natura siquidem impiger, & ad rem militarem factus videbatur, itemque æstus iuxta ac frigoris, laboris & inædiæ patiens, somni parcissimus, victu cultuque corporis non multum a gregariis militibus differens, licet longa maiorum opulentia fuerit clarus. Idem alieni abstinens, de suo munificus, facilitate & liberalitate militum studia & voluntates tenere solitus, quibus artibus atque studiis summam sibi hominum suorum charitatem comparauerat. Is itaque cum patruo Constantino, tam Scythicis quam Moscouiticis bellis, cum suis turmis semper adhæsit; & in illa Caniouiensi pugna, ante primam aciem, operam tam fortem, quam felicem præstitit, vt & famam strenui peritissimique Ducis consecutus esset. Erantque res eius bello gestæ, cum victoria-

rum

rum pondere, quibus cum patruo semper interfuit, tum magnitudine euentuum, & quadam perpetua atque felici cursus celeritate mirabiles. Verum fortuna quæ lubrica est refragante, cum summam de se expectationem omnibus daret, in pugna cum barbaris ad Buscum, sagitta traiectus interiit, quum fugientes Tartaros, ardore & ferocia iuuenili longius insequeretur, vix Constantino patruo non inspectante, & ita mortem nepotis charissimi Vlciscente, vt quotquot tum Barbari in acie erant, ad internecionem fuerint cæsi omnes. Ego hic epitaphium illi quasi a tota Russia positum subiicio.

Quis hic iacet rogas Viator? Breuiter edisseram. Romanus Ostrogius, vehementis Spiritus Princeps, Constantini illius inclyti Bellatoris charissimus ex Fratre Fedcone Nepos. Qui Forma velut alter Absolon decorus, Sermone promptus, Ætate vigens, Strenuus Manu, & Armis Equisque in Patrium Morem exercitus, nusquam Bella contra Tartaros, Valachos, aut Moschos omisit, sed pernox perdiusque in Castris & Contubernio Patrui, vt erat vetustis opibus ingens, integras Veteranorum alas, pro patriæ incolumitate, Sumptibus propriis alebat: Pro qua & Mortem oppetiit, ad Buscum Sagitta a Barbaro traiectus. Quamobrem non Amici modo, aut Cognati eum luxere, quos Magnis Largitionibus fouebat, sed tota quoque Roxolania ingemuit, orbata Viro, qui tunc lumen Sarmatici Orbis debebat fore. Quem cum viuum mœstiss. Patrus seruare non potuit, Conditio hic Militari More Cadauere, piis Lachrimis ad Superos conscendentem prosecutus est.

LXIX. MICHAEL GLINCIUS.

NOn minus audaci, quam sagaci ingenio Michael Glinscius fuit, qui apud Germanos annorum amplius duodecennio rei militaris minime vulgari peritia acquisita, vix credibile memoratu est, quantas regiones peragrauit, vt & vrbium omnium situs ac regiones cognosceret, & vt omnium pæne Europæarum linguarum peritiam assequeretur. Variant enim hominum ingenia, & sunt tam ciuitatum, quam singulorum hominum mores diuersi, quos viri militares non ignorare debent, finitimarum præsertim, quibuscum non raro negocium est nobis. Is postquam in aula multos honores feliciter percurrisset, & in Senatum vocatus, Supremi Marsalci, Magni Ducatus Lituaniæ, officium gessisset, tandem æmulorum, qui ægris admodum oculis adspicientes, secundam eius existimationem crescere (siquidem apud Alexandrum Regem Summum locum atque authoritatem tenebat) illum apud Sigismundum fratrem eius, cum alias semper, tum maxime cum regni habenas post obitum Alexandri suscepisset,

criminabantur. Huius enim gregis hominum in Principium aulis magnus est numerus, & vberrimus semper prouentus, qui peruersis & malignis præditi ingeniis, vitiisque obruti, cum virtute emergere non possint, prauis innixi studiis, & versutia scelerata audaces, calumniis & delationibus aliorum, in Principum fauorem malitiose sese insinuant: & his inuidiam conflando, illos in suspicionem vocando, odiaque & discordias passim miscendo, ex aliorum iniuriis & oppressione ad opes ingentes anhelant. Igitur Glinscius in feruenti gratia apud Alexandrum Regem, animi sui elatione causam eiusmodi rumorum de se aulicis vltro præbuerat, magnasque in Lituania opes & potentiam atque clientelas, Russorum præsertim eiusdem linguæ & Religionis hominum sibi compararat. Ægre id ferebant Lituani proceres, alioqui etiam Russis non satis æqui: formidabantque ne per occasionem is Alexandri orbitate contempta Lituaniæ Dominatum inuaderet, & ad suos Russos transferret. Vt enim recte Orator noster monet, maximis animis, splendidissimisque ingeniis, plerunque existere honoris, imperii potentiæ atque gloriæ cupiditatem: quod maxime in illo elucebat post obtentam de Barbaris sub occasum Regis Alexandri victoriam, qui tum moribundus iam Vilnæ decumbebat. Cum enim Tartari ad Clescum oppidum haud longe a fontibus Nemenis fluuii situm, constipati peruenissent: relictis ibi duobus Soltanis (sic illi Principum suorum filios vocant) cum decem millibus equitum, ad quos ipsi receptum habituri essent, cæteri ad viginti millia turmatim quoque versus populabundi excurrerunt. Glinscius vero cum septem millibus equitum superueniens, illa decem millia profligauit, priusquam reliqua agmina, quæ diuersa & palantia prædas agebant eo sese recollegissent. Vbi Glinscius magnam non solum egregii Ducis, verum etiam strenui militis reportauit, tribus in ea pugna equis amissis, qui sub eo confessi fuerant. Neque tamen hac ille victoria contentus fuit, sed reductis ad hostium statiua copiis, tacitus ibi consedit, operiens donec cæteri, qui prædatum longe lateque excurrerant, casus suorum ignari ad statiua, quemadmodum inter eos conuenerat, reuerterentur. Nec eum spes fefellit, post quatuor enim dies eo turmatim reuerti incipientes, vt quique primi venerant, excepit, & magna strage concidit, ita, vt viginti millia barbarorum tunc illis præliis cæsa, totidem equi capti memorentur. Præda omnis excussa, & ingens captiuorum numerus liberatus: quin & antea sæpius præliis ille cum gloria interfuit & barbaros prosperrime cecidit; sed hac potissimum victoria elatus, secundaque fortuna ad superbiam prolapsus, popularibus studiis inhiare Dominationi cœpit. Cuius rei insimulabatur ille apud Sigismundum Regem a Ioanne Zabrezinio Palatino Trocensi, cum quo semper familia-

miliarisſime vixerat. Fraterna ſiquidem charitate inter ſeſe coniuncti, pari ſpe, parique induſtria militarunt, donec ambitione & ſuperbia concitati ex amicis hoſtes facti ad extremum vsque Spiritum. Atque hic eſt effectus ambitionis, quæ nos ab orbita rationis abducit, & transuerſos ſemper agit, eoque nos impellit, vt de morte eorum cogitemus, pro quibus & ante quos mori votum habueramus. Itaque affectus ab eo calumnia Glinſcius, coram Sigismundo Rege obiectum crimen diluere tentauit: nec recuſabat, ſi ambitus conuictus fuiſſet, capitis ſupplicium ſubire. Cæterum Sigismundus protrahere, Glinſcium ad intimum cubiculum non admittere, (quo, rerum potiente Alexandro, liber ei ſemper acceſſus patebat) tanto magis Zabrezinio eum criminante, cum aliis Lituaniæ proceribus, qui potentiam eius ferre non poterant. Inſita etenim mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumque fortunæ a nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. Igitur tanto magis vir elatæ mentis excruciari, & ad Vladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem ire contendit, eo conſilio, vt datis ad Regem fratrem, nec non ad Regni Poloniæ proceres literis, eorum interceſſione, ſuſpicione affectati Dominatus, qua videbatur inique prægrauari, eximeretur. Sed ne ſic quidem liber euaſit: multique ſemper boni viri talibus delationibus prægrauantur, quia non audiuntur excuſationes ipſorum, & nimium delatoribus aſſentiuntur Principes, re non explorata. Reuerſus itaque in Lituaniam poſteaquam affectati Principatus crimen diluere non poſſet, & Regem ſibi iratum eſſe adnimaduertiſſet. Moſcum cum exercitu in Lituaniam aduocauit: Zabrecinium Groduæ ſecurum, nilque mali metuentem nocte intempeſta, cum ſeptingentis equitibus ſuperueniens, crudeliter obtruncauit; munitiones quasdam Reip. occupauit, & fratrem Baſilium, proceresque non nullos in partes ſuas pertraxit: atque ſic magnum bellum contra Regem & patriam excitauit: ipſeque cum Baſilio fratre, ac omnique cognatione ſua rebus omnibus apud Lituanos exutus in Moſcouia exulauit: Quum plerumque nihil altius in magnatum pectora deſcendat, quam offenſarum memoria, cupiditasque vindictæ, licet odium & iras ad tempus concoquant ac diſſimulent. Et iam certe Sigismundo Regi reconciliatus fuerat, cum interim nonnulli ex proceribus Lituaniæ, admonuiſſent Moſcum, qui Glinſcii reditum in patriam & gratiam regiam inuidebant. Quare Moſcus compedibus conſtrictum, arctiſſime cuſtodiendum curauit, nec dimiſit, quamuis cum filia fratris eius Baſilii nuptias celebraret tum temporis; Et ſic interiit pedore carceris, vir meliore fortuna dignus, ſi patriæ libertatis aſſertor, quam inuaſor eſſe maluiſſet, aut certe ad tempus patiens fieri voluiſſet. Qui quamuis perduellionis crimine ſit notatus, epitaphium tamen quod

inscribi possit, iustum debitumque tantæ eius virtuti minime denegandum censuimus.

Amice qui isthac transis, etsi properas, Lapis hic te rogat, vt paulisper inhæreas, & hæc Scripta legas. Hoc in Tumulo iacet Michael, Dux Glinscius, Supremus, Magni Ducatus Lituaniæ, Marsalcus: Clarissimis ortus haud dubie Natalibus, longaque Opulentia clarus. Qui omni Polita Doctrina excultus, & ex longa Peregrinatione, vsu Rerum, canaque Prudentia, atque Linguarum multarum cognitione instructus, Principem Locum Gratiæ, apud Alexandrum Regem obtinebat; Maxime insigni illa Victoria, de Tartaris ad Closcum, reportata: Cæterum insolentis Fortunæ Ludibrio præcipitatus, & ab inuidis, perduellionis apud Sigismundum Regem accusatus, quum impatiens æmuli, & animo commotior esset, ad Moscum cum tota sua cognatione transfugit, & aduersus Patriam suam nefaria Arma sumens Magnum Bellum conscitauit; Persequenteque eum Nemesi Diuinæ, Tyranni illius iussu, Vitam in Carcere indignabundus expirauit. Dignus, si Fortuna Virtuti fauisset, Melioribus Fatis.

LXX. JOANNES SVIERSCZOVIUS.

QUi respublice priuatimque gestas bona fide posteris prodiderunt, etiam Ioannem Suiersczouium cathalogo fortissimorum virorum adscripserunt, qui equestri familia natus, vastante regiones proximas Moscouitico tyranno, Alexandri Regis temporibus, sub Ioanne Chodkienuiscio stipendia prima in Lituania fecit. Meruit & sub Stanislao Kiszka in Liuonia, sed breui tempore. Verum cum ad Constantinum Ostrogium peruenisset, qui etiam infimi generis homines ad amplissimos honores prouehere solitus erat: factus ab eo Tribunus in maiore, omnium reputatione, versari cœpit. Et successu temporis multum addidit dignationis viro, alioquin omni laude cumulatissimo, de cuius admirandis dotibus, nihil tam splendide dici potest, vt ad meritorum sublimitatem assurgat, quod in castris & contubernio eius tam diu perseueraret. Igitur a Rege sapientissimo Sigismundo Primo copiis Polonicis præfectus, collega Duci suo fuit datus, cumque eo in illa insigni victoria Orsensi, rem fortiter gessit. Cumque Rege ipso deinde ad Smolenscum, & ad Polociam castris positis, prælia felicia cum Moscis habuit. Similiter ad Plesconiam, cum Duce eodem Ostrogio missus, ingentem prædam abduxit, cum captiuis multis. Vielicolucensem quoque & Toropecensem agrum Anno a Deo homine 1517. populatus est. Interfuit etiam pugnæ cum Tartaris ad Lopusnam, vbi Camenecius cum Constantino Ostrogio, viginti quinque millia profligauerant. Deinde ad bellum Prussicum, contra Crucigeros

ros Nicolao Firleio Duci exercituum Polonicorum Generali, (vti erat bellicæ rationis & multi consilii apprime gnarus) collega datus, Bronsbergam diuturna obsidione fatigauit, plurimis defensoribus in oppugnatione occisis, multaque alia digna memoratu illa expeditione fecit. Quapropter posteris ad exemplum, sepulchrum eius ornare voluimus cenotaphio.

Deo Trino & Vni. Ioannis Suierſczouii, Caſtellani Vislicienſis, & apud Sigismundum Primum, Regem Poloniæ Sapientiſſimum, Exercituum Polemarchi: Summorumque illa Ætate inter Sarmatas Bellatorum, Conſtantini Oſtrogii, & Nicolai Firlei, Collegæ: Animi Magnitudine, & Artibus Militiæ præſtantiſſimi: Cuius præclara in Rempubl. Bellis Tartaricis, Moſcouiticis atque Pruthenicis, Merita extant: Humana hic Oſſa quieſcunt. Lapidea hæc memoria illi poſita eſt. Anno.

LXXI. JOANNES SVIERSCZOVIUS ALTER.

FUit & alter Regnante Sigismundo Augusto, eiusdem familiæ, inter Cosachos Zaporozenses, Ioannes Suersczouius, ob peritiam rerum bellicarum Tribunus ab illis factus, atque illi Magnanimo Iuoniæ, Valachiæ Palatino (cuius res gestas, in vita Sigismundi primi, libro quarto, sufficienter descripsimus) subsidio contra Turcas, cum mille ducentis veteranis missus, florente tum & feruente, vt res nouæ solent Cosachorum militia. Itaque bello illo durante, cum alibi sæpius tum ad Tehiniam atque Brailouiam maxime Turcas cecidit, & in extremo illo conflictu, quando ab illis captus fuit, nullum non constantis Ducis, aut fortissimi militis officium dimisit. Sicque acerrime (Iuonia iam deditione faciente) cum barbaris illis decertauit, vt omnibus amissis, cum tredecim solummodo commilitonibus caperetur: idque armis a multitudine obrutus & pæne exanimis. Curatus nihilominus ex vulnere Constantinopoli, & lyntro postea ingenti eliberatus, cum ad suos incolumis rediisset, ad extremum vsque spiritum illam suam iniuriam vindicare non destitit, sæpiusque mare ingressus Thraciæ & Ponti littora peruastauit. Inque illa sua occupatione & vitam totam consumpsit, nullum aliud iustius bellum existimans, quam quod pro religione sumitur. Et ea denique vera æternaque gloria principum Christianorum existimari debet, quam res præclare in hostes fidei gestæ commendant. Suiersczouius vero tot casibus, totque præliis exercitatus, hoc in magno semper habuit, vt locorum nimirum situs & ingenium, per exploratores, aut per se cognosceret; quod non absque iniuria Onosander Strategicus in bono Imperatore requirit. Nam & priscos illos qui maxime disciplina militari valuerunt, loci semper ingenium attendis-

tendiſſe in confeſſo eſt. Et Iuonia ipſe, non aliam ob cauſam ad Czipo-rouicios, atque Brailouiam trophæis hoſtium potitus eſt, niſi quod ſitus locorum Suierſczouius primum probe inueſtigaſſet: qui vt cætera accuratus indagator, ita & hic totam ingenii aciem intendiſſe fertur: noctuque caſtra mouens, & vaſa colligens, ignes per ea loca in quibus caſtra Iuonia metatus erat, accendi iuſſit, datis inſuper tergiductoribus in mandatis, vt retro conuerſi in barbaros irruerent, quando illi ad locum caſtrorum progrederentur. Ipſe autem per circumiectos mentes a tergo hoſtem aggreſſus, initium pugnæ vnde minime ſperabant fecit, atque ſic victoriam de Muſulmanis peperit. Ergo viro de re Chriſtiana optime merito, cum aliter parentare non poſſumus, ſaltim hac breui epigraphe memoriam ad poſteros transmittamus.

Scopus Vitæ Chriſtus. Ioannes Suierſczouius, Cazachorum Zaporozenſium Tribunus primum, Deinde Generalis Præfectus: Rerum Bellicarum, Terra Marique peritiſſimus; Equeſtri Familia in Maſouia natus: Subitus Conſiliis, ſed euentu clarus: Magnanimique illius Iuoniæ Daciæ Reguli, Victoriarum de Barbaris Pars Maxima: Variis & ipſe ærumnis exercitatus: Totam Ætatem Vitæ, in Bellis contra Hoſtes Crucis conſumpſit. Cumque e Captiuitate Turcica rediens, Thraciæ Littora, Conſtantinopolim vsque Liburnicis Præteruectus, peruaſtaſſet: Maxime acer & pugnax a ſuis Coſachis, vigilantiaque. Item & integra Fide, præclarus Dux, exiſtimatus eſt.

LXXII. STANISLAUS KISZKA.

MUltis in familia ſenatoriis imaginibus præclarus Stanislaus Kiſzka, a principio ſtatim ætatis, & re & æſtimatione magna fuit. Amplis enim innutritus opibus, honores in patria, & adeptus eſt facile, & egregie adminiſtrauit, & in bellis ob rem ſæpius proſpere geſtam, ingentem gloriam eſt conſecutus. Cum etenim aduerſus Ioannem Magnum Moſcouiæ Ducem, Conſtantinus ille Oſtrogius, in campis Viedruſſys, ſiniſtre & infeliciter pugnam pugnaſſet, Stanislaus Campeſtris Ducis titulo collega illa datus, in ea exercitus perturbatione, præſtantis & ſtrenui Ducis, acerrimique bellatoris officio, nullo in loco defuerat, nihil enim magis generoſas mentes erigit, quam malorum impendentium metus, & ſimilis alienæ miſeriæ perferenda calamitas. Cumque iam Conſtantinus a multitudine circumdatus & equo excuſſus eſſet, non prius prœlium omiſit, quam cunctis occiſis circa ſe, etiam Conſtantinum in poteſtatem hoſtium deueniſſe cognouiſſet. Deſperata itaque victoria, non minore periculo, quam & Conſtantinus poſitus, inſequentium Moſcorum manus effugit.

Contra

Contra quos denuò a Sigismundo Primo missus cum copiis ad Vesmam, quæ arx munitissima ad flumen eiusdem nominis posita medio ferme spacio est, inter Smolenscum & Moscouiam metropolim arcta eam obsidione fatigauit, quæque circa eam arcem erant, ferro flammaque depopulatus est. Quique a Mosco summissi fuerant, ad prohibendos populationes, aliquot particularibus conflictibus vicit: nec ancipiti ipse vnquam fortuna, præterquam semel vti dixi, in campis Viedrusiis Constantino iunctus, dimicauit. Cuius, ob egregia in Rempubl. merita, hoc breui epitaphio sepulchrum ornemus.

Stanislaus Kiszka, Equitum Magni Ducatus Lituaniæ Magister: Vir Gentis Nobilitate, & Militari Gloria clarus; sed & Probitate & publicæ Quietis Studio clarior, hac quiescit Humo. Hic cum alibi toties, tum ad Vesmam Potissimum profligatis Moscouitis, insignia Patrum, & Decora Magistratuum, inter Sarmatas suos Honorificentissime gessit: Demum pertinaci industria, singularique Labore, & incredibili Vigilantia, Aditum sibi, ad Militaris Imperii Nomen patefecit. Quem cum in ipso Gloriæ cursu, Mors improba eripuisset, superstites pietatis ergo posuerunt. Anno.

LXXIII. IOANNES BORATINIUS.

INter Chiliarchas Sigismundi Primi Regis, Poloniæ, haud postremum sibi locum vendicat Ioannes Boratinius quoque, acer & animosus eques; qui cum alibi plurima virtutum suarum specimina edidit, tum ad Poloscum pulcherrimum fortitudinis suæ exemplum, reliquit quum duobus millibus Polonorum, septem millium Moscouitarum exercitum ad internecionem pæne deleuisset, reportatisque opimis spoliis, miraculose victor de hostibus extitisset. Quum etenim Duina fluuius vado transiri non posset, adolescens quidam candidus totus, Boratinio vadum diligentius scrutanti, apparuit exclamans hac, hac me, inquit sequimini. Quibus dictis in flumen insiluit, & ad ripam vlteriorem progressus disparuit, quem Boratinius cum cataphractis secutus fluuium superauit: & aggressus hostes stragem ingentem in eis edidit, & castris potitus est. Adolescens vero ille, Beatus Cazimirus, Sigismundi Regis frater creditus est fuisse. Boratiniusque a Sigismundo, vti is natura Rex erat omnis veræ virtutis liberalissimus æstimator, præfecturis honestatus fuit. Sed addamus etiam breue sepulchro epitaphium.

Hic iacet felix ille, Polonicarum Cohortium Tribunus & Vindex, Ioannes Boratinius, Præfectus Rohatinensis. Vir Patriæ amantissimus, cuius integritatem Heros Fortissimus, vel proprio Sanguine conseruare non dubitauit, parua Manu

ua Manu suorum, Iustum Moscouitarum Exercitum, ad Poloscum aggressus. Facinusque perfecit, cui Merito, Seculorum omnium, Grata Posteritas, Anniversaria celebritate, Diuum Cazimirum Honorans, Gratuletur. Abiit e viuis in bona Senectute, ad Viuos, qui in Domino mortui, Sanctitatis præmia sunt. Consecuti. Anno.

LXXIV. NICOLAUS FIRLEI.

PErpetua Iagellonidarum gloria, per ducentos & amplius annos, licet propria & innata illorum ipsorum virtute floruerit, contulere attamen ad eam & administri regni, prudenter ab illis rerum tractationi admoti, quamplurimum momenti: quos inter fuit & Nicolaus Firlei, summis honoribus apud Sigismundum Primum fructus, & in his cum summa laude ac virtutis opinione versatus. Qui iuuenis in Podoliam primum a parentibus missus fuit, vt suesceret militiæ; studiaque exercitus, sub magno illo viro Andrea Odrouensio pararet. Etenim cæteræ artes vsu, lectioneque tantum percipiuntur, hæc sola rerum experimentis: corpusque inde fit validum, laborum tolerans, æstus iuxta ac frigoris patiens: atque hunc, quod maximum est, studia militum parantur; denique non animus parentum indulgentia deprauatur, deliciis non hebetatur, vrbanoque demum luxu non lasciuit. Quod in Firleio Rex Cazimirus Iagellonides vno obrutu pernoscens, vt primum cum in aula sua vidit, ad Baiaretem secundum Turcarum Imp. Oratorem eum suum statim fecit. Vnde rebus ex voto confectis reuersus, sub Alberto & Alexandro Regibus Poloniæ, Tribuni titulo ordines duxit, & Senatoriam dignitatem adeptus, Lublinensis Palatinus vocitari promeruit. Tum a Sigismundo Primo, contra Basilium Magnum Ducem Moscouiæ, & rebellem Glinscium cum exercitu missus Polemarchi titulum tulit. Et hostes ad Borysthenem hærentes, regiosque transitu impedire conantes, cum aliquot peditum turmis, cum vadis diuersis fluuium superasset, magno animo adorsus, ita loco pepulit, vt postea nusquam, iusto prælio congredi cum illo auderent; licet sexaginta bellatorum millia incastris haberent. Diffugerant etenim Starodubum vsque: & ille agro hostili deprædato, cum ingentibus spoliis ad regem rediit. Et statim in Prussiam, Palatini Sendomiriensis honore auctior contra Crucigeros iuit, illud App. Claudii sæpissime vsurpans. Aut bellum suscipere non oportet, aut gerere pro dignitate & perficere quamprimum oportet. Igitur terris eorum deuastatis, continuo victoriæ cursu decem arces vallo ac fossis munitissimas cæpit: reliquas longa obsidione atque oppugnatione perdomuit: & bellum totum triennio confecit. Licet

cet loca fuerint pleraque situ & opere, validisque præsidiis munitissima, quæ diuturnam obsidionem tolerare, & victoris exercitus cursum remorari facile poterant. Quapropter ab omnibus plurimi æstimatus & a Rege sapientissimo Castellani Cracouiensis titulo ornatus, ætate prouecta e vita sublatus est. Cuius sepulchrum hoc breui epitaphio cohonestemus.

Iacet sub hoc Marmore, Summus Polonæ Militiæ Magister, Nicolaus Firlei, Castellanus Cracouiensis, per omnes Militiæ Gradus ob Virtutem euectus. Dignus Planctu, Lachrymisque Illustrium Successorum. Cuius Heroicam Fortitudinem, Extimuit ad Starodubum immanis Moscus: Persensit Ferox in Prussia Theutho: Admiratus in Iuuene adhuc Baiazetes II. Turcarum Tyrannus. Cuius eximia Bonitas, Liberalitas Summa, Christianæ Pietatis cultus, Laudataque olim, & Militari Fama celebrata Seueritas eius, etiamnum a Viris prisci moris, memorantur. O Rerum Humanarum inconstans exitus. Obiit Anno qui nusquam mori debebat.

LXXV. JACOBUS SECIGNEVIUS.

DIu militauit Iacobus Secigneuius, sub Constantino Ostrogio, atque Nicolao Camenecio, Ducibus omnium seculorum memoria dignissimus: Et legionis vnius factus in Podolia Præfectus, ingruentibus inopinato Tartaris ad Zincouiam obuiam profectus, adeo fortiter & alacriter se gessit, vt inusitata virtute deletis hostibus insigni victoria potiretur. Tandem cum Nicolao Firleio contra Crucigeros Prussienses profectus, Germanos prouinciam illam sibi vendicantes, apud Prusmarcum, Seburgum, Guteſtadiam, Bronsbergam, Reslam & Rastemburgum, prælio felici fudit & fugauit. Verum ad Heilsbergam maximum fortitudinis suæ specimen declarauit; vbi cum Magister Ordinis Theutonici, murum tormentis strauisset, & oppugnare nostros acerrime iam incœpisset, Secigneuius cum mille equitibus a tergo superueniens, per medias hostium turmas transgressus, & multos ex eis occidit, & aditum Magistro prohibente, Summa vi cum suis in oppidum irrupit. Missoque caduceatore ad illum, rogauit quo fine longiori mora oppugnationem instituere vellet, quem stans pro muri ruina cum suis equitibus expectabat. Magister fortis viri offirmatum animum videns, soluit statim obsidionem, nil amplius tentans: Secigneuius vero abeuntem prosecutus, multos ex militibus eius occidit, multos cœpit. Iterumque venientem Magistrum cum maioribus copiis fortiter repulit: & locum fidei suæ commissum magna virtute atque constantia, vt ante, tutatus est. Interfuit & illi prælio cum Tartaris ad Lopusnam, vbi viginti quinque millia barbarorum a Camenecio & Constan-

tino Ostrogio fuerunt prostrata. Tum & cum Stanislao Lesniouoscio, in illo conflictu cum Moschis ad Neuelam regnante Sigismundo Augusto, vbi mille quingentis equitibus, quadraginta Moscorum millia, miraculose fuerunt profligata. Ergo viri tam optime de patria meriti pios manes, hoc Cenotaphio erecto, ad memoriam posterorum, veneremur.

Iacobus Secigneuius, Præfectus Buscensis, sub tribus Memoratiss. Sarmatarum Ducibus: Constantino Ostrogio, Nicolao Cameniecio, & Nicolao Firleo: Bellis, Tartaricis, Germanicis, & Moscouiticis, vnius haud in Legionis Præfectus: Vir Patriæ amans, & Ciuis dignus Memoria Gratæ Posteritatis: videns Mortales omnes, hunc suis, Posterorumque suorum Ossibus, quietis Locum in Vita parauit.

LXXVI. ALEXANDER ILOVIUS.

IS e Nicolai Firlei schola, per omnes militiæ gradus nauiter ascendens, clarissimus bello Dux euasit: cumque illo in Prussia stipendia faciens, Tribunus militum ob singularem virtutem creatus, Germanos ad Heilsbergam feliciter fudit. Et quadam vice cum Ducentis equitibus egressus, infesta omnia crebris excursionibus circa Marieburgum reddidit, carpentaque omnia & currus, quibus commeatus ad castra hostium vehebatur intercepit, cumque præda opima post dies aliquot ad suos rediit. Cum quibus excurrendo de nouo, ita agrum hostilem vniuersum peruastauit, vt castra Crucigerorum fame affligerentur: cum quibus & præliatus est aliquoties feliciter. Iterumque Heilsberga egressus, centum quinquaginta pagos exussit, & peditatu hostili profligato, copiosa onustus præda victor ad suos rediit. Et paulo post ad Gustadium prospere cum hoste conflixit, captis nobilioribus aliquot Ductoribus Crucigerorum, quos Regi Torunium ad Comitia miserat: multisque aliis fortibus factis, pugnacissimi Ducis laudem consecutus fuerat. Quem hoc breui epitaphio condecoremus.

Alexandro Ilouio, Morum suauitate, animi Candore, Militiæque Artibus claro: ac ob id Equitum in Bello Prussico Tribuno. Qui cum sæpius de Hoste, cum Nominis Sarmatici Gloria, Insignia Trophæa retulisset, interque Sigismundi Primi Regis Poloniæ, reliquos Duces, suis meritis conspicuus esset; Grata Posteritas, Pie, Religioseque Supremo, Die Functo, Hanc ei Laudum struem, Memoriæ Causa, posuit.

LXXVII. PRÆDISLAUS LANCKORONIUS.

MAgna equidem rerum geſtarum laude & gloria, & diſciplina Conſtantini Oſtrogii, Prædislaus Lanckoronius inter Ruſſiæ accolas floruit: ſed non poſtremam certe ad eam aſſequendam, rerum bellicarum peritiam, partim ex literis, partim ex diuturna peregrinatione attulit. Siquidem luſtrata vniuerſa Europa, etiam Hieroſolyma & barbarorum diuerſa regna adiit, vbi multa ad rem militarem ſpectantia perdidicit: & in patriam reuerſus ad ſuum vſum conuertit, inque re militari, integræ phalangi præfectus, & commutauit multa & inſtituit: atque etiam ad antiquum morem nonnulla reuocauit, & diſciplinam ſeuere rexit. Inprimis autem cum Oſtaphæo illo Roxolano, Coſachorum Zaporoſenſium authore, cum mille Ducentis equitibus ad Oczacouiam excurrit, & Tartaris cæſis & victis, triginta pecudum millia & quingentos equos inde abegit. Deinde Turcas ad Bialogrodum, quod & Moncaſtrum vocant, proſpere prælio profligauit. Itemque Germanos Pruſſiam inuadentes, multis in locis, cum Ioanne Zaremba, & Andrea Tencinio, cruenta clade affecit, captiuis ad Regem Sigismundum Primum Toruninm miſſis: Et bello cum Crucigeris finito, in Podolia ſemper contra barbaros excubias geſſit, priſci decorique moris exiſtimans, clare ſtirpis virum, non aliter apud poſteros, quam militia, noteſcere. Cui ob egregias virtutes, nomine fratris hoc Cenotaphium erigamus: certe enim vtrique ingentes animi corporisque dotes affuere, ſtatura procera, robur & agilitas par, diſciplinæ militaris & gloriæ appetens, periculorumque contemptor animus, non tamen vt ad ea ſubeunda prudentia deeſſet: multarum præterea rerum peritia, liberalitas egregia, felicitas ſumma, & quod in Duce haud aſpernas, militum eximius fauor, quos illi magna poſt prælia ſaucios, largitione & cura ſuſtentabat.

Prædislao Lanckoronio, Præfecto Chmielnicenſi, Bonarum Literarum Scientia, & Exoticarum Linguarum, e diuturna & longinqua peregrinatione, peritia inſigni: Tum ex profligatis proſpere ad Oczacouiam Tartaris, ad Bielagrodum Turcis, atque ad Medireciam Germanis: Bellica Virtute præclaro. Stanislaus Lanckoronius, Frater mœſtiſſimus, quod nollet, id volens præſtitit. Vixit.

LXXVIII. STANISLAUS LANCKORONIUS.

SEquitur fratrem Prædislaum, qui tum multis militiæ partis honoribus erat clariſſimus, Stanislaus Lanckoronius itidem literis, ac linguarum multarum cognitione inſtructus. Qui paulo poſtquam ex ephebis exceſſe-

excesserat, gloriosum illum Martis puluerem, in castris Nicolai Cameniecii primum attigit: Deinde cum Ioanne Tuorouio in Valachiam a Sigismundo Primo, subsidio Bogdano Palatino contra Turcas missus, ex rerum gestarum laude, honores in patria, & gratiam apud Regem promeruit. Et equitum alæ præfectus, interfuit illi prælio cum Tartaris ad Lopusnam; propriisque auspiciis palantes barbaros ad Buscum profligauit. Cumque Martino Cameniecio item, atque Ioanne Tuorouio, anno a partu Virginis, supra millesimum & quingentesimum, decimo sexto, ad Trebouliam atque Podhaieciam Scythas profligauit; multis captiuis liberatis. Quumque anno eodem sub ipsam iam brumam cladem suorum vlturi, de nouo excursione facta, quadripartito exercitu, Chmielnicensem. Miedzibozensem, Zinçouiensemque tractum deprædarentur, conuocata Podoliæ nobilitate, fortiter aggressus, maximis cladibus affectos, præda omni exuit, & captiuos ad Regem Vilnam misit. Continueque pro patria excubans, Camenecensi districtui, multos per annos præfuit, non minore iustitia, quam fortitudine: nam & Dacorum latrocinantium incursiones, tribus eorum Ducibus, supplicio affectis, coercuit. Cui itidem vt & fratri bene de Repub. merito, virtutis ergo epitaphium subscribamus:

Stanislaus Lanscoronius, Præfectus Camenecensis: Roxolanæ Nobilitatis præcipuum Decus Parta sæpius de Tartaris Victoria, Reque in Valachia prospere gesta, sed præcipue Barbaris apud Buscum profligatis, Regi Sigismundo Primo, & omnibus Charus: Vbi Fatalem Horam adesse sensit, de More Christianis Sacris expiatis, Fraterno se Tumulo inferre iussit; vt ita Mortis simul Soporem dormiant, sicut Vitæ concorditer excubias vigilarunt.

LXXIX. OSTAPHÆUS DASCOVICIUS.

Liber hic clarissimis in Republ. viris, summoque loco natis, adnumerare Ostaphæum Roxolanum, Cosachorum Zaporosensium authorem; tametsi ignobilem genere & loco obscuro natum, ast militiæ artibus, militariumque virorum secta ab illo instituta in hodiernum florente, & non in Sarmatia nostra tantum, sed in Europa fere tota, atque etiam Asia celebrem. Virtus enim eiusmodi est, quæ ipsis statim rebus gestis ita afficiat homines, vt non modo admirentur opera, verum in auctorem quoque summo studio incendantur. Enimuero enim turpe est, (vt bene notauit Orator Græcus) maiorum factis gloriari, & tamen virtutem illorum non imitari. Nam sicut animantia omnia ex moribus ipsorum & actionibus exquirimus, vtrum generosa sunt, an inertia: ita & hominum nobilitatem, non ex maiorum laude, sed ex suis ipsorum actionibus

bus & rebus gestis, æstimare oportet. Vnde melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Ostaphæus igitur Ouruciæ, Constantini Ostrogii oppido in Lituania natus, ex humili militiæ loco, per omnes honorum gradus, ad eximiam bellicæ virtutis opinionem ascendit, domini sui castra assidue secutus. Cum conuocatis e plebe aliquot millibus, bello aptiores in certas turmas disposuisset, prædaque e Moscouia asportata ad obsequium sibi præparasset; cœpit propriis etiam auspiciis Bessarabiam Tauricamque chersoneum inuadere, atque cum Tartaris, viribus indies auctior, iusta acie decertare. Dumque Borysthenem quadam vice transgressus, multa pecorum & equorum millia abegisset, ausumque barbarum collatis signis acie congredi, toto pene eius exercito cæso, victoriam obtinuisset, a Constantino Duce, Regi Sigismundo recommendatus, & militibus se sequi quo vellet, disciplinamque suam obseruare, licentiam in Senatu impetrauit; & ipse præfectura Circassiensi a Rege, posthabitis permultis nobilibus, fuit donatus. Sentiebat enim sapientissimus Rex, pluris faciendos qui virtute ac dotibus animi pollerent, quam qui maiorum gloriam & nobilitatem turpi vita labefactarent. Igitur sectam militarem Ostaphæus instituit, quos omnes Cosachos; id est leuiter armatos, & minime mortem extimescentes vocitari iussit, qui vt plurimum omnes plebeii sunt homines, e pagis, oppidis, ac villis nobilitatis Roxolanæ collecti, vnum semper Ducem habentes de medio sui; quem sequentes cum hostibus Regni Poloniæ iussu Regio, vel prædæ auiditate pugnant; suntque in numero per æstatem grandi, interdum ad quadraginta millia, veterum Romanorum disciplinam seruantes. Hyberno autem tempore quisque domum suam ad parentes aut amicos redit. Sed de his sufficientissime in Equite Polono, ad Vrbanum III. Pont. Max. perscripsimus. Nunc ad Ostaphæum reuertamur, is apprime imperatoriam artem callens, permultos ac mirabiles in ipso pugnæ momento, pugnandi repugnandique artes reperit, & cum Moschis sæpius, tum Tartaris semper quoad vixit terrori fuit. Milites vero suos tractabat pari seueritate atque indulgentia: Nam delicta neque obseruabat omnia neque pro modo exequebatur: sed desertorum ac seditiosorum tantum, & inquisitor & punitor acerrimus fuit: conniuebat in cæteris. Verum quia nihil stabile nihilque immutabile in mundo est, post tot obtentas de barbaris victorias, & in senectam iam vergens, cum maxime rerum bellicarum peritus esse putaretur, ad ripam Borysthenis cum Tartaris aduerso prælio decertans, captus ab illis fuit, & anno integro in seruitute mansit. Donec Tauricano contra Zauolgenses cum toto suo exercitu egresso, & ad mare Caspium profligato atque occiso, nactus occasionem effugiendi,

(iam nemine viuere eum ſperante) ad ſuos Circaſſiam reuerteretur. A quibus cum gaudio exceptus, ſubito in Tauricam mouit, & multis millibus barbarorum occiſis, ignominiam acceptam, inſigni victoria reſarciuit: & nec multo poſt tandem & ipſe fato conceſſit, climacterico ætatis anno. Vir omni ſæculorum memoria digniſſimus, & Caſtrenſis diſciplinæ exactor grauiſſimus, cui iam pares non ſunt Coſachi. Sed & in noſtris militibus, neglectam iam videmus eſſe virtutem, quamuis ſint equeſtri & nobili loco nati plerumque omnes: & pudori, certe probitati, virtuti, rectis ſtudiis, bonis artibus, ſemper in caſtris locus eſt difficilis, iuxta illud poëtæ. Nulla virtus pietasque viris qui caſtra ſequuntur. Sed nos ad Oſtaphæum reuertamur, quem pro meritis & virtute, hoc breui epitaphio cohoneſtemus.

Tendimus huc omnes. Viator. Et Oſtaphæus Daſcouicius, Coſachorum Zaporoſenſium Author. Hic iam concluſus eſt. Elatus quieſcenti, Quam Mortuo ſimilior: Canentibus Næniam, Ruſſorum Liberis vtriusque Sexus. Hunc, Sigismundus Primus, Rex Poloniæ ignobilem Loco: Bonum Militia, & Rebus contra Tartaros atque Moſchos proſpere geſtis Clarum Honoribus extulit, & Præfectura Circaſſienſi auxit. Vbi, defuncto, Exercitus Honorarium ei Tumulum excitauit, & Mortem nemo Bonus non doluit.

LXXX. IOANNES TUOROVIUS.

HIc ſub Conſtantino Oſtrogio rudimenta militiæ feliciſſime auſpicatus, formam & fortitudinem egregiam, ingenium præcellens, beneuolentiam ſingularem, conciliandæque hominum grætiæ, ac promerendi amoris, mirum & efficax ſtudium a natura habuit. Ac propterea cunctis gratus, etiam Ducum ipſorum promeruerat amorem: præcipue Nicolai Cameniecii, Palatini Cracouienſis, & exercituum Generalis, cum in Valachiam contra Bogdanum Palatinum iret. Legionis ſiquidem ab illo legatus factus, in primo congreſſu Turcica phalange vnico impetu fugata, & ſuæ fortitudinis egregium ſpecimen cunctis exhibuit, & toti exercitui ad victoriam conſequendam, animum fecit. Iterumque eidem Bogdano cum Tartari Valachiam inuaſiſſent, cum Stanislao Lanckoronio ſubſidio miſſus, hoſtem frequenter cæſum in deſerta pepulit, & re proſpere geſta, cum ſignis & captiuis ad regem rediit. In Podolia vero excubias agens, Tartaros ad Treboulam maxima vi irruentes, cum quadraginta modo equitibus fortiſſime repulit, diem integrum cum eis præliatus, quorum duo millia fuerunt, tandem acceptis a Buczacio ſeptingentis equitibus ad medriboziam vsque perſecutus eos, magna clade affecit.

Atque

Atque denuo ad Treboulam Anno virginei partus 1516. & ad Podhaieciam maſcule adortus, octingentos ibi, hic quingentos, occidit. Multisque aliis in locis ſub Ioanne Taruonio militans, egregiam patriæ operam præſtitit. Cuius immortali memoriæ optimo iure, hoc breue epitaphium datur.

Ioanni Tuorouio, Belli, Pacisque Artibus inſigni, & cæſis multoties in Podolia, & Valachia Barbaris, Regi Sigismundo Primo, & omnibus in Patria charo: Quem non ſine magno Dolore Suorum, quibus præclaram Spem Nominis ſui excitauerat, Mors immatura ſuſtulit: Hoc Marmore memoriæ cauſa poſitum eſt.

LXXXI. IOANNES CAMENIECIUS.

Recte ſane Auguſtus Imp. proximum a diis immortalibus honorem memoriæ ducum præſtitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidiſſent; cum nulla certe maior virtus ſit patriæ charitate, quam conſeruare integram aut auctiorem hoſtibus debellatis reddere, non niſi magni animi eſt, & qui occumbere in acie ſit paratus. Tales in Polonia noſtra, cum plures alios, tum Cameniecios quoque, ætas ſuperior habuit, quorum etſi iam familia tota deceſſerit complura nihilominus paſſim rerum geſtarum monimenta extant: magnum iudicium ſplendoris familiæ & vetuſtatis. Inter hos autem Ioannes Præfectus Camenecenſis, vir facundus & pacis belliqque artibus clarus, & qui maxime familiam illuſtrauit Tartaris ad Voronouiam regnante Alexandro Iagellonide deuictis apud quem & conſiliorum omnium, ſecretorumque particeps fuit. Et Sigismundo Primo rerum potiente, cum fratre Nicolao, integrum militem, & crebris ac proſperis laboribus exercitum contra Bogdanum in Valachiam duxit: veteranumque pariter ac tironem opere aſſiduo corroborauit. Exercitatione enim firmantur omnia in corpore membra, ſicut omnia diſſoluuntur ocio: nec ocioſi poſſunt eſſe fortes milites, non tantum quod corpora ferre & durare non poſſunt, ſed etiam quod animi effœminantur. Ac propterea imbellem nunc militem Sarmatæ habemus, quia de rigore illo antiquo remiſimus, & priſca illa ſeueritas tota ferme deperiit. Sed nunc virum de patria meritum epitaphio cohoneſtemus, qui publicam vtilitatem, liberorum affectibus, imo ſuæ, ſuorumque incolumitati præferre non dubitauit.

Ioannes Cameniecius, Caſtellanus Leopolienſis Clariſſimis ortus, haud dubie Natalibus. Profligatis ad Voronouiam Tartaris, Podoliæ Prouinciam adminiſtrauit per X. Annos moderatione atque abſtinentia ſingulari. Et exin Regibus Poloniæ Alexandro & Sigismundo I. cariſſimus. Vnde quinquageſimo

Ætatis

Ætatis Anno moritur Febre confectus. Vir æqui obseruantissimus & veræ pietatis Cultor.

LXXXII. MARTINUS CAMENIECIUS.

TOt per annos in castris cum fratre Nicolao Duce exercitus Generali Martinus Cameniecius versatus, militum atque hostium abunde gnarus proprio quoque ausu, cum Valachis ad Chotimiam pugnauit gerendæ rei a fratre præfectus, ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur, vti regnante Alberto Iagellonide peccatum fuerat; licet ibi maioris infamiæ, quam detrimenti cladem accepimus. Proinde Martinus expeditioni illi intentus, quo firmior aduersus fortuita esset, quantum sine bello temporis dabatur, non desistebat reuocare priscum morem, exercere legiones, cura, prouisu agere perinde ac si hostis ingrueret. Reque prospere gesta, multum a Sigismundo Primo Rege sapientissimo æstimatus fuit, & albo Senatorio adscriptus, amplissimos in patria honores percucurrit. Tandemque ipse non multo post fatis, naturæque concessit. Quem hoc breui epitaphio honoremus.

Martinus Cameniecius, Podoliæ Palatinus: Vir & cordatus, & grauis, & dicendi Libertate insignis: Sciens nullum iustius Bellum esse, Quam quod pro Religione Christiana, & Patriæ defensione sumitur: Toto Vitæ suo decursu, contra Barbaros, Nominis Christiani, & Seminis Poloni, suis Sumptibus militauit: Obtentaque insigni de Turcis atque Valachis ad Chotimiam Victoria, Anno M.D.III. ad Superos Lætissimus abiit.

LXXXIII. NICOLAUS CAMENIECIUS.

MAgnæ apud Regem Sigismundum Primum, dignationis & gratiæ Nicolaus Cameniecius fuit, vir natura genitus, & industria factus ad humanitatem, & ad deuinciendas popularium voluntates maxime idoneus: summa in homine morum comitas & commoditas, cuius indicia vultus ipse exhibebat, præ se ferens mixtam cum grauitate miram ingenii festiuitatem. Is itaque ob virtutem militarem & rerum peritiam, exercituum Imperator declaratus appetentior famæ visus est, in exercendo milite prisca seueritate, cum tamen natura, mitis ingenio & comptæ facundiæ esset. Cæterum laboris vltra fidem patiens: & tum plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto semper Ducis honore. Cumque Bogdanus Valachiæ Palatinus, Turcarum ac Tartarorum auxiliis fretus, contra ius gentium rupto fœdere, Russiam Podoliamque inua-

ſiſſet & Cameneciam, Haliciam, Leopolim, aliasque munitiones fruſtro oppugnaſſet. Nicolaus cum exercitu Cracouia mouens, cum hoſtem aduentus ſui fama territum non reperiſſet, facto delectu militari in Valachiam viceuerſa prædabundus deſcendit, & occurrentes ſibi cum paratiſſimis copiis hoſtes, ingentibus cladibus affecit. Cumque re bene geſta, cum præda onuſtus demum iam rediret & Tyram fluuium ſuperaret. Valachi vt ſunt natura fraudulenti: & ad faciendas inſidias apti, & e proximis ſiluis magno clamore prorumpentes, poſtremum agmen, cum impetu ingenti ſunt aggreſſi. Pugnatumque fuit diu ſatis dubio marte: vbi Nicolaus ipſe inclinatam aciem ſolus ſæpe reſtituit, obſiſtens fugientibus, retinensque ſingulos, donec cæteri in ſubſidium flumine tranato venirent. Tandem victoria Polonis cesſit, cataphractis equitibus præualentibus, inque fuga Valachi plurimi cæſi: & capti ex primoribus non pauci, inter quos fuere, Matthias Logophetus, Cancellarius, & Kierſa Magnus Theſaurarius, Daciæ, induſtria & fortitudine ipſius Cameniecii intercepti. Quisquis enim alteri parare nouit pericula, idem quoque parata facile deteget effugietque. Qua arte vſus eſt, & contra Tartaros ad Lopusnam iunctis copiis cum Conſtantino Oſtrogio, vbi viginti quinque millia barbarorum, quatuor millibus noſtrorum fuere profligata. Tum ad Visnoueciam quoque, cum viginti quatuor millia, ſex millibus equitum noſtrorum cæſa fuerunt. Pari enim in Societate potentiæ concordes, diuerſa arte ex æquopollebant: iam autem quam ſit arduum eodem loci potentiam & concordiam eſſe, quis non videat: Proinde merito viro tam prudenti, tamque zeloſo de bono publico, æternæ memoriæ cauſa hoc Cenotaphium ſcribendo epitaphio erigamus.

Claudit hic Lapis, Viator. Vltimum Cameniecia Familia Sydus (Quæ haud dubie clariſſima fuit, tot Procerum Senatus ſerie) Nicolaum Palatinum Cracouienſem, atque Exercituum Poloniæ Ducem Supremum. Virum Militaribus curis, & Seueritate Morum in Sago: Præceptis Eloquentiæ, & Comitate honeſta in toga: Clariſſimum illaque inſigni de Tartaris ad Visniouedam, & de Valachis ad Tyram fluuium, Victoria, pene immortalem. Qui Anno M.D.XV. Non plane Senex, Bonorum omnium cum luctu, æſtuantiſſima Febre deceſſit.

LXXXIV. BERNARDUS PRÆTIFICIUS.

HAbuit ſane quamplurimos, regnante Sigismundo Primo, præſtantes viros Polonia, qui non tantum domi apud ſuos fuerunt in admiratione, ſed & terrori exteris; qualis & Bernardus Prætificius cenſetur fuiſſe, ob virtutem & merita multis poſſeſſionibus in Podolia, atque

præfectura Trebouliensi à Rege sapientissimo donatus, clarus militiæ Dux: Et quem tanta fuisse scribunt auctoritate, nedum apud suos, sed & Schythas apud, contra quos strenuè bella gerebat, vt eo iam mortuo, in fugam se pluries contulerint, conspecto eminus Polonorum exercitu, cui eum viuum etiam interesse existimabant; plagentesque domi pueros, matres silentii admonebant, Prætificium adesse dictitantes, qui occideret aut in captiuitatem abduceret, nisi tacuissent. Nemo siquidem eo celerius expedire arma, nemo intentius & vigilantius hostium motus obseruare, nemo violentius barbaros inuadere, nemo pertinacius victoriam captare dedicerat. Qui primo cum Nicolao Seniauio contra Tartaros & Valachos militauit: postea propriis auspiciis, signa in eos duxit, sæpiusque Oczakouiam populatus atque Belgradum, multa millia pecorum atque equorum in Podoliam abegit, præter aliam prædam & captiuos. Enituit autem in Bernardo oris & corporis eximia dignitas, eloquentia militari studio requisita excellens, mores probi & honesti, ita & bello & pace ab omnibus laudaretur, totaque Polonia & Germania celebratissimus esset. Quem & nos quoque pro merito hoc breui epitaphio celebremus.

Viator vide quam incertæ hominum sedes Silesia ortum dedit: Podolia extinctum fouet. Militiam exercui, Tartarosque Turcas atque Valachos cæcidi. Atque ob id Regi Sarmatarum Magno, Sigismundo Primo, charus fui. Et Honores gessi, celebris in ore omnium. Nunc paruo hoc contegor tumulo. Spretus ab omnibus! Hei mihi, non opes, non pietas, fatum placauere: nec mihi astus militaris quicquam profuit.

Si igitur pius es, Pratificii, dum hac transis, rogo, ne obliuiscere.

LXXXV. NICOLAUS SIENIAVIUS.

QUi de extincta virtute magnificentius loqui amant, etiam Seniauios, auorum memoria inter Russia Dynastas florentes, priscis Heroibus adnumerant: qui sic rem militarem in Podolia tum administrabant, vt eorum opera Russia illa afflicta, ac anniuersario hoste pene deleta, non requiesceret modo, sed nouis quoque coloniis solitudines suas compleret. Præcipue autem ex eis laudatur Nicolaus Palatinus Belzensis Militiæ Polonæ Præfectus Campestris, vir fortis & magnanimis: qui cum fratribus Alexandro & Procopio, apud Cameneciam, Trebouliam, Verestatincium pagum, Podhaeciam, Mediboziam, & multis aliis in locis Tartaros prospere deuicit. Cumque ad Oczacouiam semel cum mille equitibus, priuato consilio, nec dum in magistratu positus, populabundus excurrisset, circumuentus à barbaris, cum trecentos circiter ex suis fortiter

titer pugnando amisisset, pacem ab illis coactus petiit, & fœdere cum Duce illorum inito, rediit minitabundus festinationem temeritatemque deinceps maxime deuitans. Igitur cautior exinde, ignominiam illam pluribus victoribus abunde expiauit: & copiis Reipub. præfectus, disciplinam acerrime exegit, animaduersionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis. Et quanquam vir naturali iudicio pollens, & multo rerum vsu subactus esset, ad Seretum tamen cum moldauis minus prospere pugnauit, quod non bene cum Andrea Tencinio Rohatinensi præfecto conueniret. Vnde & febre ex mœrore animi consumptus est. Finis vitæ eius Roxolanis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Nos etiam tumulum eius hoc epitaphio cohonestemus.

Nicolao Sieniauio, Palatino Belzensi, militiæ Polonæ præfecto campestri, non minus sua virtute, quam splendore Maiorum claro. Qui Regis Sigismundi Primi temporibus, incolumi dignitate, florente fama, saluisque affinitatibus & amicitiis beatus, præclaros sæpius de hostibus fidei triumphos retulit, ac præcipue Tartaros Podoliam incursantes, pluribus in locis prosperrime cecidit. Tandem triumphatus ipse à morte corpus heic suum quiescere voluit: donec illud incorruptibile, & non amplius infirmum induerit.

LXXXVI. NICOLAUS SIENIAVIUS JUNIOR.

VIrtutis & dignitatis similitudine parem patri filium adscribamus, qui vel hostium confessione sæculi sui summus, ingenium illustre altioribus studiis iuuenis admodum dedit, quo firmior aduersus fortuita Remp. capesseret. Adultior autem cum fratre Hieronymo Castellano Camerecensi sub Stanislao Lesniouolscio turmas contra Moscos ductabat, doctores sapientiæ secutus, qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia, docerent. Interfuitque illi prœlio ad neuelam, vbi mille quingenti nostri, quadraginta Moscorum millia miraculose profligauerant. Idem Melecio Duci postea socius, cum Valachis rebellibus, qui semper magnitudine nostra proteguntur aduersus externa imperia prospero successu pugnauit; cum Bogdanum Palatinum ad capiendum principatum, iunctis copiis, deducerent. Podkouamque idem iussu Regis Stephani cœpit, quod is Valachiam cum Cosachis incursando, præter pacta Regni, & Regis scitum turbaret: tum Petrum quoque Palatinum principatu eiecit fratre eius natu minore Alexandro, in principato constituto. Denique cum Rege Stephano in Moscouia Russicarum copiarum

præfectus, rerum gestarum gloria, & magnitudine animi, cum patrem ipsum, tum cunctos, qui eo sæculo maxime in Russia florebant, proculdubio superauit. Quapropter eum pro meritis & virtute hac breui epigraphe celebremus.

Nicolai Sieniauii, Palatini Russiæ, præfectique Striensis, ac totius Pocuciæ Rectoris, Viri proh dolor! Et bellicis, & literaciis dotibus ornatissimi, ossa hic quiescunt pro tempore. Qui regnantibus in Polonia, Sigismundo Augusto, atque Stephano Bathoreo, prudentissimis Principibus: Meleciana disciplina (qui tum exercituum Poloniæ Imperator erat) diligentissimus obseruator, multis fortibus factis in Moldauia & Moscouia editis, constantis atque impigri Ducis famam est consecutus.

LXXXVII. GEORGIUS IAZLOVECIUS.

INter viros, quos non adeo crebros ætas illa protulit Iazlouecios quoque adnumeremus, quod militiæ dediti, spectata semper virtute arma tractarent. Summam autem familiæ dignitatem attulisse fertur Georgius Palatinus Russiæ, vir in re militari præstantissimus & armorum telorumque studiosissimus, qui auorum nostrorum memoria, sub Cameniecio exercituum Polonicorum Imperatore, militiæ disciplinam hausit, & per gentiles suos propagauit. Atque primum ipse Anno Virginei partus 1528. regnante in Polonia Sigismundo Primo, mille Tartaros ad Cameneciam cecidit: tum anno sequenti ad Oczalcouiam excursione facta, aliquot barbarorum turmas ad internecionem deleuit. Et ab Aslamsultano Duce eorum, sub fide militari Oczalcouiam inuitatus, amissis plurimis de equitibus suis, quos barbari violarunt, aliquanto detentus fuit. Indeque lyntro grandi eliberatus, iniuriam suam tota vita vlcisci, etiam regnante Sigismundo Augusto non cessabat; nihilque non de concilii sententia in posterum agebat, cum animaduerteret priorem cladem temeritate & negligentia sui Chiliarchæ accidisse. Interfuit quoque cum Io. Tarnouio contra Dacos bellum gerente, illi ad Guosdeciam atque ad Obertinum prælio (quo tempore Tarnouius totam Pocuciam recuperauerat,) integræ phalangi præfectus: & Megistanas Valachiæ, qui primi a nobis defecerant, clade ingenti affecit. Atque domum reuersus ita ipse inopinato concidit, vt triumphales lucernæ, rogi flammas spectauerint. Quem pro virtute & meritis hoc breui epitaphio condecoremus.

Georgius Iazlouecius, Palatinus Russiæ, haud vulgari vir specie, armorumque ac consiliorum prudentia eximius, dum febrim ex assiduis belli Moldauici laboribus contractam curare studet, remedium quærens in mortem incurrit. Anno. LXXXVIII.

LXXXVIII. NICOLAUS RADIVILLUS.

QUo tempore Iagello Rex, Lituanos ſuos ad Chriſti fidem conuerſos, Poloniarum quoque populis fœdere perpetuo iunxerat, ſuosque proceres ſecundum normam & conſuetudinem Polonorum, per magiſtratus, dignitates, & officia diſpoſuerat, etiam Radiuillum, vnum ex magnatibus, in baptizmi lauacro Nicolai nomen ſortitum, Vilnenſis Palatini titulo, ob virtutem & merita, dignatus eſt. Qui authoritate in familia pollens, iuſſit vt omnes Radiuillorum primogeniti, Nicolai nomen aſſumerent, & erga ſanctum illum Epiſcopum Mirhenſem, ſingularem deuotionem haberent. Quod quidem in hodiernum obſeruaſſe, veros illos pietatis cultores animaduertimus; dignos quos ſera poſteritas imitetur! Horum itaque imagines, & elogia vniuerſi generis exequi longum eſt, familiæ breuiter attingam. Ac primum quidem Nicolai Primi, qui cum Vitoldo Duce, contra Crucigeros Scythas atque Moſcos, cohortium Præfectus multos per annos erat. Itemque cum Sigismundo atque Michaele eius nepotibus contra Liuonienſes totius exercitus Lituanici ductor: ordines ſingulos, ipſe ſolitus obequitare, adeſſe periclitantibus, gnauos ſtrenuosque elaudare: ignauos & pauidos increpare, cunctantes excitare, imminutis ordinibus milites alios ſubſtituere: quosdam etiam, quando opus erat traducere, ſuppetias ferre laborantibus, ac opportunitates, momenta, euentus obſeruare; ita, vt omnium conſenſu & vocibus, magnus bello Dux & pace præclarus, poſt illam Vilcomirienſem de Liuonienſibus Crucigeris victoriam, acclamaretur. Cuius eximia bonitas, liberalitas ſumma, & Chriſtianæ pietatis cultus præcipue commendantur: tum oris probitas, ſtatura quadrata, corpus validum ac robuſtum: idemque laboris atque operis patientiſſimum: par victus frugalitas, & ex eo valetudo proſperrima; vt centeſimum annum ſuperuixiſſe dicatur, piisſimeque & animo quam maxime tranquillo obdormiuiſſe. Cuius corpus Vilnæ in Monaſterio Sancti Georgii, quod ipſe extruxerat, ſepultum eſt: nos ei Cenotaphium iſtud conſcripſimus.

Viator, Si pius es, perlege. Nicolaus eius nominis e familia Radiuillorum I. vna cum Rege Vladislao Iagellone, ſacro baptizmatis lauacro Cracouiæ ablutus, heic ſepultus quieſcit. Vir manu & conſiliis ſtrenuus. Amicis & Gentilibus clarus. Expertæque prudentiæ? Qui priſcis Ducibus ſuæ ſtirpis Authoribus ferox, Vilnenſisque Palatini munere, ad ingentis potentiæ gradum a Rege Vladislao ſubuectus, bellis, ſub Vitoldo, & Sigismundo, Principibus Lituaniæ præfuit cum imperio.

Illaque Vilcomirienſi de Liuonibus victoria clarus meruit inter Heroas, *ad or-*

ad ornatum sæculi editos numerari. Cum & Christianæ pietatis, quam nuper professus, memor existens, magnæ, non abstinentiæ modo, sed etiam liberalitatis, iustitiæ, candoris, modestiæ humilitatisque exempla posteris reliquisset.

Idem, prisco Sarmatarum more, tota vita abstemius, ac non nisi aquæ potor fuit: tum & opes suas omnes, quas ante fidei agnitionem congesserat, post susceptum lumen: In egenos, & sacrorum Christianorum mystas, manu sua dilargitus est. Obiitque centesimo ætatis suæ anno, non secus atque in domestico luctu, mœrentibus eum publice cunctis.

LXXXIX. NICOLAVS II. RADIVILLVS.

ADeo verum est, quod Poeta dixit, fortes creari fortibus, vt etiamnum in certis familiis, non nisi claros viros & illustres, perpetua quadam serie nasci videamus. Quod & in Radiuillorum magna & vetere prosapia, ex quo fidem Christianam receperunt, manifestissime obseruare licet. Namque primus ille Nicolaus, tot animi corporisque dotibus præditus, postquam centesimum viuendo annum expleuisset, Nicolaum hunc, de quo nobis sermo est, non possessionum modo suarum, sed & virtutum, & dignitatis authoritatisque in Patria, hæredem vnicum reliquerat. Qui armorum & equitandi peritissimus, tribunus militum sub Cazimiro Iagellonide, & in Moscouia, & in Prussia meruit summa industria, nec minore modestia & fama. Nam & abstemius solito tum principibus viris more tota vita fuit, & nonnisi frigidam potauit: Et in numerum Senatorum relatus primariam in patria dignitatem, Palatinatum videlicet Vilnensem administrauit copiisque Lituanicis, cum imperio, ad Homliam in Moscouia, præfuit, Regi Alexandro gratiosissimus. Reliquitque filios quatuor, haud absimiles sibi, qui omnes in senatu, sub Sigismundo Primo Rege Poloniæ, Patre suo adhuc viuente, consederunt; nam ad nonagesimum nonum vsque annum ille vixerat, solertissime populo blandus, magnitudineque animi, nemini Megistanum inferior: acri quoque ingenio, & consiliorum prudentia eximius. Vnus ex filiis eius, Albertus nomine, Episcopus Vilnensis fuit, patrisque sui confessarius; vulgo Eleemosynarius dictus, quod singulis diebus pauperes ad mensam suam haberet, ipseque illis ministraret, priusquam aut ipsi cibum caperet, aut Senatores mensæ suæ adhiberet. Is vt erat sanctitatis opinione maxima, patrem habitu Franciscano, apud Sodales eiusdem instituti, quos vulgo Bernardinos dicimus

dicimus, quibus ille ipſe templum & Monaſterium Vilnæ erexerat, ſepeliuit. Nos ei, virtutis ergo, Cenotaphium erigamus.

D. O. M. S. Nicolaus eius nominis Secundus, e magna & vetere proſapia Radiuillorum, Palatinus Vilnenſis, a Vladiſlao Iagellone incipiens, ad Sigismundum vsque eius nepotem, ſex continua ſerie Regibus Poloniæ, in toga & ſago fidelem ac ſtrenuam operam præſtitit. Copiarumque M. D. Lithuaniæ, ab Alexandro Rege, cui inprimis charus erat, ſummus præfectus creatus, eo felicitatis deuenit, vt & dignitate, ſuperiorem ſe, in Patria neminem haberet: & quod ſera poſteritas vix credet, filios quos progenuerat quatuor, omnes ſecum aſſidere in ſenatu, præcipuarum Prouinciarum Rectores, vidit: nec tamen improbe exultauit in tanta fortuna, ſed modeſtia Chriſtiana, præditus, in viros militares beneuolentia, & ſingulari in omnes huminitate vſus, periit ætatis anno nonageſimo nono, in ſummo omnium mœrore.

XC. NICOLAVS III. RADIVILLVS.

NIcolai Secundi primogenitus, paternum nomen ſumens, voluit etiam virtutum ſeſe haud degenerem filium præſtare, iisque qui indole & virtutibus pollent, parem omnino exhibere. Et quidem in puero ſtatim corporis animique dotes explenduerunt, minime vulgares, cum patrem in Moſcouiam cum exercitu euntem, comitari magnopere exoptaret. Magis ac magis deinceps, per ætatis gradus accreſcens, forma egregia, & cui non minus authoritatis ineſſet, quam gratiæ; præcipuumque robur, procera ſtatura, memoria ſingularis, docilitasque ad omnes fere tum belli, tum pacis artes, in eo apparuere. Igitur ſciens hoc virtutis maximum præmium eſſe, quod latere ſuos non ſinat, maiorum ſuorum exemplo propria virtute inclareſcere voluit, factusque a Sigismundo Rege, Nouogrodenſis primum, poſtea vero Vilnenſis Palatinus, bellis Moſcouiticis durantibus, Homliam arcem, in finibus Ducatus Seuerienſis ſitam, copiaque defenſorum, & magnitudine mœnium validam, paucos intra dies, ſuis cum cohortibus expugnauit: & Ducem Ouczynam, cum quindecim millibus armatorum ſubſidio obſeſſis venientem, ſtrage fœdiſſimum cæcidit, ipſumque cœpit; tum opera eadem Starodubum opulentam vrbem, cum aliter potiri nequiret, igni totam excuſſit, Duce Moſcorum Baſilio, prælium aut defenſionem nusquam auſo. Quum vero litteris, ac linguarum multarum cognitione inſtructus eſſet, &

Regi

Regi Sigismundo in paucis charus existeret, in illo conuentu Regum Viennensi, ob virtutem & præclara facinora, a Maximiliano Primo, Princeps Romani Imperii, primusque Senator, declaratus fuit. Et quidem merito tanta enim modestia, tanta humanitate, tantaque pietate fuit, vt qua die sacrum audire non potuisset, aut pauperes fraterno exemplo (Alberti videlicet Episcopi Vilnensis) ad mensam suam habere nequiisset, ea die ipse ab omnibus delicatioribus cibis abstinuit, & tantum in pane & aqua ieiunauit: Religiosissimus Princeps, castaque & secreta domo: & qui placita maiorum colebat habitu seuero: quantoque pietate occultior, tanto plus famæ adeptus, & quem nobis etiam hac breui epigraphe celebrare placuit.

Viator, quisquis es, siste Gradum, & quod scriptum est, perlege.

Nicolaus, eius nominis Tertius, e familia Radiuillana, Palatinus Vilnensis, haud dubie Nobilissimus, multarumque & magnarum propinquitatum: Primus regnante Sigismundo Primo, cui erat charissimus, Romani Imperii Princeps, a Maximiliano Primo factus: tantam dignitatem, ornauerat ingentibus animi bonis, iustitia, pietate, eruditione, prudentia, modestia, comitate, liberalitateque in omnes singulari: maxime vero virtute bellica, & rebus in Moscouia fortissime gestis, quæ omnis consequens ætas meritis laudibus celebrare non desistet: Hic igitur septuagenario maior ex articulari morbo Vilnæ decessit, turbaque militum, quasi inter solennia triumphi prosequente, inter signa militaria atque vexilla, in Basilicam S. Stanislai, illatus, quiescit.

XCI. GEORGIUS RADIVILLUS.

GEorgius, Nicolai Secundi filius, expeditionem in Moscouiam, regnante Sigismundo Primo susceperat, tantum vt fratri se Nicolao Tertio, & operibus & dignatione adæquaret, & hostem apud Starodubum, Radogostiam, & Smolenscum ingenti clade affecit. Itemque secunda expeditione, vltra Vesmam & Dorohobusum cum tribus millibus progressus, cuncta igni & ferro deuastauit, hostibus prælium iusto marte deuitantibus. Et opera eadem Mozirum, Turouiam, aliaque minutiora loca dudum fraude Michaelis Glinscii perduellionis intercepta, reddere coegit: ac ne iussa exuerent, præsidium immuniuit. Proinde a Rege Kiouiensis Palatini primum titulo remuneratus fuit, postea Marsalci Curiæ officio, atque Vilnensis demum Castellani dignitate, & suprema exercituum Magni Ducatus Lituaniæ Præfectura. Igitur vir fama & factis ingens, omni ,ue laude maior, & quem vere alterum Periclem Lithuanorum, ac patriæ libertatis Athlantem appellare possumus, sub Augusto Rege, cui de

pau-

paucis charus atque intimus erat, & cuius Rex Augustus filiam nomine Barbaram in vxorem duxerat, Petrum Suiscium Moscouiticarum copiarum ductorem, cum triginta millibus ad Vlmam profligauit. Suiscius vero alter ex Ducibus vulneratus, fuga euadens, à rustico quodam securi, magno cum dolore Radiuilli, quod viuus captus non esset, occisus tum erat. Multisque aliis in locis deinceps, hostem illum peruicacem, Georgius maximis cladibus affecit: & inter hæc ipse morte præuentus est, maiore hominum nostrorum damno, quam suo. Cuius sepulchrum, hoc breui epitaphio cohonestemus.

Georgius Radiuillus, Castellanus Vilnensis summusque militiæ Lithuanæ magister. Dignus, quem omnium gentium vota optent in ciuem, hic sua ossa deponi iussit. Qui data in vxorem, Rege Sigismundo Augusto, filia nomine Barbara, nouum lumen in familiam suam intulit: patrisque toties Moscouitico bello triumphalibus, minime inter ciues elatior, integerrima fama, claritatem scriptis adauxit. Tandemque relictis terrenis possessionibus ad æterna ac cælestia, vt confidimus, Anno M D LXV. euolauit.

XCII. IOANNES RADIVILLUS.

QVartus, Nicolai Secundi, Palatini Vilnensis, filius Ioannes: frater Georgii, atque Nicolai Tertii, bellicosissimorum virorum, amicitia & consilio vtilissimus Regi Augusto. Corpus illi laborum tolerans & animus audax, quamuis litterarum à puero fuerit amans: sed qui solis in libris hærere contempserat, adolescensque reliquerat magistros, vt in Regum ac Principum aulis, tanquam in vera & liberali schola, tyronicinium poneret publicæ lucis. Quocirca pari vbique musarum & negotiorum studio creuit, genere quoque ac moribus ad eiusmodi eum vitam ferentibus. Et in album Senatorium à Sigismundo Primo transcriptus, Trocensis Castellani Titulum primo, deinde & supremi magni Duc. Lithuaniæ Marsalci officium decentissime gessit; Patrisque ac fratrum signa secutus, ordines bello Moscouitico ductauit, & illi insigni victoriæ de Tartaris ad Klockum, Michaeli Glinscio manus accommodauit. Sed cuius eximia virtus, diuinus generosi animi vigor, magna solertis ingenii vis, summa in periculis adeundis audacia, promptum in iisdem depellendis consilium, indefessa bellicis in expeditionibus vigilantia, & mira in rebus omnibus industria, Starodubensi in expugnatione maxime emicuerunt. Reliqua victoriarum trophæa, posterior dicet ætas, quæ ille assiduis orationibus, strictissimis ieiuniis, & locorum sacrorum deuotis visitationibus (nam & limina Apostolorum sub Iulio II. religiosissime visitauerat) patriæ suæ charissimæ

apud Deum impetrauerat. Obiitque plenus gloriæ, relicto vnico filio Nicolao, & apud Bernardinos Diui Francisci Sodales de Obseruantia Vilnæ sepultus est. Cui hoc breue epitaphium subscribamus.

Ioannes Radiuillus Castellanus Trocensis supremusque M. D. Lithuaniæ Marsalcus. Vltimus, Nicolai Secundi Palatini Vilnen. F. Summus & ipse virtutibus, interque paucos imbutus literis. Natura beneuolentiss. Præfecturas à Rege Sigismundo, eiusque F. Augusto sortitus, integerrime, nec sine magna dignatione administrauit. Capitalesque Lithuaniæ hostes Moschos, præliis aliquot vicit, & vrbes illis non paucas ademit. Tum & scythas in Podoliam incurrentes sæpius cum aliis regni proceribus profligauit, ne tantummodo maiorum imaginibus fulgeret. Postquannum LX. Religiosissime obiens, maiorum sepulchro Vilnæ illatus est. Plura iste non capit lapis, abi Viator, & Vale.

XCIII. NICOLAVS IV. RADIVILLVS.

QUartum è stirpe Radiuillia Nicolaum Palatinum Vilnensem magnique Ducatus Lituaniæ Supremum Marsalcum & Cancellarium, genuerat Ioannes Castellanus Trocensis, quem puerum adhuc, ad exteras nationes, excolendum ablegauerat. Qui lustrata tota pene Europa, adolescentior in patriam reuersus, expectatione celerius, omnem sui admiratione ordinem, omnemque ætatem in regia compleuit, seu equitandum, seu tela mittenda, seu ductus in pariete orbis sagittas expectabat, statim æqualibus maior; tantus denique erat cui possent magistri inuidere. Quibus profecto dotibus Regi Sigismundo maxime placebat: eiusque deinde filio Augusto in paucis charus, & prætorianis præfectus, consortio fortium virorum maxime delectabatur. Cumque patre in Moscouia rudimentis militiæ positis, ter propriis deinceps auspiciis, albo iam senatorio adscriptus, expeditionem in Liuoniam suscepit, quod Theutones turbare finitimos assueti, de finibus cum Lituanis disceptarent, imminerentque felici viciniæ. Igitur parum interest scribere quæ tumultuariis & obscuris manibus gessimus. Vna fuit acies iusta, qua profligati Germani Liuonius quoque possessione exuti sunt. Et exercitus Radiuilli diues præda, vix captiuos capiebat, vix spolia; Albertum quoque Archiepiscopum Rigensem ex Marchionibus Brandeburgicis, Gothardumque Magistrum Crucigerorum Generalem, Vilnam ad Regem deduxit: sigillumque Religionis, & Crucem, quam Magister collo appensam portabat, aliaque insignium instituti, in pleno senatu Regi reddidit. Igitur rebus tam præclare gestis, auctoritate, constantia, famaque inter suos auctior, ad Carolum V. & Ferdinandum Cæsarem, pro Republica legatus. Ernestum Archidu-

chiducem è ſacro baptizmatis fonte leuauit; & rebus ex animo peractis, ad Regem ſuum in Poloniam haud inglorius rediit, atque demum plenus dierum, Anno virginei partus, 1567. periit. Vir pacis bellique artibus, & in primis clementia, liberalitateque longe clariſſimus: niſi Lutherano delirio virtutes egregias inquinaſſet: Quatuor filios, itidem bello inclytos, nec deteriores ingeniis (qui, vt inquit Valerius Maximus patriæ rem non ſuam augere properabant) reliquit. Nicolaum Hieroſolymitana peregrinatione clarum: Georgium, Vilnenſem primo, deinde Cracouienſem Epiſcopum, & S. R. E. Cardinalem; Albertum ſupremum M. D. L. Marſalcum: & Stanislaum Samogitiæ Toparcham: qui cum plurimis lachrymis, patre pro concione laudato funeratoque ampliſſime, propriis manibus Vrnam Mauſoleo inferre non erubuerunt. Nos breuiter epitaphium adſcribamus.

Nicolaus, eius nominis IV. ſtirpis Radiuilliæ, Palatinus Vilnenſis, ſupremusque magni Ducatus Lituaniæ, Marſalcus & Cancellarius: virtutibus famaque clariſſimus: ſciens viris fortibus ſummam mercedem eſſe, gratæ poſteritatis memoriam, vt ſemper in ore poſthumantium ipſe maneret, ingenti prudentia, regnante Sigiſmundo Auguſto, apud quem ſumme gratioſus erat, poſſeſſam à Theutonibus, aliquot ſæculis Liuoniam, Regno Poloniæ adiunxit: ſplendidiſſimaque legatione, ad Auſtriacos Cæſares, patriam exornauit: & vt humanitate præcipuus erat, in homines fortitudine aut literis notos, toto vitæ curſu, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ, vllam occaſionem omiſit. Eosque præcipue quos fama amauit, admiratus eſt: atque demum ætate prouecta, morbo ſolutus, filiorum humeris elatus fuit. Qui patri beneficentiſſ. ſaxum hoc doloris teſtimonium poſ.

XCIV. NICOLAUS V. RADIVILLUS.

Nicolaus Quintus è domo Radiuillia, nepos Ioannis, cupiditate ſciendi, quæ tellus, quiue homines extra Sarmatiam eſſent, iuuenis admodum, Europam vniuerſam peragrauit; ſubque Rege Auguſto in patriam redux, ſtatim ab illo, ob egregias animi dotes, Curiæ Magni Ducatus Lituaniæ Marſalcus, vix octodecem annos habens, fuit creatus. Quo fatis ſublato, cum Henricus Galliarum in Regem eſſet à Polonis electus, Nicolaus cum aliis duodecim proceribus è Senatu, ad acceſſendum & deducendum eum fuit deputatus in Oratorem. Stephano deinde rebus potiente, Supremus Lituaniæ Marſalcus erat renunciatus; tum ad Sereniſſimum Sigiſmundum III. regno deuoluto, Caſtellanus primo Trocenſis deinde Palatinus ibidem, fuit ab eo declaratus. Quam quidem

dem ille dignitatem resignabat ob valetudinem aduersam, etiam honorum satietatem prætendens: cæterum Rex sapientissimus Sigismundus III. vtilem eum Reipublicæ videns, non modo susceptos honores non permisit seponere, verum etiam in Vilnensem Palatinum sublimauit, & maiorum suorum exemplo Spartam ornare iussit. Siquidem non cuiuis solet ille honores mandare, sed non nisi nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, inlustresque domi artes spectando. Ad bella igitur gerenda, Nicolaus noster a patre Viro fortissimo formatus, adolescentulus adhuc, sub Rege Augusto, in Moscouiam profectus, ordines ad Vlam ducebat; sub Stephano vero, ad Gedanum alarum præfectus, illi Dersauiensi victoriæ interfuit. Et Heroas non aliter quæsiisse sibi laudem sciens, quam eiusmodi periculis atque vita, in Moscouiam iterum, integræ legioni rector datus, abiit, & gloriæ auidus, toto illo bello strenue se atque amanter pro patria gessit. Cum vero ad bolociam, globo bombardæ caput feritus esset, votum si conualuisset, visitandi sepulchrum Domini Hierosolymis, concepit: quod & exsoluit religiosissime, Princeps virtutibus & animi magnitudine, itemque benignitate, cum optimis quibusque omnium sæculorum Megistanis comparandus. Qui & ciuili tumultu, nostris temporibus in patria exorto, non licentiæ populari adhæsit, sed Regiæ dignitati prouidendum putauit. Et vt erat in Mathesi, Geographia, Medicina, atque Theologia (vt hic linguarum exoticarum peritiam omittam) optime versatus, dicendique peritia conspicuus, id quod patriæ vtilissimum censuit, in Senatu semper grauiter suasit. Liberalitatis in subditos, religiosos, literatos, egenos & externos profusissime fuit: censumque perpetuum, pro elocandis virginibus, & redimendis captiuis, fundauit. Monasteria, collegia, templa, palatia, Xenodochia quamplurima erexit: quæ singula ad prodendam virtutis memoriam, sine gratia aut ambitione fecit, bonæ tantum conscientiæ pretio ductus. Plenusque operum bonorum, Anno salutis 1616. Mense Februario, in Domino obtormiuit, habitu peregrini Nesuisiæ apud Patres Societatis IESU, sepultus; cum inscriptione, ad Christi crucifixi imaginem. Aduena ego sum, & peregrinus apud te, sicut omnes patres mei. Filios quatuor reliquit, Ioannem, Albertum, Alexandrum, & Carolum Equitem Melitensem, æmulos virtutum suarum, clarosque rerum fama ac militum studiis. Sed nos pro instituto nostro, epitaphium adscribamus.

Heus Viator. Iacet sub hoc marmore incomparabilis Heros, Nicolaus Christophorus vulgo peregrinus dictus, Quintus, huius nominis, e domo Radiuillia Palatinus Vilnensis. Dux, in Olica & Nesuisia: Comes, Myrhæ & Sydloueciæ: præfectusque Saulensis. Sancti sepulchri eques. Ac Sacri Romani

mani Imperii, primus Senator & Princeps: Iustitia, fortitudine, magnificentia liberalitate, animi.sue moderatione, & pietate singulari, inter sui sæculi Megistanas eximius: interque viros literis, atque armis præcipuos merito connumerandus. Vtpote qui, virtutum commendatione, quatuor Regibus Poloniæ, Sigismundo Augusto, Henrico, Stephano, & Sigismundo III. Chariss. fuit. Cuius hic laudes leuiter libasse, sit detraxisse: igitur tibi, uno verbo, Viator, edisseram. Amisit in illo clerus fundatorem: Ecclesia protectorem: pauperes benefactorem: patria senatorem: Rex administrum: miles magistrum: filii parentem: subditique Dominum, longe beneficentissimum. Quorum voto corpus monumentum animam cælum, memoriam vero posteritas, in benedictione seruet. Abi itaque, & pro mortuo ora.

Qui, Anno salutis humanæ M. DC. XVI. vita functus est.

XCV. NICOLAUS VI. RADIVILLUS.

SExtum huius nominis, e stirpe Radiuillia, Palatinum Vilnensem, Birzæ & Dubincarum Ducem, virum semper animis successuque egregium, numeramus. Qui regnante Sigismundo Augusto, bello Moscouitico legioni tribunus præerat, & arce Tauris expugnata, grandes hostium copias, qui subsidio suis veniebant, profligauit. Et iuuenis admodum sub Georgio patruo merens, assueuit elementis negociosæ & exercitæ vitæ. Albo deinde Senatorio adscriptus, interregnorum tempore, publicæ libertatis acerrimus defensor fuit. Atque sub Rege Stephano, Lituanicarum copiarum Generalis factus, in obsidione & expugnatione Polocensi, multum præstitit operæ, & qui solus ad id bellum artes bonas attulisse videtur, sciens quod legati tribunique ex moribus imperatorum seueritatem æmulantur, vel tempestiuis conuiuiis gaudent: perindeque, & miles intentus, aut licentior. Quapropter disciplinam ex antiquo rigore obseruauit, & ne miles officium exueret, diligentissime curauit. Idem fecit quoque & in Liuonia, cum Carolum Sudermaniæ Principem, & Regni Suetici incubatorem, iussu Serenissimi Regis Sigismundi Tertii, bello propelleret; firmasque legiones & assuetas disciplinæ in eum duxit; vnde etiam facile victor extitit, & secundis eum aliquot præliis profligauit. Carolusque Liuonia pulsus, cum suis non semel terga vertit, castrisque sæpius & armatura grauiori exutus, turpiter fugit, pudenda omne in æuum nota. Nicolaus autem sobole filiorum omnino felix excessit e vita, septuagenario proximus, quum Ioannem & Christophorum filios assurrexisse in indolem dignam maioribus aspexisset. Et Ioannis quidem Castellani Vilnensis titulo, virtuteque eximius, fato immaturo est iam interceptus,

Christophorum vero militare decus in Radiuillia domo, clarioribus superadditis victoriarum trophæis ad summam gloriam vadentem, boni omnes, votis piis prosequimur. Ast nunc Nicolao ob ingentia in Rempubl. merita hoc breue Cenotaphium scribendo epitaphio erigamus.

Qui legis, mortem incusato, quæ Nicolaum, eius nominis, Sextum, e prosapia Radiuillia, Palatinum Vilnensem, Birzæ & Dubincarum Ducem, acerbissime sepeliuit. Virum intra paucos, fortitudine & prudentiam insignem, magnisque opibus, & clientelis potentem. Qui summus militiæ Lithuanæ Magister, a Stephano sapientissimo Rege factus, multa præclara, bellis Liuonicis, atque Moscouiticis gessit, quæ omnis consequens ætas, meritis laudibus celebrare non desistet: multosque egregios Duces, & negotiorum vsu exercitos, e sua disciplina reliquit: tum quoque filios duos, militaris gloriæ æmulos. Qui illi, omni polita doctrina, & eloquentia, cum iis, quos mirata est antiquitas, comparando, immortalium causam lachrymarum, hanc Vrnam erexerunt.

XCVI. STANISLAUS LESNIOVOLSCIUS.

HAud immerito viris bellatoribus, Stanislaum Lesniouolscium, generis nobilitate, & virtutum ornamentis eximium, adnumerandum censuimus. Is siquidem iuuenis, & vix dum integræ ætatis, omnes belli Duces, expediti consilii grauitate, & quosque manu promptissimos singulorum ordinum præfectos, in obeundis periculis, præclaro impauidi animi ausu, æque mirus & felix superare didicit. Regnanteque Sigismundo Augusto, contra Moscos bellum molientes missus, ad Neueliam magno cum successu pugnauit. Etenim quadraginta Moscorum millia, tantummodo mille quingentis equitibus Polonis, non repressit solum, sed magna ex parte etiam profligauit. In quo sane conflictu, eminuit maxime virtus & fortitudo Stanislai Zamoiscii, Nicolai Sienaruii, Ioannis Zborouii, Ioannis Potocii, & Iacobi Secignouii, cohortium præfectorum, cum quibus flos nobilium, & generosa militum soboles auida periculorum, & quietis impatiens, cui campus Martius est seges & materies gloriæ. Ob tam igitur insigne meritum viro fortissimo hoc breue epitaphium ascribamus.

Stanislai Lesniouolscii, Castellani Ciechanouiensis, Ioannisque Tarnouii, exercituum Polonicorum, Imperatoris, in Moscouia legati, ex antiquissimo Sarmatarum sanguine, hic ossa clauduntur, donec dies Domini magnus adueniat: cui victoria de Moschis Neueliensi præclaro, grata agnatorum posteritas, hunc tumulum honorarium E. C.

XCVII. ROMANUS SANGUSCUS.

SEquitur Vir omni genere virtutum excellens Romanus Sanguscus, Lituanica-

anicarum copiarum, sub Rege Sigismundo Augusto, Campiductor, qui durante bello Moscouitico Vlam & Susam, munitissimas hostium arces obsidione fatigatas diuturna, ad extremum fortissime expugnauit; sæpiusque eorum copias subsidio obsessis venientes, parua manu feliciter fudit. Tum quoque illi prælio ad Vlam, cum Nicolao Radiuillo interfuit, quum triginta Moscorum millia, cum Petro Suscio eorum Duce, ad internecionem fuerunt deleta. Similiter bellis Liuonicis cum Ioanne Chodkieuicio exercituum imperatore, Equitum Magister, ingentem patriæ operam præstitit; absque Rege Augusto ob id albo Senatorio adscriptus, titulum Palatini Braslauiensis decentissime gessit. Cui pro virtute & meritis hoc breue Elogium sepulchro inscribamus.

Romanus Sanguscus, Palatinus Braslauiensis, & Equitum Magni Ducatus Lituaniæ Magister: rarissimum gloriæ militaris exemplum: ob egregia facinora cunctis Carijs. (sed præcipue Regi Sigismundo Augusto cognato suo) in flore ætatis e magna rerum expectatione Præreptus; hic tegitur depositus. Viator, dic strenui bellatoribus manibus, bona verba, & scias eum fuisse ortum in Russia alba, familia vetere & honorata, atque ex Principibus Lituaniæ.

XCVIII. STANISLAUS PACZ.

INter alios complures, qui e schola Georgii Radiuilli, viri fortissimi prodierunt, etiam Stanislaus Pacz egregii Ducis nomen promeruit; qui bellis variis exercitatus, non minus scientia militari, quam multiplici eruditione, ac rerum experientia insignis fuit. Is collecta nobilitate Palatinatus Vitebscensis, qui duo millia leuis armaturæ faciebant, contra Moscum, qui id temporis Iezierisciam, tredecim millibus armatorum grauiter oppugnabat, citato progressus, manus cum eo audacter conseruit, octoque millibus in acie occisis, reliquos in fugam turpissimam vertit, & castris omnibus, tormentisque æneis potitus, paucis ex suis amissis, Victor Vitebscum rediit, ac tandem ad Regem Augustum cum signis & trophæis hostium, Vilnam peruenit. In quo sane conflictu, præcipue laudata fuit virtus Isidori Vexilliferi Vitebscensis, & Ioannis Snieporodi, Tenutarii, vt vocant, itidem Vitebscensis, virorum fortissimorum, & qui veræ gloriæ gustum habebant. Sed Stanislaum ductorem eorum, præcipue pro more nostro epitaphio exornemus.

Stanislaus Pacz, Magni Ducatus Lituaniæ dapifer, inter Duces, qui militarem impetum ratione compositum habent, aut fortuna propitium, merito connumerandus, hoc tegitur tumulo. Quem post præclaram illam, apud Iezieriſciam, de Moschis victoriam, in medio fortunarum cursu, vt desiderabiliorem nobis, sic & feliciorem sibi, mors immatura extinxit. Anno.

XCIX.

XCIX. HIERONYMUS LASCIUS.

INter viros, quos diu regiis amicitiis florentes, ab ſuo denique axe fortuna excuſſit, etiam Hieronymus Laſcius cenſendus eſt; qui cum vir magno animo eſſet, multisque legationibus apud exteros Principes, & domi inter optimates bellica gloria floreret: multos facile æmulos inuenit; præ quibus dum in patria emergere non poſſet, Regi Vngariæ Ioanni, qui tum cum Ferdinando Cæſare bellum gerebat, operam ſuam nauauit. Hunc igitur exulem in Polonia humaniſſime excepit, conſilioque ſuo (quamuis Reipub. Chriſtianæ exitioſo) & opibus iuuit; patrociniumque illi apud Solimanum Turcarum Imperatorem impetrauit, & Regno Vngariæ eius viribus reſtituit. Quo nomine apud Ioannem Regem gratia authoritateque valebat ſumma, eiusque virtute Rex vſus, non paucis de Ferdinando Cæſare victoriis clarus exſtitit. Is ſiquidem rerum bellicarum peritus, aduerſus valida Germanorum agmina, acies ſuorum optime inſtruebat; callebatque egregie omnes aſtus militares. Iam autem ſumma ratio à Ducibus belli ineunda eſt, vt acies pro numero ſui & hoſtis exercitus, proque temporis & loci circumſtantia diſponantur. Vere enim dixit, prudens ille Romanæ militiæ ſcriptor. Si acies ſapienter diſponatur, plurimum iuuare: ſint imperite quamuis optimi bellatores, mala diſpoſitione frangi. Quare apud Ioannem Regem fortitudinis & prudentiæ opinione adeo omnia potuit, vt illius nomine ipſe regnaret, namque Rex ipſe omnia maioris momenti negocia vltro in ipſum contulerat qui præter animi egregias dotes ita excellenti etiam forma & venuſtate faciei extitit, vt nihil ipſi magnum præter regnum deeſſe videretur. Idcirco eum Vngari in tanta gratia non valentes ferre, criminati ſunt occulte ſæpius, quaſi pœniteret regno Ioannem reſtituiſſe. Itaque Rex eum in carcerem coniecit: vnde poſtea opera Sigismundi Regis Poloniæ liberatus, qui eo Ioannem Tarnouium miſerat, ad Ferdinandum Cæſarem tranſiit, volens Ioannem Regem vltum ire, offenſus hac ingratitudine eius. Quod & re ipſa præſtitiſſet, ſi diutius ſuperuixiſſet. Cæterum morte ex veneno, ut aiunt Conſtantinopoli ſibi porrecto, in paucis menſibus conſumptus, finem tragœdiæ fecit. Sed affigamus etiam epitaphium loculo, in quo aromatibus conditus, ad locum ſepulturæ Cracouiam deportatus fuit.

Hieronymus Comes de Lasko: Palatinus Siradienſis. Vir, præter ſtemmatis nobilitatem, ſapientia ac doctrina, multiplicique rerum vſu illuſtris, & patriæ magnus Senator, magnus Orator, magnusque demum Bellator. Hac exigua Vrna clauditur. Quem, militari, atque imperatoria florentem laude, vsque adeo Patrum noſtrorum ætas admirata eſt, vt eum priſcis illis Ducibus, qui

qui summæ virtutis opinionem & famam sunt consecuti, non temere compararet; quod singulorum peculiares quasdam virtutes æmulari, argutissimoque ingenio, decerpere videretur. Obiit Anno 1542.

C. STANISLAVS LASCIVS.

Hieronymo fratrem Stanislaum adiiciamus, egregiis maioribus & fraterna imagine fulgentem, qui bellis, inter Franciscum Primum Regem Galliæ, & Carolum V. Imperatorem, acerrime durantibus, totam iuuenilem ætatem in Francia militando consumpsit, secutusque castra illius in Italiam, vna cum Rege ad Ticinum captus fuit. Et tandem in patriam reuersus, legationes complures ad diuersos Principes obiuit, sed præcipue ad comitia Imperii, Augustam vindilicorum. Duxit quoque legionem vnam, contra Crucigeros bello Pruthenico durante; vbi promeruit, vt in locum fratris defuncti, albo Senatorio adscriptus, Palatini Siradiensis, titulum haberet. Cuius quoque immortali memoriæ optimo iure hoc breue Cenotaphium demus.

Hic situs est, Stanislaus Lascius, lumen atque ornamentum patriæ, qui Regis Galliarum Francisci I. signa secutus, extremum pene periculum, bello Italico adiit, & carcerem Diuticini pertulit. Quo tandem liberatus, quum in patriam rediret, eius genus & industria, spiritusque illi senatorii, domi ac foris cogniti, apud Sigismundum Regem sunt suffragati, vt Siradiensis Palatinus esset.

CI. ALBERTVS LASCIVS.

Ex omnibus Sarmatiæ Dynastis, qui libertatis auctores celebrabantur, maxime Comites à Lasco, apud scriptores memorantur: inter quos Albertus quoque Hieronymi filius, animi magnitudine, & artibus militiæ præstantissimus: Inuenire amicitias, & colere optimus, nudis inter synceros affectibus: Hic itaque Europa vniuersa peragrata, variis sese bellis exercuit: factusque in loco paterno Palatinus Siradiensis, vt fuit illi viro ingenium amœnum, & temporis illius auribus accommodatum, plurimum in senatu sententia valuit, maxime cum de rebus bellicis differendum esset. Collectoque mediocri ex Polonis, Vngaris, & aliis exteris exercitu, eoque per Scepusium & Vngariam, quod per Poloniam ei non liceret, in Valachiam ducto, Iacobum quendam Heraclitem, natione Græcum (qui ab antiquis Valachiæ regulis genus suum repetebat, seque singularum in Ægeo, Sami Despotam, & pari Marchionem nominabat) contra Alexandrum

Ralachiæ Palatinum, armata manu in Valachiam deduxit. Erat tum Alexander ob tyrannidem & crudelitatem erga ſuos infamis; ideoque omnibus inuiſus. Hunc numeroſo exercitu inſtructum Laſcius longe impar copiis fudit, & Moldauia exuit: totamque ditionem armis domitam Iacobo Deſpotæ, poſſidendam tradidit. Et quanquam omnes maiores noſtri, iuuentutem exercuerunt, haſtilia iacere, ſudem torquere, equum agitare, arma tractare: præcipue tamen Laſcio hæc cura fuit, in Valachiam tum cum exercitu tendenti, vbi magna cum diligentia milites ſuos aliquoties in hedomada adſuefaciebat, vt maiore impetu in hoſtem procurrerent, vt loca oportuna celeriter occuparent, vt ad explorandum alacriter pergerent, vt fugientium terga facilius comprehenderent, vt haſtas, enſes, ſclopeta commode tractare contra equites decurrere, tormenta bellica ocyus educere, aciem inſtruere, eamque pro ingenio loci, vel laxare, vel condenſare, in læuum dextrumque latus flectere, foſſaſque tranſilire dum opus, tempeſtiue addiſcerent. Quibus ſic excultis, Tartaros Turcaſque cum ſæpe alias, tum apud Oczalcouiam, non ſolum intra mœnia compulit, ſed etiam per Pontum Euxinum turpi fuga terga dare coegit. Quapropter viro tam bene de patria merito, ad poſterorum notitiam, marmor, hac epigrapho erigendum cenſuimus.

Albertus de Lasko, Palatinus Siradienſis, ſtrenuus manu, & Conſilio ſpectabilis: forma admodum liberali, & cui vel adſpectus erat muta commendatio, inter viros nobiles literis armiſque præcipuus, & Dacorum, Scytharum, Muſulmanorumque cladibus in Moldauia atque Beſſarabia, illuſtris: hoc ſibi viuens ſepulchrum confecit, defunctus vt ſibi viuat, cum ante mortem, patriæ & amicis vixiſſet. Anno.

CII. MICHAEL VISNIOVECIVS.

INter Satrapias Ruſſiæ, primum illuſtris famæ locum obtinuit, Michael Dux Viſniouecius, conſiliorum prudentia eximius. Is quum per multos annos Conſtantino Oſtrogio, alæ præfectus, operam nauaſſet; illique prælio cum Tartaris ad Lopuſnam, vna cum filiis ſuis interfuiſſet, vbi viginti quinque millia barbarorum cæſa fuerunt: proprio etiam ductu Tartaros, non vno in loco feliciter profligauit; vſque adeo egregie, vt priſtinum Sarmaticæ dignitatis decus, quod corrupta ſenſim diſciplina, ab obitu Conſtantini Oſtrogii perierat, inſigni cum laude reſtitueret. Nam fortiſſimus & generoſiſſimus quiſque, ſpe laudis, ad eius ſigna coibat, atque ita effecto ingenti veteranorum equitum agmine, vltro in Cherſoneſum Tauricam excurrebat; barbaros populabatur, trucidabat, Chriſtianoſque in ſeruitute

uitute illorum detentos sæpissime liberabat. Cum autem in eum ipsum tempestas hostilis irrueret, in insulam quandam Borysthenis sese recipiebat: quæ in hodiernum à Cosachis Zagorosensibus possidetur, vocaturque Insula Visniouecii. Hac igitur laude Visniouecius conspicuus, quum iam senectute grauis esset, & multa copia honorum, tandem vita excessit; tumulatusque est Visniouecia, suæ tribus sumptuosissimo sepulchro ab se condito; cui par virtutibus epitaphium inscribamus.

Dis. Man. S. Michael Dux Visniouecius genere illustri, & vetere prosapia Principum Roxolanorum. Largus animo, & par opibus: vigens ætate, cultu modicus, sermone facilis armorumque studio, & multis fortibus factis clarus. Postquam multos per annos, egregium vigorem, constantiam, & expertum bellis Tartaricis animum, Sigismundo I. eiusque F. Augusto, Regibus Poloniæ, probasset; in terris, vt cœlo frueretur, esse desiit. Anno.

CIII. DEMETRIVS VISNIOVECIVS.

DEmetrius Michaelis filius, in bellis exercitatissimus, & cuius nomen frequentes victoriæ apud Scythas, non solum celebre, verum etiam formidabile reddiderant; regnante Sigismundo Augusto, à Valachis ad principatum vocatus fuerat. Dignus profecto ea fortuna Princeps, vtpote virtutibus & animi magnitudine, itemque liberalitate, cum optimis quibusque omnium sæculorum principibus comparandus. Cæterum tantæ virtuti, immitis fortuna obstitit, & non diu potitum, in præceps subito deiecit. Siquidem Solimanus Turcarum immisso grandi exercitu, principatu eum post aliquot prælia & velitationes, deturbauit facillime imparatum. Circumuentus itaque insidiis Barbarorum, in potestatem hostium deuenit: qui eum durissimo peruigilio diu torserunt. Tyrannusque ipse abdicata omni, vel regiæ clementiæ, vel iustæ humanitatis laude, quæ singularis fero eius ingenio proponebatur, crudelissime in eum statuit, vncoque ferreo in porta quadam Vrbis Constantinopolitanæ suspendi iussit. Cui inter dolores & tormenta constantissimo, & vel sola patientia. Christiana cœlum promerito, hoc breue epitaphium Cenotaphio erigendo scribamus.

Demetrius Visniouecie Dux. Virtute bellica, & rebus armata manu gestis, nulli veterum Heroum Secundus: & in quo omnia ad æternitatem famæ conspirant: quum dacorum votis in Principem expetitus, haud diu dignitatem suam, otthomanica potentia fractus, tueretur: intrepidi sane, sed non valde memoris & cauti Ducis, decus meruit. Barbarique iussu, inaudito supplicio peremptus, in martyrum requiem, post exantlatas, L. circiter annis, huius vitæ ærumnas, euolauit. Anno.

CIV. IOANNES TARNOVIVS.

SEquitur vt etiam Ioannem Tarnouium Comitem, albo Heroum interſeramus, Palatinum primo Ruſſiæ, a Sigiſmundo I. Rege Poloniæ creatum, deinde Caſtellanum Cracouienſem, Principem ſenatus, & omnis memoriæ clariſſimum Ducem. Quem non tam vmbratilibus ſtudiis, quam virorum bellicoſiſſimorum conuerſatione delectatum fuiſſe, haud obſcure teſtantur Commentarii a ſe conſcripti, bellicæ rei documenta continentes, & ab ipſo rerum vſu petiti, dum in Africa, ductu & auſpiciis Emmanuelis Luſitaniæ Regis militaret. Tum in patriam reuerſus, copiisque totius Poloniæ præfectus, obſeruare haud deſtitit, quod veteres philoſophi in re militari præſcripſere. Ac proinde tantum virtute profecit, vt non ſolum noſtros imperatores omnes, ſed etiam illos veteres externos Scipiones, Marios ac Maximos, bellica laude adæquaret. Cui perpetua fuit conſuetudo, vt quoties de re militari in concilio ſuo tractaret, literatos centuriones ac tribunos adhiberet: maxime eos qui Hoſtoriam norant: quum quidem ſubinde requireret, quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel aliarum gentium feciſſent. Siquidem non erat illi ſatis, quod geſta veterum didicerat, & domi quotidie lectitabat, quod viros omnis eruditionis principes in familiari conuictu aſſidue ſecum habebat: ſed etiam ab iis qui ſuum, vti dixi, participabant concilium, eandem peritiam exegit: etiam inter deliberandum de ſumma Reipubl. facta maiorum præclara voluit audire & doceri, atque demum poſteris ſcripto tradere. Ac ob id Chronicon elegantiſſime ſcripſit, quaſi non ſatis eſſet laudem meruiſſe, niſi dulcedo etiam gloriæ, famaque accederet. Cæterum quantum ad tractationem armorum, maximas res quaſuis, mira celeritate, ſilentio, & rara felicitate geſſit: & ſi quam ciuitatem obſeſſurus eſſet, aliamue militarem expeditionem ſuſcepturus, cunctos propoſiti ſui finem volebat celatos, dum tempus eſſet deſtinata exequi, vel propalari: Demens enim ac vanus ille eſt, qui priusquam neceſſe ſit, negotiorum arcana cum multitudine communicat. Igitur hoc aſtu Turcas, cum tredecim millia in Podoliam irrupiſſent, cum paucis cohortibus ſuis, ſilenti agmine aggreſſus feliciter profligauit. Bogdanum regulum Moldauiæ, Chotimiæ obſeſſum, Turcarumque ac Tartarorum auxiliis ferocem in verba Regis ſui, iurare coegit, & Pocuciam Polonorum prouinciam, ab illo poſſeſſam recepit. Itemque Petrum Vaiuodam, eandem Pocuciam armis repetentem, ad Guosdeciam primo, cum ſex millibus, deinde ad Obertinum, cum viginti & duobus millibus, deuicit quatuor millibus ſuorum, & tandem in arce Chotimenſi obſeſſum, cum tota nobili-

nobilitate Moldauica Regi Polono iusiurandum præstare iussit. Sicque sese gessit, vt Valachos diuersis præliis profligauit, & ad extremum regni finibus, magna cum sua laude depulerit. In Moscouiam quoque missus Starodubum vrbem munitissimam, quindecim millibus armatorum propugnatam, longe pauciori suorum militum numero, & virtute expugnauit. Itemque Radogostiam & Homiam firmissimas arces per deditionem accepit. Et paulo ante in Hungariam ablegatus, cum sex millibus, operam singularem præstitit Ludouico Regi; præstitissetque multo maiorem, si Hungari eius consilio vti voluissent. Dumque Ferdinandus I. de Hungariæ regno cum Turcis armis disceptaret, Tarnouium Ducem exercitibus suis præferre destinauerat, cuius ille iam se subditum fore declarauerat comparatis in Bohemia plurimis possessionibus opimis, ob potentiam nimiam æmulorum in Polonia. Etenim quis non sciat, maxime potestatis viros, quique communem hominum sortem excellunt, æmulationi, inuidiæque aliorum obnoxios esse? Sed fatum superueniens, cogitationes omnes facile cum vita ipsa extinxit. Ne autem vetustas temporum aut obliuio tanti viri memoriam extingueret, agnatorum grata posteritas, erecto marmore conseruandum curauit. Cui nos quoque superscribamus aliqua honoris & virtutis ergo.

Iacet sub hoc marmore, viator, laudatissimus regni Poloniæ Senator, Ioannes comes Tarnouius, Castellanus Cracouiensis, copiarumque sub Sigismundo I. eiusque F. Augusto, Regibus sapientiss. Imperator optimus: vir vt prosapia magnus, & vna cum Lecho, originem Ducens: ita doctrina inter eruditissimos numerandus. Cuius tot extant victoriæ, quot sunt regni Poloniæ inimici: tot trophæa, quot vindicatæ Prouinciæ: tot triumphi, quot ab illo sub iugum missi hostes. Decessit ex mortalibus, Anno.

CV. IOANNES CHODKIEVICIVS.

NOn indigna patre proles, Ioannes, Gregorii Chodkieuicii, Castellani Vilnensis F. viri tam belli artibus, ac scientia militari, quam multiplici rerum experientia insignis: non minus & ipse armorum peritia clarus, & magna dum vixit seueritatis fama. Qui tametsi ad seuitiam natus videretur, apprime tamen consortio eruditorum virorum afficiebatur; præcipue Stricouii Archidiaconi Samogitiæ, quod vir ille & facetus esset, & loco ac tempori optime inseruire sciret, iocisque atque salibus animum eius oblectaret. Is itaque regnante Sigismundo Augusto, campestris militiæ Præfectus, Petrum Suiscium, cum triginta millibus Moscorum venientem, iunctus Nicolao Radiuillo Duci militiæ supremo, ad Vlam prospere fudit.

dit. Et ab eo in Liuoniam missus, Archiepiscopum Rigensem, in Ducatum Transdunanum conuertit, & Canonicis Lutheri hæresim amplexis, prædia Ecclesiastica tanquam feuda ad hæredes transeuntia attribuit: nouosque Castellanos, & alios magistratus, ad Reipubl. Polonæ formam creauit; ipse totius Liuoniæ Gubernator a Rege in Comitiis Varsouiensibus, iuncto Curlandiæ Duce, renunciatus. In quo quidem officio & vitam expirauit, Stephano Bathoræo rerum iam potiente. Cui in Moscum expeditionem paranti, noningentos equites iamiam moribundus ipse, officii ergo summiserat: qui difficillimo illo bello durante, vti exercitati & veterani, magno adiumento Regi fuerunt. Sed addamus, si placet, epitaphium, quod fortissimi clarissimique viri sepulchro inscribatur.

Claudit hæc vrna, viator, Ioannem Chodkieuicium, Samogitiæ clarissimum Toparcham, totiusque Liuoniæ Gubernatorem, ac Lituaniæ militiæ magistrum, priscæ seueritatis virum. Et qui militem operum & laboris ignarum, populationibusque tantum lætantem, veterem ad morem reduxit, ne quis agmine decederet, ne pugnam nisi iussus iniret: idem populis subiectis, ius diligenter & industriæ dixit; vt neque modestiores vnquam, neque iustiores illo Prætores in Liuonia extiterint. Habuit & alias virtutes vere Heroicas, quibus toto vitæ discursu clarissimus, hostibus etiam gratus extitit. Vixit &c.

CVI. NICOLAVS TALVOSSVS.

CHodkieuicio Samogitiæ Præfecto, Nicolaum Taluossum Samogitiæ Castellanum adiungamus: Virum fortem, & pace belloque illustrem, & gnarum antiqui moris. Cuius Rex etiam ipse Sigismundus Augustus, forti fidelique opera vsus, in Senatum eum, ob merita, adlegauit. Is cum esset vehementis spiritus vir, a puero statim castra Romani Sanguscii secutus, bellis Moscouiticis, miles primum, centurio deinde atque cohortium Præfectus, omnes pene gradus feliciter percurrit; cumque Gregorio Chodkieuicio, & Nicolao Radiuillo, omnibus quæ tunc occurrerant bellorum expeditionibus, legionis tribunus interfuit. Tum a Ioanne Chodkieuicio militiæ Magistro, cui intime adhærebat, in Liuoniam missus, sex millia Suecorum ad villam Kirempe, haud procul a Reualia, ad internecionem pene deleuit, & cum spoliis opimis ad Chodkieuicium, atque captiuis hostium, victor rediit. Siquidem Taluossio ille, modo labores & discrimina, mox & gloriam communicabat: sæpeque parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex euentu præficere solebat. Nec Taluossus vnquam in suam famam gestis exultauit, ad auctorem & Ducem, vt minister fortunam referebat. Quod faciendo, indies ipse illustrior

ſtrior fiebat: donec fatum ſuperueniens, viridi ſenecta florentem oppreſſit. Cui nos quoque epitaphium integritatis atque virtutis ergo ponamus, quod nusquam præclaram iuſti officii pietatem vlla in re erga patriæ decus intermiſiſſet.

Nicolaus Taluoſſus, Samogitiæ Caſtellanus: Ioannisque Chodkieuicii, exercituum Lituaniæ Imperatoris, in Liuonia Legatus: vir manu & conſiliis ſtrenuus. Et in quo vno totius Antiquitatis memoriam, eruditionem, iudicium, & eloquentiam, Rex Sigismundus Auguſtus, admiratus, Sella eum Curuli donauit: Quam ille deinde obtenta de Suecis apud Reualiam, inſigni victoria, longe illuſtriorem reddidit: & tandem ex Ophtalmia animo linquens, ſatisfecit naturæ, ſexto Kal. Nouemb. M D LXXVIII.

CVII. STEPHANVS BATTHOREVS.

NAtus eſt Stephanus Rex Anno Chriſti 1533. V. Kalend. Octobris, ſub Ioanne Rege Hungariæ, Stephano Batthoreo, Palatino Tranſyluaniæ, patre: Catherina Thelegdia, matre, auis & parentibus clariſſimis. Fratres habuit germanos duos, Andream & Chriſtophorum: hunc Palatinum Tranſyluaniæ a ſe factum: illum Iſabellæ Reginæ Hungariæ, ſupremum palatii præfectum. Optimarum artium, & humanitatis ſtudia, domi primum attigit; & in iis tantos profectus fecit, vt maximam virtutis & ingenii ſui expectationem apud omnes excitaret. Demum a domeſtica diſciplina, ad aulam Ferdinandi Cæſaris profectus: tantique inibi æſtimatus, vt Catharinæ Cæſaris filiæ, Mantuam ad maritum deducendæ, honoris gratia, adiungeretur. Latini itaque Italici atque Germanici ſermonis peritus, ita, vt ſcribere & loqui eleganter ſatis poſſet; mores inſuper populorum externorum, & aulas Principum pernouit. Hoc eſt, Caroli V. Imp. Ferdinandi & Maximiliani Cæſarum, Ioannis Regis Hungariæ, Principumque Germaniæ & Italiæ nonnullorum; vnde ſibi vſum rerum gerendarum, & prudentiam ingentem comparauit. Ob quam, redux in patriam; ſummo in honore apud omnes, apud Ioannem vero Tranſyluaniæ Principem in gratia habitus, copias eius ductabat, & Faradino præfectus fuit. Ardenteque patria ciuili bello ob duos ſimul Reges electos, Ioannem nimirum & Ferdinandum, multa pericula adiit, multoties manus cum hoſte conſeruit: ſæpius inſtabilem fortunam expertus. In pugna etenim ad Hadanum, aliquot lethalia vulnera accepit: & cum Nartendio decertans, non modo prælio victus, ſed captus etiam, & compedibus iniectis male eſt habitus. Non deſpondit attamen animum, vel illius Polybiani memor. Qui in aliquem caſum inciderit, ſi id animoſe fortiterque tulerit, plerum-

plerumque fortunam ſuam in melius mutat. Quapropter non militaribus modo ſtudiis, fortunam ſuam ſubleuare voluit, ſed prudentia quoque ciuili, conſilio, iudicio, legationibusque ad Ferdinanandum & Maximilianum Cæſares: quibus peractis, & fidem & induſtriam ſuam patriæ probauit. Verum tamen & hic aduerſam fortunam agnouit. In ipſa etenim legatione, obturbatas, ſe abſente conditiones pacis, iuſſu Cæſaris Viennæ captus, & vltra biennium, ſub cuſtodia fuit detentus. Caſparo Belcieſſio, vt aiunt, authores cui Stephani virtus formidoloſa eſſe cœperat. Cæterum quia fortis præcipue & magni animi eſt, conſtanter & æquiter ferre extrema quæque, & Fortunam nouercantem rectis æquisque oculis adſpicere: idcirco Stephanus, minime hoc infortunio permotus, totum illud detentionis ſuæ tempus, tum antiquitatis eruditæ monumentis, tum ſummis viris in aula Cæſaris, legatisque externis cognoſcendis impendit. Inter quos etiam erat vnus, Franciſcus Craſinius, Sigismundi Auguſti Regis Poloniæ, apud Cæſarem tum Orator, qui pro Stephano, in libertatem aſſerendo magnopere laborauit. Ioanne itaque Principe Tranſyluaniæ è viuis ſublato, non e blanditis, ſed enucleatis omnium ſuffragiis, ad Principatum euectus, Belcieſſium ipſius Ioannis deſignatione, eodem aſpirantem, armis aggreſſus, arcem eius Fogaraſſum intercepit: eoque ipſo vix fuga elapſo, in ſuam poſſeſſionem accepit, & præſidio imminuit; atque omnem illum Tranſyluaniæ motum compeſcuit. Cumque Maximiliani Cæſaris copiis adiutus, bello repetere Tranſyluaniam vellet, non modo eum vicit prælio, fugauitque: ſed regnum inſuper Poloniæ, occulta quadam fatorum via, obtinuit, cunctis in eum conſentientibus; qui primo Maximilianum Cæſarem, per Archiepiſcopum Gneſnenſem more patrio Regem renunciauerant. Igitur Maximiliano dum adeundæ Poloniæ modum, cum ordinibus Imperii, in comitiis Ratisbonenſibus diſquirit, fatis è vita ſublato, Belceſſius dum nullibi refugium habet, & Stephanum ſupplex accurrit, & non modo culpæ veniam, ſed egeſtati etiam ſuæ, luculentum inuenit perfugium. Cum itaque morte Cæſaris, certum iam ſibi regnum feciſſet, Gedanenſium imprimis temeritatem reprimendam ſtatuit: quos opido Derſanienſi prælio fregit, & aliquot menſium obſidione, ad officium reuocauit. Deinde Magnum Moſcorum Ducem, Ioannem Baſilii filium, Liuoniam atque Lituaniam, Regni Poloniæ prouincias inuadentem, bello repellere, timidosque eius conatus contundere propoſuit. Ac imprimis Polociam Lituanis aliquando ademptam aggreſſus eſt; atque vna eademque expeditione Socolam, Suſiam, Cozianam, Nieſcerdam, Craſnam, Vſuiatam, aliasque complures hoſtiles arces & munitiones in poteſtatem ſuam redegit.

Cæsisque aliquot hostium millibus ad internecionem, nonnullos eius ore proceres, & copiarum ducem Seremetum, Viluam in triumphum duxit. Vere autem adulto, iterum per inuia & immensa terrarum spacia exercitum ducens Velicolucos, Neueliam, Zauolociam, vniuersamque prouinciam illam subiungauit, hominum millibus aliquot, qui obstinatius se defenderant, interfectis, magis furore Martis, quam ira vindictæ. Tertio demum progressus cum exercitu ad Plescouiam, primo assaltu Ostrouiam, munitissimorum arcem expugnauit: nec mora & Plesconiam ipsam irruptione pertentauit. Donec cura & auctoritate Pontificis Maximi, ad pacis conditiones reuocatus, præmium victoriæ, Liuoniam vniuersam à Tyranno acciperet. Et sic tribus expeditionibus, tres prouincias florentissimas, quibus incubabat quoque Basilius ille tyrannide inclytus, à Ioanne filio eius, paulo mitiore, recuperatas, in libertatem pristinam asseruit, Polociam scilicet, Velisiam & Liuoniam. Atque ita vniuersam Poloniam pace tot annis desiderata donauit. Tum demum ad constituendam Remp. totum se conuertit. Sed vt sunt fallaces spes hominum, contracto ex asperrima venatione fatali morbo paucis diebus absumptus est, qui totus in eo erat vt Turcis bellum inferret. Cuius memoriæ honores, quamuis large ab Senatu decretæ fuissent: nos tamen more nostro affigamus Cenotaphium loculo, in quo armatibus conditus Grodma, Cracouiam translatus est.

Habet hic loculus, viator, Thesaurum maximum: nec odor quem sentis ex aromatibus est, ne forte nescias, sed ex virtutibus eximiis, quibus efflorescit, quæque concertant inter se, in Harmoniam odorum singularem.

Fragrat hic admirabilis fortitudo, cum egregia membrorum proceritate, ac vultus totiusque corporis dignitate.

Hic latet, qui eximiis animi, corporisque dotibus, melius quam Nardo, Myrrha, casia, opobalsamo conditus est. Qui animi moderationem, in ipso vertice rerum humanarum tenuit. Qui hostes dominandi libidine inflammatos, potentia feros, vicinitate infestos, fama rerum gestarum formidabiles aliis, sua virtute perdomuit. Qui denique bello clarus, pace iustus, consilio grauis, & animo semper inuictus extitit.

Hic vt verbo expediam, Stephanus Batthoreus est, ille Sarmatici orbis deliciæ, illud Transyluanicæ gentis decus, illud columen ac firmamentum Lethiticæ gentis: Ille Hungarorum & Polonorum parens: Ille clarissimus tyranni Moschouitici debellator: Ille denique, qui vere audiit pater patriæ: & qui aucta Velisio atque Polocia, Lituania, recuperata Liuonia: pacata Podolia: Mechmete & Aschlancherei Tartarorum chamis perterritis: Podkoua & Iancula Valachis castigatis: Amuratis Turcæ minacissimis legationibus contemptis: omnium Regum, Principum, & populorum, nationumque ora in se vnus conuerterat.

Hic inquam, expletis LIV. ætatis ſuæ annis, cum toto decennio & ſeptem menſibus regnaſſet, anno ſalutiferi partus MDLXXXV. Idibus Decembris, breuem huius æui gloriam, æterna commutauit.

CVIII. NICOLAVS MELECIVS.

STephanum Regem, ſequitur copiarum ſuarum ductor Nicolaus Melecius, Podoliæ Palatinus: vir fortis, ac genere, ingenio, opibusque præſtans. Is regnante Sigismundo Auguſto, Bogdanum Principem Valachiæ eiectum à ſubditis, in Valachiam deduxit, & ad Tyram fluuium à Turcis atque Dacis ipſis circumuentus, rem ſtrenue geſſit, exercitumque magna cum laude incolumem reduxit: Tartaros quoque Podoliam vaſtantes ſæpius fortiter repreſſit, ſuorum & hoſtium vires prudenter conſiderando potius, ac conſeruando, quam temere cum impari numero confligendo. Iam autem quis neſcit? difficulter eum vinci poſſe, qui de ſuis & aduerſarii copiis, ſimul etiam de locorum ſitu & ingenio certo poteſt iudicare? Prouidebat itaque, vt potius in nocendo aliquid omitteretur, quam cum aliquo militum detrimento noceretur. Quapropter licet centum millium armatorum, exercitum in expeditionem Liuonicam duceret, ad pacis tamen conditiones Magiſtrum Crucigerorum confugientem, bellumque deprecantem, pacificæ potius ſub tutelam Regis recipere maluit, quam munitisſimas vrbes expugnando gloriam inanem quærere, aut militibus ſuis aliquod detrimentum difficili bello inferre. Bello tamen Moſchouitico ſub Stephano Rege, quam hoſtes pertinacius ſeſe defenderent, acrius inſiſtendum putauit, & ſatis inluſtrem, rebus ad Socolum bene geſtis, adeptus adoream. At pro ſecunda expeditione, honorum ſocietatum, ac requiem laborum prætendens, excuſauit apud Regem ſe ire in Moſcouiam poſſe; atque ſimul fortunæ nobilitatem ſecum contemplans, decreuit ſe imperio abdicare, & in priuatam ſecedere vitam, qui omnibus copiis præfuit, quando Polocenſis terra ab hoſte eſt recepta; cum quisque de rebus futuris ambiguus ſit, ille non expectauit incertæ vicisſitudinis aleam. Raro enim permanent vsque ad exitum ſucceſſus. Vbi tamen fortibus & bonis honos exhibetur, ignauis vero & nequam hominibus pœnam irrogatur, bonam illic ſpem vouere exercitum neceſſe eſt: nam iſti quidem peccare metuent, illi vero fortiter faciendo gloriam ambitioſe adfectabant. Sed cohoneſtemus ſepulchrum, tanti viri, hac breui Epigraphe.

Nicolaus Melecius, Podoliæ olim Palatinus, & copiarum Regni Poloniæ ſupremus præfectus: hoc paruo contegor tumulo. Quæque ſuperis, naturæ, patriæ

patriæ chariſſimæ, Regi meo, & amicis debui: Perſolui. Hoſpes, ſi pie patriam amas, quæſo ne inuideas: optime enim noſti, vltra vires, neminem agere poſſe.

CIX. PHILO KMITA.

PRoducamus & Philonem Kmitam, Smolenſci Palatinum, qui regnante Sigismundo Auguſto, non impigre operam ſuam bellis Moſcouiticis Nicolao Radiuillo Copiarum Duci præſtiterat, ciuiliumque rerum ſcientisſimus erat, natura & inſtitutione factus ad gerendum Rempub. Igitur in ſenatu cooptatus, non ſolum ex prima nobilitate, ſed & virum ſe eſſe demonſtrabat: nam & proceritas corporis, & honor capitis, & dignitas oris longe lateque purpuratum oſtentabant. Qui loquebatur etiam ita elato, ab ingenti virtutum ſuarum fiducia, animo, vt nullum ferox verbum excideret; ingensque omnibus quæ ageret, cum decor ineſſet, tum fides. Is igitur exorto denuo contra Moſcouitas, ſub Stephano Rege, bello, diuerſas, hoſtium prouincias, ſecundis populationibus peruaſtauit, ad Starodubum præſertim & Nouogardiam; vbi & arces munitiſſimas Pocopouiam videlicet; Chelmam & Ruſſam fortiter expugnauit. Cumque ſemel in agrum Smolenſcenſem, cum mille ſeptingentis leuioris armaturæ equitibus, quos vulgo Coſachos dicimus, excurriſſet, offenſis decem millibus hoſtium, qui in Lituaniam prædandi cauſa ibant, nonies acie cum illis decertauit, & multis ex eis occiſis, captisque nonnullis præſtantioribus, paucis ſuis deſideratis Orſam ſe retulit, & aquilam captam Regi Stephano Victoriæ teſtem Varſouiam miſit, totoque bello Moſcouitico, cum ſuis cohortibus durans Ioanni Famoſcio copiarum Duci operam egregiam nauauit. Cui ob indolem & virtutes hoc breue epitaphium ſcribamus.

Claudit hoc ſaxum, viator, clariſſimum Sarmatici Senatus virum, Philonem Kmitam, Palatinum Smolenſcenſem: animi magnitudine, armorum peritia, antiquis ducibus æquandum. Qui multos per annos, apud Sigismundum Auguſtum, & Stephanum Battoreum, inclytos Poloniæ Reges, ſecunda fama militabat: inſignemque de Moſchis, in agro Smolenſcenſi, exigua ſuorum manu, victoriam reportauerat, quam nulla vnquam ætas tacebit. Abi, & manibus defuncti, quietem apprecare.

CX. ANDREAS SAPIEHA.

PAr & idoneus, peragendis haud exigua momenti negotiis, Andreas Sapieha, Nouogrodenſis primum, deinde Polocenſis Palatinus, ob ingenii

promptitudinem ac dexteritatem, a Sigismundo Augusto in Senatum cooptatus. Hunc Nicolaus Radiuillus Copiarum Lituaniæ summus Præfectus, principio gubernationis, in subsidium regiminis, bonum militiæ socium, victoriis clarum, scientia præstantem, tribuni dignitate decorauit. A quo legatus in Liuoniam, Stephani Regis temporibus missus, viginti quatuor Moschorum millia, cum Matthia Dembinio, ad Vendam, vix quatuor millibus suorum, profligauit, duosque illorum Palatinos, cum alii duo profugissent, captos ad regem deduxit. Signa omnia militaria & tormenta bellica currusque infinitos, cum opima præda accepit. Quem priscum ad morem disciplinam castrensem seruantem, pacisque artibus optimum semper, hoc breui elogio cohonestemus.

Andreas Sapieha, Palatinus Polocensis, ob eximias ingenii, iudicii Doctrinæque dotes plurimi æstimatus, profligatis in Liuonia XXIV. Moschorum millibus, æternum, paremque virtutibus suis locum, inter Heroas promeruit: exactisque LXX. circiter ætatis suæ annis, plenus honorum, vita excessit. Anno MDCXIV.

CXI. IOANNES SAPIEHA.

IOannes Sapieha, Andreæ Palatini Polocensis ex fratre nepos, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Ætate vero maturior, bellis Liuonicis, sub Nicolao Radiuillo atque Carolo Chodkieuicio, cohortis vnius Præfectus, contra Suecos militauit. Bello deinde ciuili exstincto, quo tanquam tempestate quadam, cætera omnia concutiebantur, semper constans propugnator optimarum partium fuit. Et Demetrio exule in Moscouiam a Polonis reducto, cum omnia fatali bello permiscerentur, & Demetrius a suis subditis occisus esset, Moscouiaque fere vniuersa cum vrbe metropoli a nostris possideretur; Ioannes a commilitonibus suis Dux electus, admirabili quadam laude, equitum phalangi præfuit, vt non modo opinionem vicerit omnium, quæ de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. Multis siquidem in locis rebellantem nostris Moschum, cladibus maximis affecit, profligatoque ad Troiczam Suiscii Tyranni exercitu, cæsis vna acie octodecim millibus, maiorum suorum claritudinem, quorum fidem in Regem nulla vis tempestatis libauit, egregiis facinoribus editis, tanto magis illustrauit, quanto plura ex hoste trophæa bello illo reportauit, in quo tot viri eximii ac Megistanes militauerant, cum tanta diuersarum rerum varietate, tantaque mutatione fortunæ. Vbi & ille laboribus confectus, vitam expirauit, fama meliore, quam fortuna: siquidem pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque

que

que gloriæ, vehementius quam caute appetebat. Cui ob egregias dotes & virtutem, hoc breue Epitaphium ſcribamus.

Ioannem Sapieham, Præfectum Vſuiatenſem, ſtrenuæ fortitudinis virum, amantemque militiæ, ne immortalis fieret (id enim de ſe promittebat, relicta a ſuo cognomine, bello Moſchouitico, ſecta militari) anno æræ Chriſtianæ MDCXII. immatura mors extinxit, nec ſiuit patrios inuiſere Lares. Tu qui legis, ne patere tanti viri Manes in hoſtico errare; ſed ſi pius es, apprecare quietem in cœleſti illa atque æterna patria.

CXII. FRANCISCVS SVCVS.

REge Stephano bellum cum Moſcho ad Polociam gerente, Franciſcus Sucus, qui per totam fere ætatem, ſub Gregorio & Ioanne Chodkieuiciis, arma inſigni cum laude tractauerat, collecto in confiniis Lituaniæ atque Ruſſiæ Albæ, globo Coſachorum, Craſnam arcem Moſchi munitiſſimam, vna cum caſtello, ſuda in nocte, ſcalis appoſitis cœpit. Similiter & Coſſianam, plenam commeatu atque inſtrumentis bellicis. Magnoque terrori deinceps hoſtibus erat, quod per cædes, incendia, vaſtationesque pagorum, vbique violentus & maxime pugnax enituiſſet. Nam robuſto ingentique corpore firmiſſimus, validisque ideo & prægrandibus vtens armis, ſicuti ingenio vigilanti, acutoque maxime præſtabat: ita ante alios aſpera audacter aggredi, & pugnam impigre ciere erat ſolitus. Atque ob id lingua Roxolana Suk, hoc eſt denſior pars arboris & ad diſſecandum durior, a ſuis commilitonibus fuit cognominatus. Et quia id bellum, propter rei frumentariæ difficultates, & propter cœli inclementiam difficillimum fuit, ille magnam, Ioanni Famoſcio Pleſcouiam obſidenti, in conquirendo & aſportando commeatu, operam præſtitit; ſæpiusque ſuper virtutem hoſtium, locorum quoque difficultates eluctatus, tandem ex magnis illarum Regionum frigoribus in morbum repentinum incidit, & in caſtris ad Pleſcouiam febre conſumptus eſt. Tumulum eius hoc Epitaphio cohoneſtemus.

Claudit hæc tumba, viator, Franciſcum Sucum, egregiæ fortitudinis virum: cuius capaci animo, nec a literis abhorrenti, vices rerum, & experientia pugnandi, multam ſolertiam impreſſerat. Qua inter militares viros clarus, & rerum, bello Moſcouitico, ſub Stephano Rege geſtarum, fama illuſtris; in caſtris ad Pleſcouiam fato cedens, cum bellicis laboribus, tum ardenti gloriæ cupiditati ſuæ, finem impoſuit, Coſachi certatim collachrymantes, Ductori ſuo deſideratiſſimo, ob egregias dotes & res fortiſſime geſtas, hunc tumulum honorarium excitarunt.

CXIII. ERNESTVS VEIERVS.

QUanquam plurimos eximios viros, lætus frugibus Borussiæ ager, & validissimo populo grauis, ad ornatum Septentrionis, produxerit; quorum progenies & cognomina, virtus & fortia facta satis nobilitarunt. Singularem attamen laudem Veierorum domus promeruit: inter hos autem, fama & dignitate, præcipuus Ernestus fuit. Qui & mores diuersorum populorum pernouit, & linguas complures peregrinando didicit, & ad bella conuersus, egregiam operam in Liuonia Regi Sigismundo Augusto præstitit; cœpitque in quadam pugna velitari, Christophorum Ducem Megapolitanum: qui postea sex annis Rauæ in Masouia detentus fuit. Igitur negotiorum vsu exercitum, Rex in Senatum adscripsit: iuuenem quamuis, sed cui aderat facundia rotunda, eruditio admirabilis, ingenium ad omnia promptum, fortuna, comitas; tum in hilari ac iuuenili animo vis matura consilii, & cætera bona, propter quæ senectutem laudamus. Quarum hercle rerum præsidio Stephano quoque sapientissimo Regi magnopere placuerat, & cum Gedanensibus bellum gerendi, ad obsidionem vrbis & arcis maritimæ, quam Pharum vocant, multum commodauit. Itemque bello in Moschouiam translato Germanicum militem Tribuni titulo deducebat, & ad Polociæ obsidionem magno adiumento fuit; & non solum ex prima nobilitate, sed præterea virum se esse ostendit. Quem tandem fato functum Ioannes filius paternarum virtutum hæres apparatissimo funere laudauit, sepulchrumque ei, cum fratribus reliquis pietatis ergo, maxumis cum sumptibus, ædificandum curauit; cui hoc breue Epitaphium inscribamus.

Ernestus Veierus, inter Proceres Borussiæ potentissimus, Nobilitateque & opibus supra priuatum: Regnantibus in Polonia, Sigismundo Augusto, & Stephano Batthoreo, bellis Liuonicis, atque Moscouiticis clarus: Gedanensis quoque rebellionis tempore, fidem maiestati & patriæ, incorruptam præstiterat: semperque inter viros literis, armisque præcipuos habitus; quam viuus nequiit, mortuus inuenit requiem.

CXIV. IOANNES VEIERVS.

ERnesto ad superos euocato, successit Ioannes filius, qui indole & virtutibus, magnum patris genium patriæ referebat, strenuus & par negotiis, belli & pacis artes callebat: inuenireque amicitias, & colore optimus, etiam cum diuersæ gentis aut linguæ hominibus. Sic enim natura mortalium instituta est, vt liberalibus ingeniis sit facilis conciliatio. Et vt bellica

bellica laude, inter Prussiæ incolas, nemo Veieris fuit præstantior, sic quoque & in extraneos nemo munificentior illis visus est: qui magna post prælia, saucios largitione & cura sustentabant, postremæque in mortuos pietatis officia non modo non negligebant, sed etiam exemplo suo incitabant alios ad similem virtutem. Ac præcipue Ioannes noster, qui prius neminem vlla arte, quam humanitate & obsequio superabat, paternæque virtutis indole, ad summos militiæ honores, vel in iuuenili ætate properabat. Fuit etenim vir liberalitatis eximiæ, per omnem ætatem, indomitique laboris atque animi, ad omnes fortunæ casus firmissime compositi. Qui primam expeditionem, cum Serenissimo Rege Sigismundo III. in Sueciam susceperat, strenueque sese in bello illo pro eius maiestate gesserat, etiam cum vitæ extremo periculo, cum globo bombardæ æneæ in brachium percussus esset. Reuersus inde, postquam conualuerat, in Hungariam statim aduersus communes hostes Turcas subsidio rei Christianæ cum sua cohorte abiuerat. Tribunusque militum factus in Moldauia atque Valachia, contra eosdem barbaros acerrime stetit, gloriæ auidus, atque omne belli decus sibi retinens. Inde reuocatus, iterum a Rege in Sueciam præmissus fuit, Stocolmiamque Metropolim illius celerrime occupauit, rebellesque mari & terra sæpius profligatos, ad obsequium coegit. In Moscouia quoque ad Smolenscum, rem strenue gessit, & colubrina e muro percussus, voto ad Diuam Loretanam concepto (quod & exoluit postea religiosissime) miraculose incolumis mansit. Demum contra Osmanum Sultanum cum Principe Vladislao progressus, legionem peditum Germanorum ductauit, & fortiter e vallo ad Chotimiam propugnans, complures Turcarum occidit, atque eos inter Caracas Bassam, castra nostrorum acerrime insilientem, quo tempore nusquam, sacro Missæ officio non audito ad prælium prodibat. Multisque a Rege honoribus præditus, etiam legationem ad Regem Danorum prudentissime obiit. Et in Senatu dicenda sententia plurimum valuit: prouidebatque semper imminentia Reipubl. pericula: securi imperii non aliud certius esse pignus dicens, quam paratum & semper in castris exercitum: & qui classi etiam impositus, Septentrionis latus tueretur. Sed nos virum de patria optime meritum scripto Epitaphio cohonestemus, licet eum satis per se, verissimæ triumphus gloriæ per posteritatis seriem in offenso cursu euehat.

Ioannes Veierus Palatinus Culmensis, Pucensis Sluchouiensisque Præfectus. Flos & soboles Nobilitatis Pruthenicæ, dignaque proles magno parente. Qui bellis Hungaricis, Suecicis, Moscouiticis, Turcicis, Moldauicis, Valachicisque semper cum laude, Tribuni officio interfuit: Militariumque ac ciuilium artium peritus, dicenda sententia in Senatu plurimum valuit. Atque ob id, cunctis

cunctis charissimus, posterisque æternum colendus ac desiderandus. Ex hac turba & colluuione, in aliud animorum concilium cœtumque anno reparati sæculi MDCXXVI. profectus est. O patria, si tu modo bellatorem hunc habuisses, ille tibi ornamento & emolumento dubio procul fuisset. Sed, o quam raræ, in mortalibus huiusmodi gemmæ! quam sæpe contemptæ, ab ingeniis, quæ ad seruitutem facta! Abi, viator, & si virtuti amicus es, dole sortem magnorum virorum.

CXV. IOANNES ZBOROVIVS.

IOannes Zborouius, primis militiæ annis, apud Moscouiticos exercitus inclaruit, cum cohortis vnius ductor, interesset illi ad Neueliam prælio, quando Stanislaus Lesniouolscius, temporibus Sigismundi Augusti, mille quingentis militibus nostris, quadraginta Moschorum millia in acie profligauerat. Eius itaque præceptis imbutus cum à Rege Stephano, contra Gedanenses, cum aliquot cohortibus in Prussiam præmissus esset, celeritate vtendum ratus atque fortitudine, ingentes rebellium copias audacter ad Dersauiam aggressus, fœda eos strage affecit, & bellum illud totum, in paucis diebus feliciter confecit. Et hoc est quod M. Tullius inter præcipuas boni Ducis dotes, exigit fortitudinem in periculis, laborem in negotiis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo. Quæ singula in Ioanne Zborouio obseruare licuit, cum à Gedanensibus inopinato sane fuisset circumclusus, non ex integro duo millia armatorum habens: & nihilominus tamen ita se gessit, vt octo circiter millia ex hostibus cæsa in acie fuerint. Etenim in rebus asperis, inquit Liuius, & tenui spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt. Quare Rex prudentissimus iterum eum bello Moscouitico, prætoriæ cohorti præfecerat: Senatuique ob egregias animi dotes ab Augusto adhuc Rege, vna cum fratribus, adscriptum, opimis possessionibus & præfecturis ornauit. Fuit etenim Ioanni dissimili morum genere, & pari prope gloria militari præconio celebratus Christophorus frater: nec non & Samuel, cæterique: Ast tamen Ioannes, & Christophoro & Samuele, aliisque Germanis fratribus, qui pugnacissimi Duces fuere, in omni imperii militaris munere implendo, potior existimatus est. In eo siquidem Polonorum procerum nobilissimo, apprime grauis & considerati Imperatoris decus enituit, quod proculdubio ad antiquæ Sarmaticæ virtutis specimen referri posse plerique existimarunt. Quandoquidem in eo multa militaris consilii vis, egregiaque constantis animi probitas, & recti honestique appetens moderatus animus conspiceretur. Quapropter virum tam magnum prætererire illaudatum nefas reputans, hac breui eum epigraphe cohonestemus, quam-

uis

uis veram virtutem non egere laudibus humanis sciamus, cum ipsa secum ducat suam laudem ac decus: cæterum qui nihil gerunt præclari; his opus est præconibus. Sed ad institutum nostrum.

Ioannes Zborouius, gente nobilissima, cognatione plurima, affinitate infinita, ingenio præstantissimo, animo inuicto, opibus maximis & honore: hoc est, Palatinus Cracouiensis, Prætorianorumque apud Stephanum Regem Præfectus. Decus & ornamentum Sarmaticæ Nobilitatis, Ne post mortem, cura sollicita, sepeliretur ab amicis, qui in vita, nullius rei, præter virtutem appetens erat, hac humo suppofita, sua ossa, poni curauit.

Hic vt paucissimis Polonorum cohortibus, validissimum Gedanensium exercitum ad Dersauiam profligauit, ita per omnes circumvicinas gentes opido inclaruit, vt illo nemo bellica laude tum præstantior existimaretur.

CXVI. GABRIEL HOLVBCVS.

IS obscuro loco, & parentibus agrariis in Lituania natus, virtute ac calliditate singulari, conflata Cosachorum haud contemnenda manu, sub Radiuillo copiarum supremo generali, toto Moschouitico bello temporibus Stephani Regis, vltro sine stipendiis militauit, fama sola & preda ex hoste contentus, Præstiteratque sæpius egregiam operam difficillimo bello illo, vbi non solum cum hoste, verum etiam cum elementis ipsis luctandum erat. Cumque ad Stariciam cum septingentis suis progressus, in legionem Moscorum inopinato incidisset, & locorum difficultate circumclusus ab eis esset, iussis Cosachis suis ex equis discendere, ita fortiter pedes pugnauit, vt tria millia ex hostibus occideret, & se in libertatem cum suis assereret, arceque illa supra omnium opinionem, absque vllo damno suorum, facile potiretur. Sicque deinceps vigilantia sua, fortitudine, consilio & vi corporis, nomen optimi ducis promeruit, vt Moscouitico bello consentientis famæ nomine esset clarissimus, & à Poetis passim versibus celebraretur. Maxime vero cum Archiducis Maximiliani ad regnum Poloniæ adspirantis, Germanorum legionem intregam ducentis equitibus suis, ad Rabstiniam profligasset: à quibus variante deinde fortuna, ad Bicinam in Silesia, in conflictu globi sclopeto occisus est. Inferias more militari celebrauit ei ex templo Cosachorum legio: nos epitaphium adscribamus.

Viator, Gabriel Holubcus Cosachorum Ductor longe clarissimus parta de Moschis ad Stariciam, de Germanis vero ad Rabstiniam insigni victoria; vt est Fortuna alternis suo more lusibus iocabunda, ad Bicinam demum, fortiter dimicans, in acie occubuit. Et quem ei tumulum, pro tempore lugentes Cosachi posuere, conditus, diem resurrectionis operire statuit.

CXVII. IOANNES LOBODA.

ETsi plurimos viros, bellicis artibus insignes, Cosachi Faporosenses inter se habuerint, nullum tamen ferunt elatiorem animo fuisse Ioanne Loboda: qui statura mensuram mortalium prope excesserat: validissimique erant ei artus & proceritati non impares, trux vultus, ætas virilis, virium, animorum, militarisque & athleticæ artis ingens opinio. Itaque à Valachis subsidio contra barbaros accersitus, prosperam aduersus Scythas pugnam facit, pellitque in deserta. Iterumque contra Turcas euocatus, libentissime cum suis iuit, quod antea etiam Tartarorum inruptionem, nihil mutata in Polonos constantia pertulissent. Paulatim igitur rerum successu & imperandi libidine inflammatus, pulsis barbaris ipsi principatum Valachiæ inuasit. Ad quem è tota Russia, vt quis fortunæ inops, moribus turbidus, promptius ruebant: ipsique Cosachi, cum ex vsu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, & aliquando minuerentur, breuissimo spatio maximas perpetrarunt tres. Et parum abfuit, quin vniuersa vno ambitu Loboda potius sit Dacia. Qui licet rei bellicæ non mediocrem vsum habebat, quia tamen ebrietati & luxuriæ maxime deditus erat, puncto temporis rursus ab omnibus excidit: circumuentusque à Valachis inopinato, diu sese fortiter defendit, neque prælium omisit, donec desertus suis caderet. Raro enim permanent vsque ad exitum successus, præsertim vbi moderatio deest. Et hoc est quod alicubi aspirantes ad regimen monet Cicero, inquiens: Imperaturus, refrenet primum libidines, spernat voluptates, animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum dedecori, & turpitudini parere desierit. Quod ignobili genere natis seruare perquam difficillimum. Quo magis incitandi sunt, ne non animis cadant, si non ocyus è tenebris natalium emergant. Erigant se audenter, & cogitent alienis rebus, factisne, decorari neminem, sed suis quemque moribus æstimari: animum inquam, spe pulcherrima foueant, natalium obscuritatem quandoque à Principibus, vel Rebusp. decoratam iri. Non enim facit nobilem, ait Seneca, atrium plenum fumosis imaginibus. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Igitur licet plebei in Russia generis fuerit Loboda, magnis tamen Sarmatiæ nostræ bellatoribus inserendum censuimus, quia bellicis artibus clarus fuerat, imo medius fidius & pacis, nisi luxuria eas inquinasset, non contemnendus. Cui & epitaphium pro more nostro adscribamus.

Tegit hæc tumba, viator, Ioan. Lobodam, Cosachorum Zaporosensium ductorem: ignobilem genere, sed militiæ peritum: rudem sane bonarum artium,

tium, aſt robore corporis ferocem: deditum libidini & ebrietati, bellicis attamen laboribus non inſuetum, & in profligando barbaros felicem: virtutibus & vitiis obnoxium. Et qui principatu Valachiæ arrepto, facile ſibi claritudinem inter Sarmatiæ Satrapas, rebus fortiſſime geſtis comparaſſet, ſi perinde amorem inter populares, quam metum apud hoſtes quæſiuiſſet. Sed heu nefas; æſtate eadem, qua Daciam inuaſerat, ſuorum proditione, triſtia fata ſubiit.

CXVIII. IACOBVS STRVSSIVS.

MVlta claritudine generis & veteri origine conſpicua Struſſorum domus, improſpera ſemper fuit. Nullusque ſane illorum, prout & Herbutorum, aut pauci, ſua morte perierunt, ſed in acie quilibet, & pro tuino patriæ libertatis, a barbaris interempti propemodum omnes. Quod equidem ipſum, etiam in Iacobo Præfecto Chmielnicenſi videre eſt: qui cum Martino Camenecio Palatino Podoliæ, & primo cum fratre eius Nicolao, Palatino Cracouienſi & exercituum generali, bellis, Tartaricis, Valachicisque exercitatus, alarum cohortes ductabat. Et tandem cum Trzebinio incurſantes barbaros, Podoliæ populationibus prohibere cupiens, quum fugientes longius inſequeretur, quod laboranti nemo cito opem ferre poſſet, à Tartaris circumuentus, obtruncatus eſt, dum ſupremos indomitæ virtutis conatus ederet. Fieri enim plerumque ſolet, vt mentes elatæ rebus ſecundis, modum ſeruare non poſſint, nec facile aduerſa caſuum reputant, quibus fortuna ſemper arriſit. Atque hæc incunabula Iacobo, & veluti rudimenta erant maiorum rerum, cum iuuenem prima firmioris ætatis ſpatia ingredientem fatorum iniquitas extinxit. Cui virtutis ergo hoc breue epitaphium appendamus, quamuis ſciamus eius illuſtrem famam, nullo æuo conſeneſcere poſſe.

Iacobo Struſſio, apud Nicolaum Camenecium, exercituum Polonicorum imperatorem alarum Præfecto: inter Heroes Ruſſiæ, eiusque ætatis belli fulgura clariſſimo. Et maiorum ſuorum fato & adſueto, fama meliore, quam fortuna.

Qui in prælio cum Tartaris ad Voronouiam, fortiſſime dimicans, millenis barbarorum manibus diſcerptus eſt; Anno MDXX. cuius inclyta domus, quamuis infeliciſſimis temporibus noſtris iam extincta ſit, famam tamen illorum. Qui ſe toties pro Republica deuouerunt, ſeruabit æternam Hiſtoriæ genius, quam ad poſteros etiam propagatam, nulla vis, nulla ætas extinguet.

CXIX. IOANNES ZBARAVIVS.

HEroibus Sarmatiæ, Ioannem quoque Zbarauium inſeramus, virum integritate, induſtria, rectitudine conſiliorum, ac pleriſque aliis magni politici, duciſque laudibus, præ cæteris æqualibus ſuis, ornatum. Cuius maiores orti ſunt in Ruſſia familia vetere & honorata, atque ex principibus Lituaniæ: ſed quorum gloriam ille non ſolum æquauit, verum etiam longe ſuperauit, rei militari totus addictus. Quum enim ab obitu Regis Sigismundi Auguſti, minus intenta apud nos militia eſſet, ille omnium caſtrenſium munerum numeros, & callebat inter Roxolaniæ Megiſtanes ſolus, & cum erat opus, obibat; laboriſque inediæ, algoris, vigiliæ, patientia, & in excogitandis conſiliis ſollertia, inque exequendis celeritate, omnes ſua ætate anteibat. Idem locorum opportunitates occupare, ſuo tempore locoque prælium facere, hoſtem in alieno deprehendere, aciem ex vſu diſponere, & formam ex omnibus conuenientiſſimam illi dare, optime norat. His itaque ſtudiis eximius, cum non impigre operam ſuam aduerſus conatus hoſtiles impendiſſet, a Rege Senatui adſcriptus, Braslauienſis Palatini titulum geſſit: totoque Moſcouitico bello, vna cum fratre Stephano, Trocenſi Palatino Regi Stephano, egregiam operam præſtitit. Maxime ad Toropeciam & in expugnatione Socolæ, atque depopulatione tractus Czerniechouienſis: vbi ſuis cum cohortibus effuſus per agrum, ferro ac flammis cuncta peruaſtauit, Moſco nullibi prodire auſo. Ad quem miſſus a Rege Orator, vt iuramentum exigeret ab illo, fide & induſtria ſingulari, non vulgarem eſt famam conſequutus. Quam haud leuiter adauxerat, in Tartaros excurſione ſæpius facta, qui ante in noſtras terras excurrere ſolebant. Igitur ſecundis eos aliquoties præliis profligatis, multiſque inde gregibus abactis & captiuis liberatis, etiam Conſtantinum Oſtrogium, Palatinum Kiouienſem, ab eis arcte obſeſſum exemit, & cum præda profugientes, ad Zaslauiam profligauit: Demum gloriæ plenus ex hac vita placide diſceſſit, relicto magno bonis omnibus, & patriæ amantibus ſui deſiderio. Cui hoc breui ſcripto, pro meritis, parentemus.

Hoſpes, Ioannes Dux Zbarauius, Palatinus Braslauienſis: vir inter exactæ virtutis Imperatores potius, quam inter Senatores numerandus, ſi corporis, ac ingenii robur, & rerum contra Moſcum, & Tartaros, ſtrenue geſtarum, cumulum ſpectes: hoc marmore clauſus quieſcit.

Hunc, Anno. Fato functum, Georgius & Chriſtophorus, filii, æternum lacrymantes ſepulchro condiderunt, & omnes, Chriſtianis Heroibus deferri ſolitos honores, ei decreuerunt. Tu, manibus quietem apprecare.

CXX.

CXX. IOANNES ZAMOSCIVS

PRoximum quidem a Stephano Rege, exercituum imperatorem Ioannem Zamoſcium cenſendum putauimus, ſed interim occurrentibus aliis viris bellicoſiſſimis, huc vsque per incuriam diſtulimus. Virum in quo pietas & fortitudo, lenitas & magnitudo animi, rerum gerendarum prudentia, cum agendi celeritate, ex æquo certarunt: virum belli pacisque artibus laudatiſſimum: dignum quem prudentiſſimus Rex Batthoreus in oculis ferret: dignum quem Magnus ſuus ſucceſſor Sigismundus III. in precio haberet. Et qui in amicitiis exterorum quoque Regum, Ducum, Principum, procerorumque, non Chriſtianorum ſolum, ſed Machumetanorum quoque, quoad vixit, primas ſemper tenuit. Poſtremo poſtquam obiit, politicis, bellicæ rei ſtudioſis, veræ & legitimæ Hiſtoriæ amantibus, donec ſuus literis honos ſtabit, vnice dilectus & probatus erit. Namque ſolus fere noſtra ætate, veteris militiæ Romanæ peritiſſimus fuit: peragratisque cultioribus Europæ populis, tempore Sigismundi Auguſti, non minus honeſtis ſtudiis, & eloquentia, quam militiæ gloria, inter ſuos Sarmatas niteſcebat. Et qui erecto Zamoſcii nobiliſſimo gymnaſio, ſolus fere liberales diſciplinas e tenebris eruerit; quas nequaquam officere nobilitati, Polonos intenſo ſtudio edocuit. Belli vero Imperator a Stephano Rege conſtitutus, conſilia, curasque in oppugnationem Pleſcouiæ in Moſcouia, magno terrore vertit, gnarus vt initia ſui regiminis prouenirent, famam in cætera fore. Igitur hac in dies effloreſcente, facile totam Liuoniam ab hoſte recepit. Et Stephano Rege ad ſuperos translato, Archiducem Maximilianum, factioſorum molitione, ad ſceptra Poloniæ adſpirantem, & acie fortiter ſtrenueque profligauit, & reparantem vires in Sileſia, poſt aliquot ſecundas decertationes, ad deditionem coegit. Idem famoſiſſimum illum Moldauiæ bellatorem, Michaelem Vainodam, acie fuſum tota Valachia expulit. Kazigereumque Tauricanorum Chanum, cum tota potentia ſuorum, vicinorumque Tartarorum, venientem, in campis Cecoræ, repreſſit & pacem petere adegit. Iterumque aliquoties Ruſſiæ oras incurrentem, ſecundiſſimis prælíis profligauit. Et Carolum Sudermaniæ Principem, Liuoniæ prouincias armis occupantem, ſæpius acie fudit, & victum transmare pepulit. Multaque alia bella, contra hoſtes patriæ, tanta felicitate geſſit, nunquam vt ſub eius auſpiciis anceps victoria titubarit: in obeundis vero expeditionibus, dubium cautior, an audentior fuerit: & qui maximam diligentiam in exquirendis hoſtis ſui conſiliis habuerit; nec ad militiæ decora quemquam vilem, aut faſtu ſuo tantum tumentem admiſerit, ſed egregios viros tantum, erudi-

eruditos, ſobrios, & qui annos non plus ex faſtis, quam ſtipendiis ſuis numerare poterant, ſciebantque illo etiam abſente, ſeruare ordines, obſequi ductoribus, locum caſtris & pugnæ eligere, & plus reipſa præſtare, quam aut diſcurrere, aut aliis imperare. His igitur talibus ille conſilia ſua communicabat, aut in partem regiminis aſſumebat, vt cum illo ſuſtinerent onus belli, ne ipſe ſolus pondere negotiorum obrueretur. Et de rebus ab eo fortiter & egregie geſtis hactenus; nunc quod reliquum eſt, ſepulchrum illius Epitaphio cohoneſtemus.

D. O. M.

Piisque Ioannis Zamoſcii Sarii, Manibus, cuius nomen & decus ob egregia facinora, conſecratum eſt immortalitati. Et qui Reipubl. Polonæ, ſummus Cancellarius, ac militiæ Imperator factus, vniuerſos fere noſtræ tempeſtatis Duces, magnitudine animi, bellica virtute, totiusque ciuilis Humanitatis atque Prudentiæ præconia, ſine controuerſia ſuperauit. Quique omnium conſenſu, & a generis ſplendore, & ab inſtructu diſciplinarum, & a rebus geſtis, & ab ingenii monumentis, vir & Philoſophus nobiliſſimus, & vt ita dicam, Sarmaticus Epaminundas fuit. Hic igitur tantus, & ad immortalitatem natus, expletis ſexaginta tribus ætatis ſuæ annis, in alteram vitam, multo meliorem abiit; anno reparatæ ſalutis MDCV. & viuet ad omnem poſteritatem. Abi viator, & dic magni Herois Manibus, pia verba.

CXXI. IOANNES POTOCIVS.

ZAmoſcium copiarum Ducem, Ioannes Potocius, eius in Valachia Legatus, quo nemo illa tempeſtate militaris rei callidior habebatur, iure merito ſequitur. Qui regnante adhuc Sigismundo Auguſto, cohortis haſtatorum Præfectus, interfuit prælio cum Moſchis ad Neuelam, tum & alio cum Tartaris, ſigna Ducis Conſtantini Oſtrogii Palatini Kiouienſis ſecutus. Deinde Stephano Batthoreo ſceptris regni potito, omnibus Moſchouiticis bellis cum Ioanne Zamoſcio legionis tribunus durauit. Succedentque Stephano Regi, Serenisſimo Sigismundo tertio, & contra Maximilianum Archiducem, & contra Michaelem Moldauiæ principem, & contra Naleuaykum Coſachorum Ductorem rebellionem molientem, proſperus vbique adfuit, & Rozuanum illum quinque millibus Tranſyluanici equitatus potentem, aliquot cohortibus ſuorum fudit, & captum anno 1608. palo infixit. Relictusque a Ioanne Zamoſcio Legatus in Valachia, non tantum barbaros prouincia illa expulit. Verum etiam pulſo Michaelis exercitu, Simeonem Ieremiæ Valachiæ Satrapæ, vterinum fratrem, Moldauico principatui præpoſuit. Poſtque obitum Zamoſcii orto

bello

bello ciuili, ſemper conſtans propugnator optimarum partium fuit: Miſſusque in Valachiam, eie&tum a Turcis Ieremiam, ſuo principatui reſtituit. Et Regi in Moſcouiam cum exercitu proficiſcenti, Smolenſcum primum expugnandum eſſe ſuaſit; non ignarus inſtandum famæ, ac prout prima ceſſiſſent, fore vniuerſa. Vbi etiam ipſe cum ſuis cohortibus ſine Reipub. ſtipendiis adfuit, & in oppugnando operam egregiam præſtitit. Cæterum ante expugnationem, fato conceſſit, vir omni ſæculorum memoria digniſſimus. Et qui Chriſtianæ pietatis memor, in egenos & myſtas ſacrorum liberaliſſimus fuit: diuque ante obitum ſarcophagum ſibi conſtrui iuſſit, cum funebri ſuppelle&tile, vt perpetua mortis cogitatio eximeret à corde, vanum huius mundi faſtum, ſan&tas autem a&tiones agendas, dum viueret, admoneret. Vbi nos quoque ad valuas fani Epitaphium appendamus.

Ioannes Potocius Palatinus Braslauienſis hic quieſcit. Vir pacis & belli artibus, ſplendideque inprimis dignitatis, in caſtris adminiſtratione, clariſſimus: cui & forma corporis, dignitati congruens: & oris decus, & morum elegantia, adfuere. Præterea, laboris, inediæ, algoris, vigiliæ, patientia ſumma: Item iuſtitia, pietas, modeſtia, liberalitas: cæteræque Heroici animi dotes: Quarum ille ope, Familiam veterem & illuſtrem, intantum claritudinis èuexit, vt nemo maiorum ſit cum eo comparandus.

CXXII. ROMANVS ROZINIVS.

SEquitur ex eadem Podoliæ plaga, inſignis ille militiæ Dux, Ioannes Rozinius, bellis Tartaricis, apud Ioannem Zbarauium, Conſtantinumque Oſtrogium Palatinum Kiouienſem, cohortes du&tando exercitus, magni & acerrimi vir ingenii, pulcher aſpe&tu, decoraque facie. Is quamuis litterarum imperitus eſſet, naturali attamen ſolertia præditus, momento temporis diuerſos commutati animi habitus, quum vſus poſceret, geſtu, voce, oculis ementiri, alieni porro animi latebras ſagaciſſime perſcrutari, incredibilique ſimulationis artificio, vel peritiſſimos aſtutorum hominum ſenſus explorare ſciebat. Proinde quum à Demetrio Moſcouiticum imperium armis repetente, legionibus Polonicis Præfe&tus eſſet, aſtutiſſimos hoſtium conatus probe eludere ſolebat. Et dum ille à ſubditis tempore nuptiarum per tumultum occiſus eſſet, Romanus vt Imperium ad Polonos aliquo modo peruenire poſſet: profligatis centum & amplius vno prælio Suiſcii ſe&tatorum millibus & caſtris eorum potius rediuiuum Demetrium, cum aliis ſimulauit, proque eo toties cum Moſchis feliciſſime decertauit, vt media fere iam Moſcouia fi&titius Demetrius

trius potiretur: apud quem Dux Romanus, totius Scenæ magister, & copiarum summus Præfectus erat. Cæterum quia in fatis non erat, impostorem diu regnare populis illis, Romanum ex assiduis curis, leuiter quidem febricitantem mors inopinato ad Serpuchouiam abripuit, bellicique laboris & vitæ immaturum finem attulit. Dimetriusque ille simulatus, Romano amisso breui & ipse à Tartaris, quibus maxime lidebat, in venatione occisus est. Sed nos Romano, Pauolo ciam ad pænates in vrna aspertato, licet Græuanicæ religionis fuerit, iustum debitumque epitaphium appendamus.

Clausus hoc saxo quiescit, Romanus Dux Rocinius, Magnificis animi Generosi virtutibus insignis, cunctisque perfecti Imperatoris artibus instructissimus.

Qui bellis Tartaricis in Podolia exercitus, in Moschouiaque à Demetrio Principe, omnibus copiis Præfectus, magnam apud omnes famam magnis aliquoties præliis victor, promeruit: euasurus honore auctior & maior, nisi immitia fata eius paratis honoribus propere nimium inuidissent.

Qui parta, Anno MDCVIII. ad Belchouiam, insigni de Suiscio Moscouiæ Tyranno victoria, sequenti æstate apud Serpuchouiam febri extinctus est.

CXXIII. ALEXANDER LISSOVIVS.

QVod publico bono fiat, & ad sæculi decus pertineat, Alexandrum Lissouium, nobili in Lituania genere ortum, antiquis & modernis bellatoribus, militari gloria parem, in hunc Marcium campum producamus. Qui bellis Moldauicis sub Michaele illo clarissimo, subque Ioanne deinde Potocio exercitus, in Moscouiam deinde ad oppugnationem Smolensci gregarius miles abiit, totannis Ioannis Bobouii Chiliarchæ commilitium secutus. Et tunc quasi sui consilii vtilitatem promouente fortuna, bellum ad Moschouitas, expugnato Smolensco, vlterius exarsit. Carolusque Chodscieuicius prudens rerum virorumque æstimator, hostes incautos & segnes, vel sola celeritate opprimere cupiens, cum ipse Varsouia, in castra & Moscouiam abitum pararet, iussit vt Lissouius mille equites vltro in bellum ire volentes, sine stipendiis, & vel sola præda ex hoste contentos, in commilitium secum adduceret: vtque omnes illi leuiter essent armati, & nullos secum currus aut calones traherent; vel si absque iis commode bellare non potuissent, adultos bene & impigros lixas seligerent, quibus cum permixti, diu noctuque vagarentur: & palantes agros vastarent, villas expugnarent, pecoris & mancipiorum prædas certantes agerent. Igitur Lissouius licentia eam in rem ab Rege impetrata, duo millia, & amplius in Moscouiam secum duxit, & rebus prospere gestis,

sectam

ſectam militarem Coſachorum Liſſouianorum, quæ etiamnum durat, & omnibus fere Europæis innotuit, poſt ſe reliquit: qui fortiter & magnifice nuper in acie pro Ferdinando II. proque patria noſtra ſteterunt, hoſtes oppugnando, fugiendo, delendo. Et Liſſouius ipſe, frequentibus prœliis ſæpiſſime victor, vniuerſam propemodum Moſcouiam excurſionibus continuis fatigauit: conſilia, locos, promta, occulta nouerat, actusque hoſtium in perniciem ipſis vertebat. Et ſi ſors iniquior victoriæ aliquando ſucceſſum eriperet, nunquam tamen victus videri potuit: mature ſiquidem prouidendo, & grauiter enitendo, Moſchorum conſilia præuertere, & quæ iam apud eos parata eſſent, atque inſtructa præoccupare, eorum ducum immodicos conatus, admirandis dolis eludere, & quum res poſceret vehementi atque expedita manu infringere atque rotundere dediderat. Cumque iam patriæ operam ægregiam præſtitiſſet, & milites ſuos, artes belli optime edocuiſſet, inopinata morte præreptus, ante ordines ſuorum equitando, ſubito ex equo decidit, & apoplexia extinctus eſt Anno 1614. Illi ſucceſſit in regimine communi omnium aſſenſu electus

VALENTINVS ROGAVIVS ductus & ipſe gloriæ deſiderio, qui ad finem vſque belli Moſcouitici durauit, multaque præclara facinora geſſit, edoctus ab Alexandro Liſſouio, inſtructa acie, pedem ſenſim, quaſi metus cauſa referre, aut conuerſis ordinibus fugæ ſpeciem recedendo exhibere: & mox quaſi reparata fronte, inſiſtentibus hoſtibus obſiſtere Scythico more. Quare & in Valachia deinceps, cum Stanislao Zolkieuio contra Turcas atque Tartaros ad Cicoram ſtrenue atque amanter ſe geſſit pro patria cum ſuis, licet innumerabili barbarorum multitudine circumſeptus eſſet, & ſuper virtutem hoſtium, locorum quoque difficultates eluctaretur, Inde in Hungariam abiit, à Georgio Humanai accerſitus, quum Gabriel Bethlemius Tranſyluaniæ Princeps, cum aliis hæreticis ad Viennam caſtrametaretur. Igitur ad Humennam duobus millibus Coſachorum ſuorum, validiſſimum Hungarorum exercitum profligauit, & occiſis ex eis ſeptem millibus & quadringentis, ad Michaloueciam exercitum citis itineribus promouit, vbi nobilitas fere tota Tranſyluanica cum ſeptingentis equitibus ſeſe incluſerat. His igitur per deditionem acceptis Caſſouiam vſque ferro & igni, cuncta peruaſtans proceſſit: atque inde præda onuſtus in Poloniam per montes carpatos rediit. Cui ſtatim ſublectus a commilitonibus fuit egregius ille,

HIERONYMVS KLECZKOVIVS conſimili prorſus ingenio & conſilio, quamuis ætate iunior, qui anno 1620. ſubſidio Imperatori Ferdinando II. Sereniſſ. a Rege miſſus, celerrime in Auſtriam transgreſſus eſt; ac in plurimis Sileſiæ Morauiæque ciuitatibus ante conſpectus

U fuit,

fuit, quam quo tenderet, auditum esset: ita, vt privsquam quid contra ipsum moliri potuisset, longe discesserat; ostendens in rebus humanis celeritate sæpius multa digna ac egregia perfici posse, quam vi & impressione. Hic igitur præter alias velitationes cum rebellibus Hæreticis apud Cremsam prospere gestas, mille pedites Friderici Palatini haud procul Horna ad internecionem deleuit, atque demum ipse ad Hornam in insidias tractus, globo sclopeti transfixus occubuit. In locum autem occisi a commilitonibus suffectus

STANISLAVS RVSINOVIVS, qui in omnibus negotiis & bellis illis Bohemiticis, temporibus dextre & sapienter vtebatur, vt nullam virtutem illius magis, quam celeritatem laudauerim. Sane quod Tampierus ille Comes aut Bocquoius Cæsaris Ferdinandi II. clarissimi Duces, tot tantaque bella cum incredibili felicitate administrarint, cæteris vniuersæ Europæ Ducibus rei bellicæ gloria præstiterint, hostes quamuis potentissimos profligarint, celeribus Lissouianorum, atque improuisis excursionibus maxima ex parte, rerum gnari & prudentes adscribunt. Et nominatim ad Hornam, vbi octo rebellium millia cæsa fuerunt: itemque in expugnatione Prohaciciæ, vbi præter vrbicam plebem, quinque peditum millia occisa sunt. Ad Labam quoque Rusinouius, mille quingentos ex hostibus nocte concubia deleuit, ita vt ne nuncius quidem cladis superesset. Qui & in illo Pragensi prælio laudem haud postremam promeruit, cum solus pene cum suis Cosachis hastatas Hungarorum legiones in fugam vertisset: & duo supra quinquaginta hostilia signa, ipsamque Friderici aquilam Cæsareo Generali atque Duci Bauariæ obtulisset. Pauloque post cæsis ad Strazniciam Hungaris viginti octo eorum signa, Imperatori Viennam misit. Idem in Poloniam ad bellum Turcicum reuersus, rem strenue cum suis ad Chotimiam gessit, probauitque operam suam patriæ & ducibus belli. Pace vero cum Turcis conclusa, iterum ad Imperatorem tota Lissouianorum legio in Germaniam abiit, quibus iam

STANISLAVS STROINOVIVS Tribuni titulo præfuit, qui primum excubiarum semper curam gesserat, ediderat que non postremum fortitudinis suæ specimen ad Slauinam, sub regimine tum Rusinouii existens, a quo cum trecentis Cosachis missus, sexcentos Bohomorum equites nactus ad internecionem fere deleuerat. Iam vero integræ legioni præpositus, ad Glacium primo Comitis Turnii audacius palantes cohortes, maximis cladibus affecit: deinde ad Habelsuerdam nouem rusticorum millia fœdissima strage deleuit: tum ad strinam quoque secundo prœlio hæreticos deuicit: & Rhenum transgressus Serenissimo Archiduci Leopoldo, vsque adeo in profligandis rebellibus diligentem & strenuam operam nauauit,

vt

vt inter ſtrenuos milites & conſilio perſpicax, & manu egregie fortis haberetur. Illi ſucceſſerat demum

EGIDIVS CALINOVIVS & impiger miles & acer præfectus qui itidem improuiſis & fortibus conſiliis, celeritateque imprimis Dux felix euaſerat; contraque Mansfeldianos in Sileſia rem ſtrenue geſſit. Quem ſecutus deinde Nicolaus Moczarſcius, præcipuus ſcientia rei militaris, qui in hodiernum etiam ſectam illam florentem rebus fortiter in Pruſſia geſtis fouet. Liſſouiique decus retinet, pluribus in locis Suecorum legionibus deletis: ſed de illo alias, nunc Liſſouiam ipſum, tam optime de Sarmatia noſtra meritum iuſto epitaphio cohoneſtemus.

Viator, ſi ſcire cupis, cuiusnam hic Tumulus ſit, ſubſiſte parumper, & quod ſcriptum eſt perlege.

Alexander Liſſouius, præcipuus ſcientia rei militaris, poſtquam vniuerſam fere Moſcouiam aſſiduis populationibus peruaſtaſſet, & a ſua cognomine ſectam militarem, Liſſouianorum Coſachorum comparaſſet, maxime ardentes & imperterriti bellatoris laudem eſt conſecutus: ſiquidem illo nemo vnquam callidius inſidias tetendiſſe, nemo peritius inſtruxiſſe aciem: nemo arma promptius, atque Ferocius expediſſe traditur. Aderat illi & facundia mulcendique vulgum artes & auctoritas. Sed eum, proh dolor! nobis inuitis, fati violentia ſeries, in medio rerum curſu eripuit, Anno Chriſti MDCXIV. ingentemque dolorem attulit commilitionibus orbatis repente Ductore tam felici ac ſtrenuo. Cui virtutis & amoris cauſa, diuturniorem hanc in terris memoriam lugentes poſuere.

CXXIV. PETRVS SAHAIDACZNY.

PEtrus Konaſeuicius Coſachorum Zaporoſenſium Ductor, cognomen militare a pharetra Ductum habebat, & vulgo Sahaidaczny vocabatur, quaſi pharetra vtentem, & velut ſagittam in ea, expeditum dicere velis. Is quanquam origine non ſatis nobilis eſſet, quia perſæpe tamen ex humili loco viri prodeunt laudatiſſimi, propterea eius virtuti is honos habitus eſt a ſupremis Copiarum Ducibus, vt conſiliorum omnium in bellis particeps eſſet. Quandoquidem prudentia non vulgari præditus erat, & animo præterea ingens, periculorumque appetens, & vitæ contemptor, in conflictu primus, in receptu vltimus, manu promptus, corpore agilis, vigilans in caſtris, & ſomno parum indulgens, ſobrius adhæc ac in colloquiis parcus & circumſpectus; vnde quoque & in caſtris Coſachorum, ſilentium ſumme obſeruabat, & vt ordine ac ſine tumultu omnia in agmine ad nutum imperiumque Ducis fierent, magnopere prouidebat. Turbari etenim per noctem longe maius negotium eſt, quam interdiu,

diu, & emendatione difficilis: cuius rei gratia, tum taciturnitas exercenda est, tum ordo custodiendus. His itaque virtutibus Sahaidaczny praeditus, terra marique constantissima fortunae beneficia agnoscebat. Electusque in Ducem a suis commilitonibus, in Perecopensibus campis, Tartaris aliquoties fusis, Tauricam Chersonesum perterruit, & armenta abegit. Atque breui post victricia signa, per amplissimas Moschi ditiones circumtulit, cum ad Vladislai Principis castra, ad metropolim Mosquam posita, cum suis regionibus tenderet. Piraticam in Euxino exercens multa Europae & Asiae praestantissima emporia diruit, vicinasque Constantinopolis ditiones igni & ferro depopulatus est. Et in Chotimensi expeditione demum, non vulgaris praestita dexteritas, augebat eius crescentem indies apud Turcam gloriam. Quo bello finito, ille quoque ex assiduis laboribus morbo afflictus, breui post viuendi finem fecit, An. 1621. Cui nos etiam pro meritis & virtute, hoc breue Epitaphium subscribamus.

Petrus Sahaidaczny, Zaporosensium Cosachorum Ductor, rerum terra marique gestarum continuata gloria celeberrimus, hac humo quiescit. Vir, rara ingenii sagacitate, iudiciique nobili maturitate, & in dictis, factisque singulari industria: quibus sane dotibus, adeo vitam plebeiam excesserat, vt inter clarissimos hac aetate in Polonia viros, aequissimo iure posteritati innotescere possit. Tu, qui virtutem amas, Manibus viri militaris, bona precare.

CXXV. SAMVEL CORECIVS.

ETsi nostra potissimum aetas deserta, & laude orbata censeatur, nonnullos attamen viros illustres, antiquis etiam comparandos protulit, quos inter etiam Dux Samuel Corecius numerari potest. Qui bellicis artibus a natura deditus, facile castrensem disciplinam sub Stanislao Zolkieuio hausit, & in Regia cum laude versatus magnis sese viris, quibuscum amicitiam coluit, fortibus ac praeclare gestis adaequare studuit. Cumque duxisset in vxorem Ieremiae Moldauici Principis filiam, qui tres quoque alias clarissimis in Polonia viris elocauerat filias Duci videlicet Michaeli Visniouecio, Stephano Potocio & Ioanni Przerembino, firmiorum in Russia districtuum rectoribus; ob eamque rem a Turcis Valachia eiectus esset. Idcirco collecto illi haud contemnendo exercitu, expulsis subito barbaris, restituerunt Ieremiam principatui suo: qui paucos deinde post menses, fato concessit non plane senex, filio vnico nomine Petro relicto; cui in Polonia quoque, fortunae inconstantiam animo agitans, haud contemnendas possessiones viuens adhuc pater comparauerat. Nec eum fefellit opinio: & barbari solita fraude, tributo ingenti a pupillo accepto, opido eum

eum, cum matre, tota Valachia eiecerunt. Igitur generum affinem, iterum nostri reducere conantur, Coreciumque vehementis spiritus virum, vti iuniorem, copiis præficiunt: ipsi aliis curis bello faciendo dediti. Et is insigni victoria de Tomssa, nouo Valachiæ Principe parta, cum paucos intra dies, Dux Visniouecius, vita functus esset, solus totius belli molem sustinere adactus est. Cumque aduersus barbaros audacius, quam consultius pugnaret, post aliquot secunda prælio, tandem a Scender & Imbraim Bassis profligatus, rerum per aliquot menses præclare gestarum gloria, & apud hostes clarissimus, in Turcarum venit potestatem. Reseruatusque in funestam insolentis triumphi pompam, miserabili quodam fato Constantinopoli in ergastulo delituit. Vnde mirabili calliditate cuiusdam Græci hominis liberatus, in Italiam nauigauit profugus, & a Summo Pontifice Paulo V. paterne receptus, in patriam minitabundus rediit. Et vt erat prælto vir ingenio, & incredibili constantia; ad nullas aduersæ infestæque fortunæ contumelias, infracti animi vigorem vnquam dimisit, quum inimicorum atque hostium insolentiam longa patientia superaret: Cæterum iterato infortunio miserabilis, dum vlcisci cupit, cum Stanislao Zollcienio, in funesta pugna illa ad Cecoram captus, & in carcere diu habitus est, cumque indomiti animi magnitudine spes suas, vel maxime prostratas erigeret, post summas demum ærumnas, Tyranni iussu Constantinopoli strangulatus Anno 1622. periit, qui nusquam votis nostris mori debebat, & cui ad posterorum memoriam, hoc breue virtutis ergo epitaphium subscribamus.

Subsiste parumper viator, & quis hoc tegatur tumulo lege, Hoc is cuius causa scriptum est, fieri rogat. Samuel Dux a Korecz. Bellica laude, virtuteque animi Roxolanorum nostra ætate Clarissimus, profligatis in Valachia tredecies barbaris, eiectoque principatu Tomssa incubatore cum & impiger miles, & acer Præfectus, ab hostibus etiam ipsis censeretur, omniumque in se oculos conuerteret, insolescentis fortunæ, ludibrio, in ipso laudum suarum progressu, maxima clade affectus in Turcarum manus deuenit & carceris ærumnas diu Constantinopoli perpessus est: eximiæ probitatis Heros: itemque staturæ proceræ: ingenii amœni, nec a literis abhorrentis, summæque audaciæ & roboris.

Hic igitur summo astu, ex Ergastulo profugiens, dum vlcisci parat, & milite conscripto ad Cecoram in Valachia, Stanislao Zolkieuio exercituum Poloniæ generali iunctus, per octo continuos dies fortissime dimicat, atrocitate fatorum, iterato a barbaris capitur, & in triumphum Constantinopolim ductus, ad extremum iussu Tyranni enecatur, cuius tamen virtus, vigebit in animis, memoriaque multorum. Tu quoque viator, si pius es, æternam quietem apprecare, immature sublato.

CXXVI. STANISLAVS ZOLKIEVIVS.

DE Stanislai Zolkieuii laudibus si dicere aggrediar, soli facem allucere videbor. Saties eum consentiens fama demonstrat, & rerum gestarum gloria, nunquam nomen hominis obliuione deleri patietur, quamdiu magnis viris, ac virtutibus honos exstabit. Is cohortis vnius primo ductor: deinde alæ Præfectus: postea legionis tribunus: ac tandem Polonæ militiæ Dux campestris, omnibus præliis, cum Ioanne Zamoscio, in Moscouia, Liuonia, Podolia, Silesia & Valachia interfuit. Vir antiqui moris, vigens ætate, strenuus manu, sermone grauis, clarus natalibus & fortibus factis. Quique per omnes militiæ gradus, prisco more procedens, ad summum vsque militiæ apicem deuenit, & a Sereniss. Sigismundo III. Rege Poloniæ moderno, sub decliuum ætatis, Summus exercituum Dux, & Regni Cancellarius declaratus fuit, quum Arctoo vertici subiecta Moscorum regna, & Romanis olim legionibus intacta vel vno prælio in campis clusinensibus ita debellasset, vt cæsis in acie multis millibus Ruthenorum, captisque Germanorum, Gallorum, Anglorum, Scotorum, aliarumque e transmarinis partibus conductarum gentium, integris cum duce suo Comite e pontibus Sueco, legionibus, facile postea & ipsum magnum Moscouiæ Principem in triumphum, Sigismundo Regi, Varsouiam, cum fratribus, & Senatu suo ferme toto, atque Patriarcha, deduceret. Moscouiamque vniuersam Vladislao Principi Regis filio obedientiam & subiectionem promittere adigeret, accepta in potestatem vrbe ipsa metropoli Moscouia. Qui deinde sua cunctatione in expeditione contra Tartaros, imbellis quidem ab imperitis & temerariis habebatur, vt qui ignauia aut socordia prælium detrectare videretur. Sed interiectis temporibus, etiam post obitum coegit omnes fateri, neminem potuisse, vel constantiorem vel sapientiorem rebus gerendis Imperatorem præfici. Etenim concordiam ille dissidentium in castris Dynastarum semper attendebat, & pro Spartanorum instituto, non quot essent, sed vbi hostes essent considerabat: quinimo flocci de se sinistros rumores pendebat: gnarus, semper gloriosum quod tutissimum, vt inquit Velleius. Et sic non pauidus ille, aut proditor, sed cautus belli aleam subterfugiebat, quam alias subire nusquam erat cunctator. Et vltimum operum suorum edere cupiens, per octo fere dies atque noctes continue Tartarorum, Turcarumque vim in Valachia ad Cecoram, cum paucis cohortibus sustinuit, cum Gasparum Gratianum, Regi Poloniæ, cum tota prouincia se subiicientem contra eorum potentiam defenderet. Ibi postquam a barbaris maximam accepisset cladem, suique milites perterriti essent, in mouendis castris maximopere

ximopere curauit, vt exiſtimationem ſeruarent, & vt militare inſtitutum non negligerent. Cumque ſic per octo dies inſtructis ordinibus verſus Poloniam procederet, & iam Neſtro flumini vicinus eſſet, corrupta iurgiis aut rixis diſciplina, quod reliquum ſupererat a cladibus, omnes ſecunda vigilia magno cum ſtrepitu ac tumultu caſtris egreſſi, nullo certo deinde, neque imperio, cum ſibi quisque primum itineris locum peteret, & ad Neſtrum peruenire properaret, fecerunt vt barbari re per ſpeculatores cognita maxima cum celeritate ſuperuenirent, & aut occiderent noſtros aut caperent reſiſtentes. Qui autem acriter cum generali ipſo reſtiterunt, omnes propemodum exitu eruento in acie cum illo ceciderunt. Cuius caput hoſtis ad ludibrium pilo affixum, quanto probro noſtro totis caſtris geſtauerit, & Conſtantinopolim cum triumpho rediens, per plateas circumtulerit, quis eſt qui non videat? & clades ipſa ignominioſior ne an funeſtior fuerit, haud ſatis explicem: diſcordia certe noſtra victor hoſtis. Truncus occiſi domum relatum, amici & affines cum vxore ſepelierunt, cui deinceps & caput auro redemptum addiderunt. Nos epitaphium, viro de patria reque tota Chriſtiana optime merito, ſarcophago breuiter inſcribamus.

Viator, ſi patriam amas, dole magni viri caſum & occaſum. Stanislaus Zolkieuius, regni Poloniæ ſupremus Cancellarius, exercituumque præfectus: omni experimento virtutis notabilis Senator, ſed præcipue arte bellica, & euentu conſiliorum, heic ſitus eſt.

Qui ſub Nicolao Melecio, & Ioanne Zamoſcio clariſſimis illis militiæ magiſtris, & vt ita dicam, pullis ipſius Martis, variis bellis exercitus, præter alia egregiæ fortitudinis ſuæ facinora, tot ſæculis potentem illam Moſchorum Monarchiam paucos intra menſes, vniuerſam ferme euertit: Principemque ipſum, Ioannem Suiſcium, cum Demetrio & Baſilio fratribus, totoque eius Senatu & Patriarcha Sigismundo Regi, in triumphum duxit. Demum ipſe paucos poſt annos, vertente ſe fortuna, etſi poſt obitum quidem Conſtantinopoli triumphatus, non mediocre tamen exemplum, rerum humanarum inconſtantis mutabilitatis, poſteris dedit. Quum enim ob cunctationem in bellis Tartaricis inuidia exagitatus eſſet, paucis cum cohortibus in Valachiam, Gaſparo Gratiano ſubſidio profectus, ab infinita barbarorum multitudine circumſeptus eſt. Vbi eum non inultum Turcicus gladius, poſt octiduum tandem prœlium, vt deſiderabiliorem nobis, ſic & feliciorem ſibi abſtulit. Finem quoque tantorum laborum, & volenti, & plurimum exoptanti præſtitit. Anno reparatæ ſalutis. M.DC. XX.

CXXVII. BARTHOLOMÆVS NOVODVORSCIVS.

SCimus equidem vitio malignitatis humanæ, vetere ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe, & conſimiliter, priſcos tantum bellatores in admiratione & veneratione exiſtere, modernos vero licet omni virtutum genere præditos, in contemptu nihilominus manere, qui alias omnis immortalitatis præconio ſunt digniſſimi. Quandoquidem manifeſte videamus, non eſſe adeo virtutum ſterile ſæculum noſtrum, vt non & bona exempla prodiderit: omniumque ætatum hiſtoriæ, & humanarum rerum quotidiani euentus docent, æque bona, quam & mala accidere: egregiosque viros pariter, ſicut & ignauos, omni ætati naſci. Quod ipſum in Sarmatia quoque noſtra videre licet: quæ omni fere tempore viros eruditione, prudentia, pietate, bellique ac pacis artibus inluſtres complures habuit. Hacque noſtra tempeſtate inter alios virtute eximios, Bartholomæum Nouoduorſcium vidit, virum cand.di pectoris, priſcæque ſeueritatis. Qui iuuenis admodum in Podolia, & Tranſyluania exercitatus, Stephano Rege in Moſcouia bellum gerente militaria tyrocynia depoſuit. Ad exteras nationes deinde profectus, Gallicis & Sabaudicis bellis cum laude & honore interfuit. Namque in oppugnatione Pontefini, ipſo Rege Henrico III. inſpectante, globo ſclopetario percuſſus fuit, qui tum inter prætorianos ſtipendia merebat, & paulo deinde cohortes Catholicorum, contra hæreticos ductabat. Cum quibus ſub Henrico etiam IV. ad Ambianum egregie pugnauit, opimaque ſpolia ex hoſte retulit: inque eo ſtudio continuos ſeptemdecim annos in Francia conſumpſit. Inde Melitam profectus, & Eques S. Ioannis Baptiſtæ de more factus, octo annos ex integro, in illis difficillimis tum bellis moratus, Mediterranei, Ionii & Ægei maris inſulas vidit. Luſtrauit & Africam, ad Lepantum cum certa ſuorum manu miſſus, vbi porta arcis effracta, egregium fortitudinis ſuæ ſpecimen edidit: & ad Machometam arcem lethaliter vulneratus, cum re bene geſta ad ſuos reuertiſſet, magno exinde in precio, apud Magnum Ordinis ſui Magiſtrum fuit. Redux demum in patriam, ad Smolenſci obſidionem, Regiæ ſtipatorum turmæ præfectus in Moſcouiam ſubito iuit, & pulueri tormentario ſuccendendo (quo Smolenſcum poſt longam obſidionem expugnatum eſt) primus ante omnes manus admouit, trophæaque ex hoſte obtinuit. Idem cum Principe Vladislao ad Moſaiſcum, & ipſam vrbem Moſcouiam profectus, ingentia virtutis ſuæ ſenex documenta dedit, & exemplo cæteris præluxit, bis ſclopeto percuſſus, pedem ab oppugnatione, quamuis lethaliter ſauciis, minime referens. Et quamuis literarum ipſe fuerit minime gnarus, in Academia

mia nihilominus Cracouienſi, bonarum artium collegium excitauit, ſumptu quem ſanguine comparauerat. Quo facto, non multo poſt obiit, Anno 1625. conditusque eſt Varſouiæ in Baſilica S. Ioannis Baptiſtæ; cuius ſarcophago hoc breue Epitaphium inſcribamus: quamuis ſciamus veram virtutem, non egere laudibus humanis, cum ipſa ſecum ducat ſuam laudem ac decus; Cæterum ad poſterorum exemplum & æmulationem, ornemus his præconiis egregii viri Manes.

Bartholomæus Nouoduorſcius, Eques Ordinis S. Ioannis Baptiſtæ, Melitenſis; Commendator Posnanienſis, & cohortis ſtipatorum Regiorum, Præfectus: viris magnis, & qui melioribus annis nati erant, ob priſcam virtutem chariſſ. rebusque terra & mari: domi, & extra patriam, egregie fortiterque geſtis, longe clariſſimus, & in litteras litteratosque liberaliſſ. Qui vixit bene, mortuus beate heic ſuos cineres, Anno a Deo homine MDCXXV. deponi curauit.

Viator, ſi auitam pietatem colis, quæſo, ne inquietes, antiqui moris viri, Manes, nullius enim ſecum cineres miſceri paſſurus eſt, qui ſolus condi voluit.

CXXVIII. NICOLAVS ZIENOVICIVS.

ADiiciamus clariſſimorum bellatorum numero, Nicolaum Zienouicium quoque, qui ex multo vſu militiæ, opinione virtutis eo prouectus erat, vt ſe dignum militiæ honorem, quo virtus eniteſcere poſſet, mature conſecuturum ſperaret. Quandoquidem multos per annos, caſtrenſi diſciplinæ, ſub optimo bellorum Duce, Carolo Chodkieuicio, aſſuetus, & Liuonicis & Moſcouiticis bellis cohortium primo ductor, deinde legionis Tribunus, cum laude ſemper interfuit. Senatorio deinde ordini adſcriptus cum eodem Chodkieuicio in Valachiam ad bellum Turcicum iuit, acerrimus patriæ libertatis aſſertor, Chriſtianæque religionis, pro qua & vitam in acie poſuit, Anno a Chriſto incarnato 1621. in Vigilia Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis, in confertiſſimos hoſtium cuneos illatus, Chodkieuicium ipſum a barbaris circumſeptum eliberaturus. Vbi dum ex equo interempto decidiſſet, & momento eodem deiecta caſſide (quæ haſta vnius Turcæ in concurſu detruſa erat) caput denudaſſet, a barbaris vndique cinctus, & inter illorum equos, huc & illuc volutatus, iteratis confodebatur ictibus. Tandem Turcis in fugam coniectis, cum plusquam viginti vulneribus ſaucius eſſet, & ſemiuiuus, in plauſtro quodam in caſtra eſſet aduectus, magna nominis ſui gloria relicta, tertio demum die ſpiritum, vnde acceperat, reddidit. Cui ob virtutem & merita in Rempubl. ſingularia, Cenotaphium more noſtro erigamus, cum hac inſcriptione.

Nicolaus Zienouicius, Castellanus Polonocensis, Legionis vnius præfectus. Vir & natalium splendore, & singularibus in Rempubl. meritis, & pacis, bellique artibus inter viros nobiles, & quales paucos interuenias clarissimus. Bellis Moschouiticis, Liuonicisque Carolum Chodkieuicium secutus cum laude & fama prospera peractis, tandem ad Chotimiam bello Turcico, vitam in acie posuit, & quid? nisi religioni donauit. Corpus, ne in mortuum etiam vis fati sæuiret, relatum a commilitonibus ad penates, hoc marmore superstites, pietatis ergo, concluserunt.

CXXIX. CAROLVS CHODKIEVICIVS.

SArmatiæ illustrium bellatorum, quos magna vi, & Martia virtute, potentissimi terrarum orbis regnatores, per tot ætates debellare non valuerunt, agmen Carolus Chodkieuicius claudat. Cui ad assequendam immortalem gloriam cuncta necessaria indulserat benignior fortuna genus paternum maternumque clarissimum, connubia illustria opes supra priuatum & corporis constitutionem optimam, omniaque generosissimi imperatoris signa habentem, putri vultum maiestatis plenum, nasum aquilinum, & frontem exporrectam, alti animi ipsiusque Martis indicem. Præterea linguarum exoticarum scientiarumque quas humaniores vocamus peritiam, sed maxime tractandorum armorum assiduum studium; cui a teneris annis deditus, omnes Europæ cultiores prouincias peragrauerat, intereratque bellis Belgicis, Hungaricis, & Valachicis sub inclyto illo Duce Ioanne Zamoscio, contra Michaelem Moldauiæ Principem iam tum alæ vnius præfectus. Vbi non contemnendis fortitudinis suæ exemplis editis, Pocillatoris Magni Ducatus Lituaniæ titulum a Rege accepit: & breui post, bello Liuonico, sub Duce Nicolao Radiuillo, rem strenue gerens, præter ætatem, Polemarchi honorem promeruit: atque deinceps summus copiarum Magister factus, Samogitiæ primo Toparcham gessit, dein Palatini Vilnensis, & totius Liuoniæ Gubernatoris officium accepit. Quod imprimis casta mentis pietate firmum reddebat, exornabatque sincero numinis diuini cultu, preces ante prælium supplices, post victorias vero gratiarum actiones humiles fundendo, & quolibet Sabbatho per sacrosanctam sinaxim delicta expiando: Tum extruendo sumptuosissimo opere, religiosis viris templa atque Monasteria: Cretingæ Patribus S. Francisci de Obseruantia: Bychouiæ, Canonicis S. Augustini, Regularibus, & Crossis in Samogitia Patribus Societatis IESV. Vt hic omittam, alias magnificentiæ eius structuras, puta vallum & propugnacula Bychouiensia, ex militari arte exquisitissime facta, arcem Lichouicianam, splendidissimis

ædificiis, & ingeniosa munitione exornatam : armamentariaque vere regia, machinis bellicis, singulari industria confectis, repleta. Quid de liberalitate dicam? quam ille magna sua laude exercuit, & egenos homines, vulneratosque aut egregio aliquo facinore insignes milites, modo pecunia, modo vesto aut commeatu iuuabat, & hunc equis, illum armis, omnes autem hospitalitate diuinciebat. Imo medius fidius & in captiuos, eadem beneficentia propensus erat, maximumque sibi apud exteras, remotissimasque gentes nomen, singulari clementia comparauerat; & qui a natura ad iracundiam promptior fuerat, nusquam tamen in eos desæuiit, sed honore & muneribus ornatos dimittebat, æmulatus hac in parte Romanorum Imperatorum gloriam. Hinc & in cadauera occisorum hostium semper humanissimum se præstitit : postque subsequutam illam Kircholmensem victoriam (vbi tribus millibus suorum, quatuordecim millia Sudermani Principis bellicosissimorum hominum, e Belgio, Scotia, Anglia, Germania atque Gallia collectorum, in vna fere hora, ad internetionem propemodum deleuerat) cæsorum ducum funus, præsentia sua, splendido apparatu, & magna pompa exornasse illum vidit Rigensium ciuium turba, audierunt externæ gentes, mirati sunt hostes. Quocirca illius fortitudinem, dexteritatem atque prudentiam militarem, maxime bella Liuonica posteris illustrabunt; vbi loca limosa, paludibusque fluuiis, lacubus, & syluarum saltibus inuia, incredibili celeritate, victricibus signis peragrabat, & ad multa castella vt primum venisset, vidit statim & vicit. Volmariam sine suorum iactura, aperto insultu cœpit: recuperauit Parnauiam, porta Stratagemate effracta: Rigam, Derpatum, Dinamundum, Bialocamenum, paruis viribus, magna virtute, & insigni artis militaris peritia sæpius tutabatur. Nec terra solum hostibus, sed mari etiam, ingenti suo spiritu, terrorem incussit, cum naues Suecorum impugnasset,& incendisset: ipse contra nullo prælio,& nec vna velitatione a Suecis, toto bello Liuonico attritus. Qua felicitate quoque in Moscouiam etiam progressus, cum parua suorum manu, ausus est cum ingentibus Moscorum viribus decertare : & decertando sæpius alacriter, sartam tectamque Reipub. gloriam & militantis nobilitatis salutatem conseruauit. Alteraque expeditione cum Vladislao Principe profectus, magnam partem Ducatus Seueriensis recuperauit, & in patriam triumphabundus rediit. Ad extremum post tot res feliciter gestas, ita benigna sors extremum vitæ eius cursum disposuit, vt vna cum bello omnium quæ ante confecerat celeberrimo, nominisque immortalis gloria, caduca sua terminaturuita. Contra Osmanum enim Turcarum Imperatorem Podoliam numerosissimo cum exercitu inuadentem, a toto regno Poloniæ exercituum Dux

declaratus, profligatis aliquoties insigni victoria barbaris, cum egregiam Regi, Reique pub. operam nauasset, in ipso laudum suarum progressu est omnium nostrum expectationi ereptus, vir omni sæculorum memoria dignissimus. Viguit in eo laboris, æstus, frigoris, inediæque tolerantia, inque disponendis excubiis vigilantia, in mittendis exploratoribus sumptuosa solertia, in acie autem instruenda ea promptitudo atque dexteritas, quæ cum summis, veteris & recentioris æui Imperatoribus æquari poterat. In tanta autem felicitate naturæ, eminebat eruditionis amœnitas, omniumque Musarum consortium: sed inprimis architecturæ militaris, Historiarumque erat peritus, & dimensionum geometricarum. Generosissimorum equorum, exquisitimorum armorum studiosissimus: & facie, gestu, gressu, voce, vestitu, ad Martem a natura compositus: inque dicenda sententia in Senatu, & militaribus orationibus succinctus & neruosus: comis præterea affabilis, accessuque facilis, & in familiari consuetudine suauissimus. Nisi melancholicus præualuisset humor, partim a variis morborum affectionibus, partim a continuis bellorum curis accersitus. Cui coniux mœstissima, Regali prope sumptu, inferias Ostrogii dedit: nos tumulum scribendo breuiter Epitaphio cohonestemus: quod etiam alias edita funebri laudatione fecimus.

Io. Carolus Chodkieuicius, Hercules Lituanicus, Polonicique exercitus in Turcas Ductor, militia & victoriis clariss. heic situs est. Quem, fidissima totius vitæ eius comes Fortuna, variis olim iuuenem, bellorum casibus, in Hungaria, Belgio, & Valachia, exercitum, summum in patria militiæ Magistrum fecerat: iteratisque toties in Liuonia triumphis, atque continuatis in Moschouia trophæis inlustrem, vt ætate, ita iudicio maturum, feroci illi ac indomito, Osmano, Turcarum tyranno, opposuerat: Sed qui, heu nefas, in ipso laudum suarum progressu, occulto quodam Fatorum consilio, post tot morborum molestias, epilepsia enecatus, 8. Kal. Octobr. an. 1621. Chotimiæ interiit: qui ex publicis, priuatisque votis, omnino immortalis esse debebat. Bene vale quisquis es, vbi ossibus magni Herois, quietem precatus fueris.

CXXX. STEPHANVS CHMIELECIVS.

FInieueram in Chodkieuicio, sed mensibus aliquot post scriptionem meam, elapsis tristis e Podolia nuncius inopinato aduolauit, totamque regiam rumore simul ac mœrore compleuit, Stephanum Chmielecium, virum militari ausu & celeritate incomparabilem, assiduisque contra Tartaros bellis gloriosum, squinancia extinctum ferens. Hunc iuuenem Moscouitica primum exercuere arma, Simoni Copitinio strenuissimo ductori adhærentem: illustriorem reddidere Valachicæ expeditiones.

Et

Et quidem primo, apud Samuelem Corecium, primos ordines ductantem: deinde apud Stanislaum Zolkieuium Chiliarchæ honorem habentem, tempore quo in Dacia cum barbaris bellum gerens, ad Cecoram vsque parum fausto pede nostri processerant. Ibi ille post primum conflictum, nocte illum ex trepidatione castrorum cum ala integra sese proripiens, per medios hostium cuneos, in iussu ducum perrupit, & proditis quodammodo suis in Poloniam discessit. Sed quem propemodum næuum, egregiis postea fortibusque factis, contra rebelles Cosachos Zaporosenses editis, apud Stanislaum Coniecpolscium, Ducem copiarum Regni, facile eluit, turmarum ab eo præfectus creatus, primus ante suos in medio ardore pugnæ volitans. Ex quo eum statim magnus Reipubl. Senator, Thomas Zamoscius, suis cohortibus præposuit. Koniecpolsciusque ipse, post aliquot cum Tartaris prælia (in quibus ille strenue sese gesserat, ad Satanouiam præsertim ac Tarnopolim, & magnam de se inter viros militares opinionem excitarat) toti eum Podolico exercitui, ipse contra Sudermanum in Prussiam cum copiis reliquis abiens, Legati titulo præfecerat: quo oram illam a barbaris pacatam, tantisper tueretur, donec ille bellum Prussicum finiret. Quod præsertim barbaris ipsis nomen eius, & ingens animus haud ignotus esset, vtpote qui annis superioribus, non mediocria illorum agmina ceciderat. Et anno verbi Incarnati, sexto atque vigesimo supra millesimum & sexcentesimum, collectis promptissime copiis, ingentem illorum numerum apud Bialocerquam adortus, licet imparem tantæ multitudini se animaduerteret, tanta nihilominus eos clade affecit, quanta vix a multis annis in Polonia visa aut audita fuerit. Ferunt quadraginta circiter cæsorum millia fuisse, exque sedecim phalangibus vix dimidiam partem, idque sauciatorum vtplurimum in Tauricam remeasse. Qui cum anno proxime superiori millesimo sexcentesimo vigesimo nono, acceptam cladem magnis viribus vltum venissent, iterum ab Illustrissimo Heroe, Stanislao Lubomierscio, Russiæ terrarum Palatino, stragem fœdissimam reportarunt. Cui & Chmielecius cum suis turmis iunctus, integras eorundem alas, quæ per agros populabundæ vagabantur, internecione deleuit: paucique manus illius euasere, nisi qui pernicitate solicita sibi consuluere. Quo circa virum de patria tam egregie meritum Rex Serenissimus honorum titulis explendum susceperat: ac primum Braslauiensis Palatinatus Vexilliferum fecerat, Præfectumque Taborensem: deinde Kiouiensi Palatinatu collato, Senatoria eum dignitate augendum instituerat. Quum interim sæuientibus in genus humanum Parcis, vix cognito collati sibi honoris titulo, cum luctu totius Podoliæ, certe cum damno maximo Reipub. sub finem mensis Februarii anni præsentis 1630. diem extremum clausit;

vir sæculorum memoria digniſſimus, & qui Leonidæ illius exemplo, numero virtutem opponere, paucitati artem adiungere didicerat, cum in partibus illis Podoliæ, aſſiduis barbarorum excurſionibus ſubiectis, vnus quaſi pro omnibus excubaret. Quem more noſtro, ad memoriam poſteritatis, hoc breui epitaphio condecoremus.

Iacet hic militarium laborum exemplar, omnisque diſcriminis contemptor, Stephanus Chmielecius de armis Buncza. Qui cæſis Præcopenſium Scytharum tot Chiliadibus, tam celeritatis armorum, quam cunctationis contra Tartaros, prout res vſusque poſcebat, laudem cumulatiſſimam eſt adeptus. Obtentaque paucis millibus ſuorum, de ingenti Barbarorum multitudine, inſigni illa apud Bialocerquam victoria: virtutis adminiſtratione, & nominis ſui fama, Regnum vniuerſum compleuit. Sed eum, heu! inconſtans & ludibunda fortuna, in ipſo laudum ſuarum & honoris primordio, nimis præpropere extinxit, inque Auguſtiſſimum Sarmatici Imperii Senatum, titulo Palatini Kiouienſis adſcitum, ſi quenquam alium, maiore cum damno Reipublicæ, hac tempeſtate, vix decem luſtra præteruectum extinxit. Anno M. DC. XXX. Viator, ſi patriam & virtutem amas, quæſo ne inuideas: neue turbes ſtrenui bellatoris quietem.

Et hæc ſunt, quæ, cum Deo bono, de illuſtribus Sarmatiæ noſtræ bellatoribus, poſteris relinquenda putauimus: quorum etſi vita fuerit breuis, curſus attamen gloriæ ſempiternus erit, virtusque ac nomina tamdiu viuent, quamdiu orbis hic ſtabit.

DEO TRINO ET VNI, GLORIA ET GRATIA.



INDEX.

INDEX.



SIMONIS STAROVOLSCI
SCRIPTORVM POLONICORVM
ἙΚΑΤΟΝΤΆΣ;
SEV
CENTVM ILLVSTRIVM
POLONIAE SCRIPTORVM
ELOGIA ET VITAE.

ANNO MDCCXXXIII.

PRVDENTI SENATVI
P. Q.
LEOPOLIENSI, &c.

CVm ante triennium forte, bellica virtute Illustrium virorum Elogia, in patrium sermonem, patriis intermixtis exemplis, versa, vobis offerrem, AMPLISSIMI VIRI, *statueram, si studium meum a vobis probaretur, eadem statim ratione, & Illustrium Sarmatiæ nostræ Scriptorum vitas, breuiter colligere, ac vobis iisdem Patronis dicare & consecrare; idque duplicem ob causam. Prima est, quia, quos hic doctissimos viros collegi, potissimum eos apud vos, aut in circumiacenti Roxolania, cuius vos caput estis, natos & educatos reperii, ac proinde non nisi vobis, vestros populares offerre volui: vt quemadmodum ipsi, maioribus prudentia & eruditione, semper pares esse studuistis, ita & filiis successoribusque vestris, hos eosdem a me breuiter descriptos proponatis, vera & valida virtutis incitamenta. Namque vt scitis, & veteres illi Romani, non alia posteris suis ad res præclare agendas exempla, quam maiorum imagines ac statuas in foro pro templis ponebant, titulis etiam facinorum in basi appositis: quibus conspectis atque perlectis, æmulatione gloriæ excitata iuuentus, nullum laborem ac periculum pro salute ac dignitate patriæ recusarent. Secunda, quia vosmet soli in tota Polonia estis, qui assidue in illo angulo vestro insonante Otthomanum tuba, tibias & fistulas vt sic dicam Musarum cogitatis, & ea constantia inter*

primas Russiæ splendetis, vt nusquam non habeatis litteras ac litteratos suo bonori. Quos, quia ego quoque colo, & vos tales (non blandiendo dico) veneror semper & suspicio, ideo me quoque, quamuis ignotum & immerentem, tenuemque illam scriptionem meam, cum ad vos venissem, sic excepistis benigne, vt maiorem tunc a vobis gratiam retulerim, quam vnquam habere sperauerim. Cuius quidem bumanitatis tantæ, iterum etiam mibi e bello Turcico redeunti exhibitæ, vt me gratum etiamnum & memorem serio credatis, en boc vile ac leue munus Elogiorum, vestro inclyto nomini sacrum, lubens in vulgus emitto, & vt a maligni liuoris dente, pro innato in litteras amore defendatis, vestræ auctoritati & iudicio summitto.

Valete, ac animi mei erga vos communiaque litterarum studia promptitudinem, æqui bonique consulite.

LECTO-

LECTORI MEO.

MIRABERIS fortaſſe, LECTOR, quod e tota Sarmatia, non plures tibi eruditos, quam centum collegerim: idque per totum diuagatus ſpatium, ex quo ſub frigidum hunc axem Apollo cum ſororibus ſuis venerit. Deſine quæſo, & facti mei has cauſas breuiter accipe. Primam quia noſtri Sarmatæ, priſcis illis temporibus, plus Marti ſeruiere, quam Mineruæ, vti & omne genus Scytharum, ac propterea etiam quæ geſſere, obliuionis puluere conſperſa videmus; quod nemo fuerit, qui calamo perſtricta transmitteret poſteris. Primus ſub hoc Tirione noſtro Mecislaus Princeps fidei lucem, & alius cum illa, litterarum ſplendorem poſt eum agnouit: propagauit autem per Septentrionis oras, Magnus Iagello, Gymnaſio Cracouienſi excitato. Et hinc eſt, quod viri apud nos eruditi pauci, quia paucæ quoque nunc primum ætates, ex quo erudiri cœpimus. Secunda cauſa eſt, quia vt in aliis rebus, ita & in propaganda ſui apud poſteros memoria, neſcio more ne, an errore, noſtri ſunt negligentes; maluntque ſatius, vti eorum fert animoſitas, laudanda facere, quam quæ feciſſent, ipſi laudare: ex quo etiam ſcripta maiorum egregia, in Bibliothecis Monaſteriorum, in ſcriniis nobilium, in chartophilaciis eruditorum, paſſim a tineis corrodi videmus: in lucem vero non emitti, vel quia non audent ſe nobiliſſimis aliorum populorum ingeniis, barbari ad id æui ab illis habiti, exæquare: vel quia patronos ſibi, ſcriptisque ſuis difficillime nanciſcuntur, cum quisque Megiſtanum noſtrorum malit ſumptus in canes, equos, veſtes, ſeruos, vina aut aromata ſpendere, quam in ea, quæ æternum per gentes & ætates nomen ſuum propagarent. Tertia, quia hic non niſi eos enumerare animus fuit, quibus æternitatis Genius affuit, quique ingenii ſui ſpecimen non niſi ſeriis ſcriptis, poſteris probarunt: eorum enim qui nihil, aut leue aliquod argumentum tractarunt, & ipſi alias eruditiſſimi viri fuerunt, ſemper infinitus erat, eſtque

etiamnum in Polonia numerus: quinimo & illorum potuiſſet reperiri multo maior catalogus, cæterum nos haud omnium notitiam præſertim veterum aſſequi valuimus. Quæ autem potuimus, ea libentes, vt & alia noſtra, in tuum o Magne Deus honorem, in veſtrum o Poloni mei, ac quique Candidi Lectores, bonum, moliti ſumus, quo, & vos iſti ſciatis, durum quoque Sarmatam, aliquid ingenio valere, & inter cultiſſimas quasuis gentes, haud inferiorem omnino Polonum, Dei benignitate eſſe; & illi ipſi, tot inter ſe excellentibus ingeniis, vel in tanta negligentia, conſpectis, ſedulius in poſterum bonis artibus incumbant, ac litteratos homines fauore & amore proſequantur; quo vel ſic, immortalitati ſeſe, felicius ſuis maioribus, conſecrare valeant. Ac tu quoque, Candide, Vale.

STANISLAI STOSLAVII
AD AVCTOREM.

Centum Sarmatici monſtraſi ſedulus orbi
Ornamenta, viros & decus omni ſoli.
Virtutem haud pateris Starouolſci condier vmbra
Inter virtutes hæc quoque ſumma tuas.

SIMO-



SIMONIS STAROVOLSCI

SCRIPTORVM POLONICORVM

ἙΚΑΤΟΝΤΑ'Σ;

SEV

CENTVM ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM *ELOGIA ET VITÆ.*

I. STANISLAVS HOSIVS.

QVi Elogia Doctorum virorum ſcripſere (vti longam eorum ſeriem Bartholomæus Keckermanus recenſet: & nos in Penu Hiſtorico fecimus) illi fere omnes methodum ſuam, vel per modum Alphabeti, vt Paulus Iouius, vel per ætates ſingulorum, ſcientiaſue, vt alii, diſpoſuere: putantes ſe, vel feliciorem ſic, legentis memoriam reddere poſſe, vel faciliorem inueniendi vnumquemque, cum opus, rationem. Vtrique recte. Sed quod vtrumque vel ex ſolo indice noſtro, ſub finem appoſito, facile aſſequare. Hic autem ſeruabimus ordinem Doctiſſimi viri Auberti Miræi, qui ſuos ornans Elogiis Belgas, illos priore loco ponendos putauit, qui dum viuerent nobiſcum, priore quoque ſeu præſtantiore loco fuerant ornati. Talem ego inter noſtros Sarmatas STANISLAVM HOSIVM putarim, virum plebeio quamuis ordine natum, omni attamen ſæculorum memoria dignum, & inter Theologiæ Candidatos, non minus fulgentem, quam inter ignes minores Luna. Et quem ita cenſendum, clarus ille noſtræ Sarmatiæ Orator, claroque genere ortus Orechouius, putauit, vt

In libello de legenda Hiſtoria.

Ordo noſtræ ſcriptionis.

vt se indignum calamum ipsius, cum scribendo fatigatus posuisset, sumere, aut facem lucentem, cum codicem sacrum legeret, tenere in suis Dialogis, palam fateri non erubuerit. Is etenim patria Cracouiensis, fundamentis studiorum domi firmiter iactis, laureaque prima in artibus obtenta, in tantum in aliis scientiis, atque simul virtutibus profecerat, vt suis duntaxat meritis, non suffragatione aut fauore Principum, in Senatum primum Polonicum, & deinde Purpuratorum PP. Tit. S. Laurentii Cardinalis S.R.E. adscitus esset. Quo in ordine vsque adeo ab insigni ingenio, tenaci memoria, corporis dotibus etiam mirabilis extitit, vt iudicii grauitate, consummatæ prudentiæ Senatoribus æquaretur. Sed heu inuisam mortem! inuidebat Sarmatiæ, imo toti Europæ, illum vnius viri splendorem; eiusque stamen resecat emensis supra quindecim vitæ lustris, ipsis Nonis Augusti Anni 1579. Conditus est in Ecclesia sua titulari, sepulcro latericii operis, cui breuis hic totius vitæ eius discursus adscriptus est.

Iudicium Orechouii de Hosio li. 3. Dialogorum.

Vsus familiariter Benedicto a Cosmin, qui Professor in Academia, scripsit Latini sermonis obseruationes. Et sermones sacros. Bibliothecamque Academiæ plurimis libris moriens auxit, proque semper augenda, certum censum reliquit.

D. O. M.
STANISLAO HOSIO POLONO.
S.R.E. PRESB. CARDIN.
VARMIENSI EPISCOPO
MAIORI POENIT.
VITÆ SANCTIT. ERVDIT. ET
ELOQ. GLORIA CELEBER.

Catholicæ fidei propugnatori acerr. qui cum antiquæ probitatis, & Episc. vigilantiæ præstantiam in humilitate, caritate, castitate, beneficentia expressisset. Hæret. sectas scriptis, & consiliis sapientiss. feruenter oppugnasset, multos ab errore reuocasset, grauissimeque legationibus pro pace Ecclesiæ, cum apud Carolum V. & Ferdin. Cæs. tum præcipue in S. Concil. Trid. Pii IV. Pontificis nomine feliciss. perfunctus, Christianæ Reip. plurimum profuisset: omnium virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundans obdormiuit in Domino MDLXXIX. ætatis suæ LXXVI.

Stanislaus Patruo, & Stanislaus Rescius Patrono beneficentiss. execut. Testam. Poss.

PLura de hoc viro qui cognoscere volet, legat vitam illius, aut a Stanislao Rescio supra nominato, prosa conscriptum: aut a Thoma Tretero, breuibus poematibus comprehensam, ac tabulis æneis per icones expressam. Hi sui alumni (vt & plurimi alii viri illustres) atque familiares fuere; & postea præclaris honoribus in Ecclesia

clesia Dei ob insignem eruditionem condecorati, velut canes pro domo Dei latrantes, aduersus nascentes hæreses vigiles floruere. Digni quorum scriptis non fides modo aut veneratio adhibeatur, sed gratia etiam & recordatio a posthumantibus debeatur.

STANISLAI STOSLAVII.

Quem stupuit doctum doctissima turba Tridenti,
Pontificum, toto ex orbe vocata, virum.
Hosius est gentis laus, fama, decusque Polonæ.
Quem tulit, & proprio nutriit illa sinu.
Præsuleaque mitra redimiuit; Roma sed illum
Dignum purpurea censuit esse toga.
Promeruitque sua, vt templi, virtuti subiret,
Romanæ sedis cardinis ille vices.
Felix cardo; fides fors Lechis vera ruisses,
Tu nisi tam forti cardine nixa fores.

II. IOANNES LASCIVS.

ARCHIEPISCOPVS Gnesnensis, vir generis nobilitate, linguarum peritia, & rerum tractandarum vsu, toti pæne Europæ notus. Præter enim splendorem familiæ suæ, quam Comites a Lasko, toga pariter ac sago illustres semper ornarunt (& quales inter illos fuerunt, Hieronymus atque Albertus, ex ordine sibi succedentes, in Palatinatum Siradiensem, cladibus Turcarum Sultano toties illatis, Dacisque Deuictis, illustres; vt eos serio Hungarici Annales, atque Polonici commendant: & nos in Elegiis, bellica virtute illustrium virorum fecimus) haud postremam quoque & ipse gloriam genti suæ attulit: cum a puero in aulis Principum enutritus, grauissimas legationes pro patria, tanta cum laude absoluisset, vt paucos sibi pares, in eo munere obeundo haberet: qui & in Concilio Lateranensi magna cum authoritate sui Regis personam gessit, & primus Ecclesiæ suæ *Legati nati* titulum, ex eo tempore peperit; quamuis & ante illum, semper *Archiepiscopi Gnesnenses, Primates Regni, & Principes Religionis in Polonia* haberentur. Cumque adhuc Præpositus tantum Posnaniensis, & Regni, Gnesnensisque Ecclesiæ Cancellarius esset, nummos veteres, signa, tabulas libroſque calamo exaratos, magna industria collegit, & vt eius æui genus erat, primus iussu Regis Alexandri *conscripsit statuta & Leges Poloniæ*. Erat enim antiquitatis inprimis studiosus, & paucis peritus, proindeque constitutiones Regni omnes, priuilegia, libertates & immunitates, paucis ante cognitas, ex archiuo & scriniis depromptas, ad notitiam & vsum ciuium,

Vide Bonfinum, Cuspinianum, Vaponium, Kureum, & alios.

Sigis. I. Regis Poloniæ potentis.

Primus in Polonia statutum Io. Lascius scripsit.

uium,

uium, in vnum volumen compegit, atque in lucem dedit. Præterea, *librum Iuris Feudalis* fecit, & *Iuris Magdeburgensis*, quo communiter in Polonia oppidani vtuntur, *libros duos*. Demum, Iuris quoque antiqui gnarus, *summæ Raymundi Parthenopæi libros quinque*, tum & alia ad Ecclesiam Remquepub.... litterariam pertinentia, quæ in chartophilatio Ecclesiæ Gnesnensis, a tineis corrosa adhuc latitant: quam ille annis vno & viginti summa cura atque diligentia rexit. Et in augurato nobis Rege Sigismundo Augusto e vita decessit Anno 1531. 19. Maii, sepultus in cæmiterio Ecclesiæ suæ titularis, cum tali inscriptione.

IOANNES DE LASKO EX CANCELLARIO REGNI ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS LEGATIONIS NATE AVCTOR. TERRAM FIGVLI EX VRBE, ET AB HIEROSOLIMIS INDVCIT. QVA CIMITERIVM HOC CONSPERGIT, ET VRNAM GLEBÆ SVÆ HOC LOCI PONIT. MORITVR TANDEM ANNO D. 1531.

CLEMENTIS IANICII.

Religionis amor, patriæ pater, auctor honoris
Gnesna tui, castus cum pietate pudor.
Lascius, o sanctæ mors sancta simillima vitæ,
Sic, o si fas est, sunt mea vota mori.

STANISLAI STOSLAVII.

Ausonias toties peragrauit Lascius oras,
Personamque sui Regis in vrbe gerit.
Legatus Lateranam dum discedit ad urbem
Legatos Natos, Natus & ipse parit.

III. ANDREAS CRICIVS.

Eiusdem Gnesnensis Ecclesiæ Metropolita. Natus is maiori in Polonia, Lenciciensi Palatinatui adscripta, qui, oppidum Canonicorum Collegio, & schola ab Academia Crac. Professoribus acceptis, illustre habet; vbi ille humanioribus primum, dein Cracouiæ Philosophicis studiis operam posuit, & Alexandrum de Mysczyn, qui post Canonica dignitate, & suffraganei munere Vladislauiæ vixit, assiduæ audiuit. Prouectior Lutetiam Parisiorum lustrandæ Galliæ concessit. Inde in Italiam transgressus, Bononiam se ad percipiendam Iurisprudentiam contulit, eoque in studio, tantos breui tempore progressus fecit, vt adhuc adolescens publice de vtroque Iure, magna cum omnium admiratione responderit, eosque honores consecutus, qui amplissimi confecto studiorum curriculo decerni solent. Mox in patriam reuersus, non Prin-

Iuris lauream Bononiæ meritissimo accepit.

Principi ſolum, ſed omnibus etiam, ob ingentes animi dotes gratioſus, quæ eum gradatim per honores, in ſupremo ad extremum dignitatis faſtigio, poſt obitum Martini Dreuicy, Archiepiſcopi Gneſnenſis, collocarunt. Hic prima illi cura Bibliothecam inſtruere, veterum ſcrinia excutere, & manuſcripta exemplaria conquirere. Qua in re cum alios plurimos viros litteratos ſibi coadiutores habuit, tum præcipue Clementem Ianicium Poetam illum in tota Sarmatia clariſſimum, ad Præmislienſem adhuc, & poſtea ad Plocenſem Epiſcopatum euectus, magno ſumptu penes ſe aluit. Quamuis enim in dicendo facundiſſimus haberetur, multaque rotundo tum ore, contra creſcentes Hæreſes diceret, & grauiſſime ſcriberet, magis tamen eum (vt & Ioannem Dantiſcum Epiſcopum Varmienſem Collegam ſuum, cum legationibus apud diuerſos Principes clarum, tum grauibus Poematibus ſcriptis illuſtrem) ligatum ſcriptionis genus oblectabatur, quo, *Elegias, Epigrammata, & librum Epiſtolarum*, ad imitationem Ovidii, ad amicos conſcripſit. Ipſe inter togatos Regis conſiliarios, & tranquillis & turbidis rebus, ſemper e principibus vnus, cum & doctrina, & vſu rerum, & prudentia excelleret. Quem Deus Opt. Max. magna Eccleſiæ Polonæ commoda agitantem, altero Archiepiſcopatus anno, Cracouiæ humanis rebus exemit, redempti vero Orbis, Anno 1537. ætatis ſuæ 54. Corpus locum ſepulturæ in ſuo Epiſcopeio ſortitum eſt (ſuccedenti ſibi in eam dignitatem Ioanne Latalſcio) die Lunæ 8. Iulii, tali cum inſcriptione.

In Premiſlienſi primo Epiſcopatu Cancellarii dignitatem geſſit.

Fovit & Laurentium Cervinum Rhetorem cuius nunc Elegantiarum Oratoriarum Hortulus extat.

Aſſeruantur hæc in Bibliotheca Epiſcopali Bronſbergæ.

Ipſo die Aſcenſionis Domini hora 17.

REVEREND. IN CHRISTO PATRI D. ANDREÆ CRICIO, ARCHIEPISCOPO GNESNENS. &c. INCOMPARABILI VIRO, DE RELIGIONE ATQVE REPVB. BENE MERITO, MVLTISQ. NATVRÆ ET INGENII DOTIBVS INSIGNITER PRÆDITO. POSTREMVM HOC PIETATIS MVNVS, AB AMICIS CHARAM ILLIVS MEMORIAM RETINENTIBVS POSITVM. MORITVR. A.D.MD.XXXVII. ÆTATIS VERO SVÆ. A.LIV.

CLEMENTIS IANICII.

Omnia ſolus erat Cricius, quem ſorsque Deusque
Certabant ſummis vincere muneribus.
Sors tandem indoluit quod erat contempta ſub illo,
Maturamque virum ſuſtulit ante diem.
Heu! quæ reſtituent miſero mihi ſæcula talem.

VITELLII.

Victori Ennius Africano adhæſit,
Auguſtus quoque Horatium, Maronem,

Actium Brutus, Archiam Latinæ
Flos linguæ Cicero, atque principibus,
Istos hi celebres viri Poetas
Impensa veneratione amarunt,
Diuinam Cricius Poësim ita arsit
Magnis vt prope par foret Poëtis.

STANISLAI STOSLAVII.

Critius in meritos, vtroque in Iure peritus
Qui quondam tulerat præmia iure refert.
Felix per magnos est tandem vectus honores
Donec & in summo constitit ille gradu.
Orbaque vix tanto lætata est Præsule Gnesna
Extincti plorat funera mœsta viri.
Mors vitam rapuit non laudem, maximus illi
Merces perpetui factus honoris honos.

NICOLAI ZORAVII.

Anchora doctorum Cricius fuit atque leuamen
Quid mirum quando doctus & ipse fuit.

IV. STANISLAVS KARNCOVIVS.

Scripsit Vchanicius ille librum contra Stancarum Heresiarcham, & alium, de Sacrificio Missæ, Romanum Catechismum, Polonicum fecerat.

VIr multiplici præditus eruditione, atque inprimis Iuris Pontificii cognitione: in Episcopatu Vladislauiensi post Iacobum Vchanicium constitutus, a fundamentis plane labantem illam Diœcesim erexerat, templa a Hæreticis profanata aut spoliata innouauerat, vestibus sacris & imaginibus decenter ornauerat, Clerum reformauerat, atque dignitatem eorum auxerat, editis in vsum illorum *Constitutionibus Synodalibus Diœcesanis*, quibus & *Cathecheses lingua Vernacula* pro meliore informatione addiderat, simulque Seminaria & Scholas, vbi hæc talia, sacris initiandi ordinibus iuuenes, ediscere possent, instituerat, assignatis in alimentum ipsorum de mensa sua redditibus annuis. Cumque vir & in Politicis rebus prudens & bene versatus esset, idcirco multos sibi a Rep. impositos labores, multa negotia, multasque legationes strenue peregit, atque rerum earum omnium testes, *libros Epistolarum familiarium edidit*, tum *Panegyricos nonnullos ac librum de iure prouinciali terrarum, ciuitatumque Prussiæ*. Scripsit & *Sermones ad Parochos. Messiam. Atque Historiam interregni*, post discessum e Polonia Henrici Andegauensis, & *Orationem longe disertissimam*, qua eum aduentantem in Regnum exceperat, tum & *aliam in Comitiis Varsouiensibus in Senatu habitam*, qua explicantur acta legationis Gedanensis. Cumque Regem Stephanum, solus,

Ann. 1570.

&

& promulgaſſet electum, & inauguraſſet exceptum, præter morem auitum, & voluntatem diſſentientis tum ab electione Archiepiſcopi Gneſnenſis, qui ipſe hanc in rem ius & auctoritatem habet, ideo iſte poſt deceſſum diſcordantis, ex Epiſcopo Vladislauienſi in Metropolitanum promotus, meruit & alterum nobis Regem Sereniſ. Sigismundum III. legitima iam poteſtate inungere, Stephano e rebus humanis ſublato. Hac igitur in ſpecula locatus, verbo & exemplo gregem ſuum verus paſtor pauit, plane absque omni repræhenſione, vt vult Apoſtolus. Sacris enim tam ſancte vir pius quotidie operabatur, vt inter ſacrificandum & lacrymas effundere frequenter, & easdem aliis excuteret, ſcripſeritque annis labentibus, egregium *de Eccleſia vtraque libellum*, tum & *alium lingua natiua Euchariſtia intitulatum*, cuius dum vixit vehemens aſſertor enituit. Quem, cum plurimi, qui ſe ab Eccleſia, priuata ſui cerebri opinione ſegregarant, paulo diligentius reuoluiſſent, confeſtim ad gregem & gremium illius poſtliminio quaſi ſunt reuerſi, exemplo bono, cæteris in ſocietatem præclari facti adductis; quos tanti viri vel ipſa auctoritas allexerat. Erat enim nomen ipſius propter ſummam virtutem & eruditionem, tum apud ſuos, tum apud exteros ſummum; eoque magis inclareſcebat in dies, quo magis ad doctrinæ ſingularem opinionem, vitæ perpetuam innocentiam adiungeret. Quid hic liberalitatem ipſius in egenos? quid munificentiam in Religioſos Ordines commemorem? quid Collegium PP. Societatis IESV, ſumptu operoſa Caliſſii extructum? quid Seminaria, Gneſnæ, Vladislauii, atque itidem Caliſſii inſtituta? Quid Iuris, Theologiæque Magiſtros in eis? nonne & hinc erunt qui compellent, compellenturque intrare? cum vel ex ipſis ſcholis tot agmina iuuenum, pietate & litteris præſtantiſſimorum, in ſingulas Regni prouincias, ſingulis annis euolent? O magnum & laudabilem Præſulem; atque vtinam ſint, qui ſe ad præclaram Præſulis maximi virtutum diuinarum conforment imitationem: dignus vtique hoc ſepulchri titulo, ac marmoris ornamento, quod in æde a ſe Calisſii extructa ſpectatur, atque etiam Gneſnæ ante ſepulchrum Diui Tutelaris (S. Adalberti) ſupra fores conclauis 20. Capituli legitur.

Rex in Polonia, non niſi ab Archiepiſcopo Gneſnen. inaugulari ſolet.

Annis XXI.

D. O. M.

Æternæ memoriæ inclyti Præſulis & Principis D. Stanislai Karnkouii, Archiepiſcopi, Gneſnen. Legati Nati. Regni Poloniæ Primatis Primique Principis, &c.

Quod præſtantium ſalubriumque conſiliorum in Eccleſia & Republica, Dux, author, & moderator ſemper feliciſſ. Cum exſolutis pie liberaliter & magnifice ſuis vtrique muneribus. Erectoque & fundato

 dato

dato Calisſii Soc. IeſuGymnaſio ampliſſ. Burſa itemKarnkouiana, Seminarioque Archidiœceſano, felici nihilominus ex honeſta laudaque parſimonia opum prouentu floreret.

Baſilicam hanc venerandam Capituli aliorumque Collegiorum eius ſacerdotalium adauctis liberalitate incomparabili cenſibus illuſtriorem reddiderit, luculenter ſac. indumentis inſtruxerit, aram maximam ſumptuoſi operis iconibus exornauerit XII. clericos ad eiusdem miniſterium coemptis in eorum alimenta, iurisque ſacri ſtudium fixis reditibus, inſtituerit, gratamque in templa complura, cænobia prochodochiaque beneficen. & in clerum vniuerſum paternæ charitatis & indulgen. memoriam reliquerit.

Capitulum almæ huius Eccleſiæ metropolitanæ Gneſnenſis. Pro æterna eius requie perpetuum ſingulis menſibus Miſſæ ſacrificium ad Mauſoleum D. Adalberti facien. decreuit, gratique hoc & memoris animi M. P.

Epiſcopatum Cuiauienſem ſeu Vladislau, 18. annis adminiſtrauit.

Vixit annos LXXVIII. D. XXIX. Sedit in Archiepiſcopatu A. XXI. M. IV. D. V. Obiit Louicii VI. Idus Iunii Anno Domini M.DC. III. Caliſſii in temploSocietatis Ieſu inter ſacrarium aramque maximam ſepultus.

VITELLII.

Viues perennitatis æuo Karnkouii
Lumen decusque Lechiæ
Eccleſiæque columen atque egentium
Patronus & primus Pater.
Obliuione ab inuida te vindicant
Theatra virtutis tuæ.

ZORAVII.

Mentibus ex hominum prius oliui ad arua Canopi
Tecta euaneſcent barbara Pyramidum
Caliſſi quam Karnkoui ampla palatia IEſu.
Quæ ſtruxit ſociis haud tua curta manus.

STANISLAI STOSLAVII.

Io. Dem. Solic.

Sauromatum propriis minitatur terra ruinam
Et regni caſum Regibus orba timet.
Karnkouius ſtudio ſeu robore maximus Athlas,
Sub molem tanti ponderis ipſe ſubit.
Sauromatis Regem Samuel velut vngit oliuo
Eſt modo, ceu quondam victor vbique Dauid
Condere non minus eſt quam conſeruare beatum
Qui conſeruauit conditor eſſe poteſt.

V. IO.

V. IO. DEMETRIVS SOLICOVIVS.

ARchipræſul Leopolienſis, & Vachocenſis primo, poſtea Sieciechouienſis Abbatiæ perpetuus Adminiſtrator: equeſtris qnidem ordinis maioribus, ſed tenuæ iam ſortis, in Palatinatu Siradienſi natus, non modo illis ipſis in obſcuro verſantibus, verum etiam vniuerſo Eccleſiaſtico Ordini, virtute ſua præluxit, & aſſecutus eſt inter Roxolaniæ Magnates ſupremum dignitatis gradum. Quæ enim duæ res in vnum eundemque hominem raro admodum conuenire ſolent, præſtans ingenium, & ſumma animi modeſtia, eæ ambæ in illo ita eniterunt, vt de eo ornando certaſſe inter ſeſe videantur. Nam & in Philoſophiæ ſtudiis, quibus primos annos Crac. in Academia dedit, ita excelluit, vt ſuperiorum ætatum Philoſophis ingenio doctrinaque par haberetur. Quo factum, vt non ſuis modo, ob eximiam morum facilitatem, hilaritatemque naturæ, eſſet gratus, ſed externis etiam quibusuis, atque Magno illi Lipſio Cenſori eruditorum rigido & graui, magnopere laudatus; imo toti Europæ, quatuor & viginti obitis pro Rep. ad diuerſos Principes legationibus, clarus. Primus is Confraternitatem D. Annæ, ardore pietatis in Poloniam introduxit, & cum fere paſſim, tum inter D. Franciſci Religioſos ſectatores excitauit. Patres Societatis IESV, vtiles in partibus illis, ſchismate Græcanico a nobis disiunctis, operarios Leopolim introduxit; & cum aliis pluribus per vniuerſam Diœceſim ſuam Eccleſiis prouidit, tum Veſtalibus etiam, ſub D. Benedicti præſcripto viuentibus, in eadem vrbe monaſterium erexit. Academiæ Crac. in qua inſtitutus fuit, & cuius ſolius præceptis ad vitam cum virtute traducendam informatus erat, ſemper bene voluit, bene fecit; maxime ſtudioſis pauperibus. Tam enim effuſa erga indigentes miſericordia & beneficentia fuit, vt incredibile multis videatur, mediocres ipſius reditus, ad vſum tantæ liberalitatis diuinitus, vt aliquando farina & oleum illud Sarephtanæ viduæ, auctos interdum fuiſſe. Feruntque de illo, quod pauperi ſemel importune eleemoſynam petenti, annulum quo ſecretiores literas obſignabat, non habens, quod largiatur, dederit: accidit, vt aliquot poſt Menſes ſcribens ad amicum, ſigillum quod non erat in promptu, in arcula ſolita quæreret, & ecce inopinato, quem pauperi dediſſet, annulum conſpiceret. Attonitus itaque miraculo, procidit in faciem glorificans Deum, & exinde ad largiendum promptior fuit. Fuit & in contemplatione fere totus, in lectione vero Græcorum & Latinorum ſcriptorum, etiam tum cum in itinere eſſet, aſſiduus. Reliquitque de talento ſuo. *Super Pſ. 67. Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius. Meditationis ſeu explicat.* vere pias, vere dignas Præſule tanto

Illam enim Hieronymo ex fratre Nepoti I. V. D. regendam commiſerat.

Vſus præceptore in artibus Gregorio Samboritano, cuius nunc Ecloge extant & Theoreſis.

Labores Solicouii pro Rep.

Eleemoſyna.

Scripta Solicouii.

Item

Item *Fastorum Christianorum libellum. Lutheri Triumphum*, contra Thrasonicum eiusdem triumphum, a quodam Lutherano confictam. *Prussiam Ducalem*, eiusque sub Augusto Rege tumultum. Et hæc ligata Oratione. Soluta vero. *In obitum eiusdem Regis Augusti Orationem, & Panegyrim ad Gallos atque Sarmatas*: quæ sub nomine probi viri annectitur Annalibus Cromeri. In Chartophilacio vero suo reliquit, *super Euangelia, Psalmos, Epistolas atque Hymnos per annum in templo decantari solitos, expositionem, Ephemeris sacra nuncupatam.* Itemque *Meditationes quotidianas, Iuris Liuonici lib. II. ac eiusdem Prouinciæ Topographiam.* Familiares autem eius epistolæ, in seriis etiam grauibusque rebus scriptæ, innumerabiles pœne in Cænobio Vachocensi, sed indigestæ, asseruantur; plurimæ dispersæ: in quibus omnibus stilus electus, recondite elegans, rerum varia cognitio, notarum subtilitas, censuræ maturum quoddam iudicium: & ante omnia nescio quid altum & ingenuum, quod spirat in erat scriptis (legi enim posthuma fere omnia) quodque animum legenti obiicit non plebeium. Conditus est ante aram maximam, augusta in æde SS. Trinitatis apud Leopolien. quam annis circiter viginti irrepræhensibiliter rexit, vt ex adiuncto testamenti illius & Paraphrasi Matthiæ Sisinii. S. T. D. in illud, cuique videre fas est.

Obiit An. 1603.

VITELLII.

Solicouio præconium
Famamque factis comparem
Ambire, simile est ad facem
Inferre lichnum Phœbeam.
Contermina eius est Polo
Laus, meritaque superant solum.

ZORAVII.

Veni, vidi, hostes vici, semel ore superbo
Cæsar protulerat magna trophæa crepans.
Legatus vicibus viginti quatuor idem
O Solicoui tu resonare potes.

VI. PETRVS TOMICIVS.

EPiscopos inter, agmen ducat Petrus Tomicius. Nobilis de domo Nauis. Primum Cracouiæ, liberalibus artibus institutus, & laurea Philosophica ornatus: Dehinc Lipsiæ, post Bononiæ & Romæ, cum politioribus litteris ab Antonio Burgo Hispano, tum Iure Ciuili & Canonico a Philippo Beroaldo egregie informatus, & Doctor creatus; Domum reuersus Cancellarium apud Fridericum Cardinalem, germanum

An. 1490.

manum Regium aliquandiu egit; quo vita functo, Sigismundo Regi ad secreta adscitus, breui ad Episcopatum Præmisliensis & Vicecancellariatum Regni prouectus, officium tanta cum laude domi forisque gessit, vt eo retinente pauló post ad sedem Posnaniens. postea ad Cracouiens. anno quinto translatus, tantum gratia & auctoritate, cum apud Principem & Regni Summates, tum etiam apud exteros processerat, vt secundum Regem, summus omnium haberetur. Erat enim vir quadruplici lingua desertissimus, (vt facile *ex Latina Oratione illius ad Augustum Regem, & libro legationum, quas pro Rep. obierat*, colligere poteris) præterea forma conspicuus, animo excelsus, & ingenio atque consilio admirandus: in cultu & apparatu splendidus: in pauperes & omnes alios liberalis: in ceremoniis tam Ecclesiasticis, tam aulicis præcipuus: externorum, oppressorum, ac cleri, iuriumque Ecclesiasticorum, iustitiæ ac veritatis, propugnator acerrimus. Annum agens circiter septuagesimum, febre primum, post hydropisi sesqui annum decumbens, nihilominus sui officii munia, citra suam molestiam exequebatur. Tandem superante morbo, viribus sensim destitutus, perceptisque sacramentis Ecclesiasticis, ac rebus omnibus dispositis, legi sibi Euangelium passionis dominicæ mandauit. Quo cum gemitu & lacrymis audito, dum ad verba illa, *Pater in manus tuas, commendo spiritum meum, & hæc dicens expirauit*, ventum erat, spiritum vno nixu efflauit, incredibili omnium dolore ac Reip. iactura. Die XXIX. Octob. Anno partæ per virginem salutis 1535. Cracouiæ. Cuius mortem cum alii plurimi scriptis suis luxissent, tam domestici quam extranei, tum etiam Andreas Cricius Archiep. Gnesnens. tali carmine suum dolorem testatus est. *An. 1520.*

Petro Tomicio Episcopo Cracouiensi, & Regni Vicecancellario, Auunculo incomparabili, Cricius Archiepiscopus Gnesnensis Nepos, amari doloris plenus posuit. *Tabula in suo Oratorio affixa.*

Defunctum ploret semper Cracouia Petrum,
Ingenti cuius pastor honore fuit.
Publica res ploret diris obnoxia Fatis.
Consilio illius quæ bene fulta stetit.
Ploret Religio: plorent Ecclesia, Clerus,
Inuictus quorum semper erat clypeus
Mœreat aula suum quæ porrigit vna tenorem
Omnibus, extinctum iam decus esse suum.
Ingemat & Princeps tam digno orbatus Achate;
Quo sine succedant, quam sua facta videt.

Nam Petro extincto vigor aulicus ille refrixit,
Consilii eloquii, ponderis, & calami.
Oppressi ac inopes plorent doctique probique
Patronus quorum doctus & ipse fuit.
Denique plorem ego Nauclerus cui tradita sacræ
Summa Ratis: sola hoc remige fretus eram.
Exultent patriæ pestes & monstra sacrorum
Hercule ad hæc vno cum satis esse nequit.
Heu Petro color est mutatus & optimus vno,
Regni, Aulæ, Templi, Principis & Populi.
Ille tamen felix mediis sublatus ab vndis
Quas scelus ab ambitio numina læsa mouent.
Nunc ego auuncule mi mœrentem hoc carmine mentem
Testatam volui, cum tibi, tum Patriæ.
Tu vita exitus viues tamen: omnia quamuis
Mors rapiat: in famam non habet illa manus.

EPITAPHIVM.

Petrus hic & comites artes, prudentia, virtus,
Maiestas, species, gratia & eloquium.
Quem non ambitio, non dona, non aulica techna,
Sed Regum euexit gloria, voxque hominum.
Constitit in sede hac potius, renuitque supremam,
Sponte datam: Regni sed potiore bono.
Templorum columen, Patriæ laus, norma Senatus,
Iustitiæ clypeus, Pontificumque decus.
Hæc summa, hic tantum, nam non moritura viator.
Fusius exponet singula fama tibi.

Vir multis legationum functis honoribus, & poetica lauro ornatus.

Similiter quoque Ioannes Dantiscus Episcopus Varmiensis, tabulam cum his carminibus parieti appendit.

Hic iacet Antistes templi clarissimus huius
Gentis Tomiciæ Petrus in Orbe decus.
E viuis fractus longa ægritudine cessit
Illi quam, Regni sedula cura dedit.
Ardua tractabat qua sæpe negotia: magnus
Consilio, triplici magnus & eloquio.
Iudicio quoque sublimi, prudentia, & æqui
Cultura, constat non habuisse parem.
Hunc aula & lugens Respublica sentit ademptum
Cuius præsidio commoda multa tulit.

Omnibus hic post se virtutum exempla reliquit,
Per quas cum Christo viuit in arce Poli.

Aliud eiusdem.

Hoc viuens bustum sibi struxit Episcopus iste
Prudenter reputans quod moriturus erat.
Exornauit & hoc pulchrum cum dote sacellum.
Nec desunt mystis munera larga sacris
Pauperibus pius & doctis Pater esse solebat,
Nulli cui potuit ferre negabat opem.
Quicquid habent sophiæ duplicisq; volumina Iuris
Hauserat in Latiis non sine laude scholis.
Hoc igitur fieri vita durante sepulchrum
Iussit, & hic oculis vidit adesse suis.
Qui memor est mortis metuit peccare subinde
Peccat qui mortis non solet esse memor.

Hanc mœrens posuit suo tabellam
Patrono bene & optime merenti
Dantiscus requiemque sempiternam
Cuius subsidio est Episcoporum
Adscriptus numero, pie precatur.

IACOBI VITELLII.

Patriæ quantum, Fideique sanctæ
Quisque deberet, memorandus omni
Tempore, ostendis Tomici, docesque
Archetypo ipso.

STANISLAI STOSLAVII.

Tomicius patriam decorauit honoribus amplis
Nuntius in variis cognitus ille plagis.
Grata suo natum mater præfecit ouili
Fitque ouibus vitæ pastor imago suis.
Et tenet æternam merito post funera vitam
In vita doctus qui fuit ante mori.

NICOLAI ZORAVII.

Regi commendasse animam te Petre supremo
Dum moreris non est causa stupenda mihi.
Moribus integris vixti conclusio recta
Ex bene præmissis non male consequitur.

VII. PETRVS VOLSCIVS.

EPiſcopus Plocenſis. Tulliana facundia potius, quam aut generis nobilitate, aut muneris magnitudine, clarus quamuis & hæc vtraque habuerit magna. Iſtam, quod Plociæ Antiſtes, inter primos Senatus Polonici Patres numeraretur. Illam, quod Duninorum e proſapia deriuaretur, quæ multos toga & ſago viros illuſtres protulit. Nihilominus tamen, in quo tertia hæc diuina Diua (eloquentiam intellige) conſpicitur, arte vel natura comparata, quomodo non longe præſtantiorem eiusmodi virum faciet? Apud Athenienſes profecto magnus putatus eſt Demoſthenes, quia difficillimo tempore ſupremos magiſtratus conſtanti animo geſſit. Magnus apud Romanos Cicero, quia nouus homo & obſcuris parentibus, Conſularem dignitatem adeptus fuit. Magnus & apud Venetos Bembus, patrum noſtrum memoria habitus, quia & patricio genere ortus, & inter Purpuratos Patres Romæ connumeratus. Magnus ad extremum & noſter Hoſius fuit, quod plebeiis parentibus natus, propria virtute, non Senatoriam modo in Polonia dignitatem, ſed Cardinalitiam quoque mitram (quod non multis, claro etiam ſanguine ortis, contigit Polonis) aſſecutus eſſet. Nihilominus tamen, omnes iſti tales, eloquentia potius ſua, atque dicendi felicitate, immortalem conſecuti ſunt famam, quam aut alia ex prædictis rationibus. Nam & qui magiſtratus in Græcia, & qui Conſulatum Romæ, aut Cardinalitium galerum in Eccleſia nuper, tam obſcuris, quam claris e parentibus nati, geſſere, multi fuere profecto, quorum memoria, vel tota iam periit labentibus annis, vel difficulter admodum memoratur, quamuis Faſtis inſerta reperiatur. At quos præclara virtus, linguaque diſerta fecere beatos, horum ego nomen, memoriamque perennantem exiſtimo fore, obſcuriſſimis quamuis nati fuerint penatibus. Quis enim noſſet Roxolanum noſtrum Orichouium, equeſtri licet fuerit prognatus loco? quis Lipſium illum Magnum, & omnium eruditorum Ariſtarchum, non poſtremæ & iſte quamuis fuerit ſuos inter Belgas ſtirpis? quis Manutios illos, Politianos, Moretos, Sigonios, noſtrumque Simonidem, Socolouium, Gorſaum, aut alios infinitos, niſi eos omnes hæc illa talis extuliſſet. Quæ & Volſcium vna, adeo ſupra alios, vel generis ſplendore, vel Senatorii tituli, Epiſcopaliſue thyaræ dignitate æquales extulit, vt non per Polonias ſolum nomen ipſius, eruditorum ſermonibus celebretur, ſed per Europam fere vniuerſam. Ipſique Italici ſcriptores, qui cæteris ingenii ſubtilitate dicendique libertate præſtare videntur, ſcripta ipſius, pauca

Eloquentiæ vis.

Vera immortalitas famæ vnde.

Librum de SS. Trinitate.

ca quamuis illa, aſt optima, ſuo idiomate reddita habent. Qui autem Latino in ſermone viri facundiam cognoſcere cupit, legat vel ſolam illam *Orationem, quæ Henricum olim Poloniæ Regem Cracouiam ingredientem, omnium Regni Ordinum nomine excipiebat.* Vel Epiſtolas illius, quas in ſeriis etiam & magnis rebus, ad diuerſos terrarum Principes, ex tempore dictare ſolebat, a Karnkouio Archiepiſcopo Gnesnenſi, aliis illuſtrium virorum Epiſtolis inſertas.

VITELLII.

Corpore quantum animus præſtat, tantum inclyta virtus
Ingenii, quauis nobilitate præit.
Volſcius ex vtraque ſibi nomenque decusque
Quæſiit, inſignis ſtemmate & eloquio.

ZORAVII.

Quid ſit flexanimis facundia noſſe requiris
Scire hoc ex ipſo vel Cicerone potes
Quod ſit vſum? in magno populo & ſapiente Senatu
Volſcius oſtendet quanta ſit vtilitas.

VIII. LAVRENTIVS GOSLICIVS.

POſnanienſis Antiſtes. Vir cui mores inculpati, vita ſine crimine, Fama apud probatiſſimos quoque ſine macula fuit, quique idem cum Theologiæ atque Aſtronomiæ cognitione, naturalem quoque prudentiam, rerumque publicarum vſum & intelligentiam coniunxit, eximia Latinæ dictionis elegantia, quæ ſcriberet ageretur, comitante. Igitur in Academ. Cracou. vtraque Philoſophiæ laurea inſignitus, & in Italiam excolendo potiſſimum ingenio profectus, apud Principes viros & ſcientiarum Coryphæos ſummo in honore fuit, ſcripſitque cum Patauii maneret, optimum illum *De optimo Senatore libellum,* & qui ſolus pœne aditum ei ad Senatoriam dignitatem in patria fecit, Abbatemque primo Ordinis Ciſtercienſis Sodalium Claræ tumbæ creatum, ad Camenecenſem Epiſcopum, deinde ad Chelmenſem, atque ad extremum ad Poſnanienſem, virtutis ergo, ſedem erexit, in qua olim Lubranſcius ille eruditus ſedit; ille in quam de Republ. de Eccleſia ſua, deque pauperibus & ſtudioſis optime meritus, & qui ipſe diuinis pariter ac humanis literis Iuribusque ac ſingulari prudentia præditus, perpetuum ſibi monumentum Bonarum artium Collegium Cracouienſis Academiæ Profeſſoribus, Poſnaniæ erexit. Goslicius vero inter eos eruditus, ſcripſit

Baccalaureatus gradum Anno 1561. ſumpſit.

Lubranſcius Collegii Poſnanienſis auctor.

psit & alium libellum *De optimo Ciue*, idæam probi & patriam amantis viri, & qualem sese præstare studuit semper: Clarus & carmine pangendo, variisque poematum generibus, claris plerisque ea tempestate viris inscriptis, relictis: tum quoque illa insigni *pro statu sacerdotali Oratione*, cum occulta per id tempus deprauatorum in Religione opinionum lues, & Machiauellisticarum fraudium labes, inuadere Poloniam nostram cœpisset: Inflammassetque id malum, quo occultius, eo periculosius e paruis igniculis ortum, totum fere Regnum, nisi ad incendium restinguendum mature atque alacriter, verus hic pastor & custos, cum aliis sacri sui Ordinis viris aduolasset. Fato functus est octogenarius fere senex, meruitque marmoreum sepulchrum, in angulo Posnaniensis basilicæ capella erecta, quæ ad læuam introeundibus maxima porta, occurrit, tali epitaphio inscripto.

Hanc Varsauiæ in Senatu recitauit.

Illustrissimo & Reuerentissimo Domino Laurentio Gosliki gente Grimelio, territorii Plocensis. Viro pietate singulari, ingenio præstanti, consilio excellenti, candido, aperto, & animoso, Reipubl. & Ecclesiæ libertatis amantissimo. eloquentia rara, qui scientiarum insignibus publice decoratus, & ab aliquot Serenissimis Poloniæ Regibus, in precio & honore habitus, post multa varia & eximia in Remp. merita, & complures in grauissimis & difficillimis Regni negotiis pari fide & felicitate obitas legationes, primo Camenecens. paulo post Chelmens. Ecclesiis vtiliter Episcopus præfuit: deinde ad Ecclesiam Præmisliens. promotus, simul claræ tumbæ Monasterium laudabiliter administrauit. Postremo Ecclesiæ Posnaniens. præsul factus, cum eam feliciter annis sex, mensibus circiter quatuor rexisset, demum designato & adscito sibi legitime coadiutore & successore, septuagenario maior, viuida senectute gangrena neruorum tactus in pede dextro sensim occupante ad extrema deductus, animam Deo religiose commendauit, & piæ plenus spei reddidit Ciazinii Anno Domini MDCVII. Vltima mensis Octob.

Eidem Executores cum Nepote ex testamento monumentum mœsti posuere.

IACOBI VITELLII.

Discitis in vltimo
Orbe termini Arctoi
Qualis ingenii vigor
Quæue mens foret deces

Goslici

Goslici scripto, optimum
E Patauio tuæ
Cum Senatorem instruis
Patriæ, qui aheneum
Sese in hostili impetu
Fortiter murum daret.

NICOLAI ZORAVII.

Pulchrum Goslici Italiæ quod videris arua,
Pulchrum quod Præsul quodue Senator eras.
Pulchrum quod Sophus, Orator, pulchrumque quod Abbas,
Quodque Mathematicusque quodque Poëta sacer.
Pulchrius at certe, vis dicam tale quid illud
Patria quod laurum cessit vtramque tibi.

IX. MARTINVS CROMERVS.

IAcuit post Io. Dlugossum egregium rerum Polonicarum scriptorem, annos multos Historia, rerumque nostrarum memoria, quam Martinus Cromerus Antistes Varmiensis nuper reuocauit atque illustrauit. Fuit is in submontana minoris Poloniæ regione natus, & in schola priuata primo, postea in Acad. Crac. altioribus disciplinis informatus, & tandem vir factus, tantam ciuibus suis, splendore proprio claritatem attulit, quantam ante se Biecensibus, & post, vsque in hodiernum nemo. Qui eo magis suspiciendus est, quod nullo maiorum splendore commendatus, suis dumtaxat meritis, ad supremum in Polonia Senatoriæ dignitatis culmen peruenerit, quo, nemini de legibus nostris aditus patet, nisi equestri ordine natis: oppidanis vero & mercatoribus ditissimis quamuis, omnino est occlusus, quod hi tales pro plebe, reputentur omnes. Vnde si quisquam eorum, ita inclatuerit virtute, vt ipsam propter ipsam, non commodum aliquod, aut spem amet, dignusque ex eo, loco altiore in Rep. videatur, primum baltheo equestri donatum, inscribunt albo nobilitatis, tandem ad munia Reip. & honores sensim admittunt. Martinus igitur in disciplinam a parentibus Io. de Cazimiria, viro studio eloquentiæ sapientiæque noto traditus, & in illius sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit, & secundo postquam suus auditor esse cœpit anno, prima Philosophiæ laurea donatus, breui his quibus dixi dotibus, Augusto atque Henrico Poloniæ olim Regibus

Patria Cromeri Biecz oppidum.

An. 1530.

Regibus multopere gratus, adque Reip. negotia Secretarii nomine admotus, cuncta eius negotia singulari quadam industria tractauit: & posteaquam illa ad Stephanum Bathoreum esset deuoluta, inter sanctiores consiliarios, illis iisdem causis carus, admissus, premium virtutis Infulam Varmiensem, post defunctum Hosium, accepit, adhuc sibi ab Augusto Iagellonide destinatam. Cumque assiduas in Rep. occupationes haberet, & diutinas pro illa apud Carolum V. & Ferdinandum eius fratrem, Cæsares Rom. aliosue summos in Europa Principes, legationes obiret, traditur tamen litteras humanas diuinasque assidue euoluisse, tam diligenti cura, tam pertinaci in libris studio, vt cum diem sacris, aut ciuilibus occupationibus daret, noctem iis seponeret. Quo factum, vt a negotiorum curis ad Musarum hortos diuertere solitus, compluscula nobis scripta sua reliquerit: quædam & carmine Heroico celebrata, vt est Poema *de Christi resurgentis triumpho. De aduersa Vilnæ valetudine Sigismundi Regis.* Tum & alia pleraque. Prosa vero. *Dubitationes de vera via salutis. De pœnis sacrilegorum. De celibatu sacerdotum. De dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ, quem librum Monachum appellauit. De vera & falsa Religione. De situ Poloniæ; De rebus gestis Polonorum. De sacramentis Cathechises. De concentibus Musicis, quos Chorales appellamus. Demum Sermones Synodales, quos in Prouincialibus Episcoporum congregationibus, ex altiore loco recitauit. Orechouium. Theognidem e Græco Latinum.* Atque vltimum *Epistolam de Optima politia ad Senatum Regni Poloniæ*, quæ passim Chronico illius operi, ob egregias præceptiones adnectitur. Epistolas vero familiares plurimas sane cum aliorum Epistolis euulgauit Archiepiscopus Karnkouius, quo cum ipsi interuenerat amicitia: Sed longe plures manu scriptæ apud viros doctos asseruantur. Et Stanislaus Kuczkouius, vir apud Leopolienses Consularis & eruditus, maxime Mathematicis disciplinis, nonnullas nobis, manu ipsius exaratas, & quidem graui in re scriptas, pro sua humanitate legendas exhibuit.

Scripta Cromeri.

IACOBI VITELLII.

Obruta in æternis iacuisset Sarmatia vmbris
Vnaque Lechiaco nox foret imperio
Ni tua facundissime lux diffusa Cromeri
Sarmatiæ in gentes factaque resque daret.

STANISLAI STOSLAVII.

Natus in obscura Biecensi plebe Cromerus,
Cur proprium vincat quæris honore genus;

Tollit

Tollit in excelsum sapientia summa Cromerum,
Non humilem virtus posi-set vlla locum
Tempora præsulea cingit doctrina tyara
Debetur doctis Varmia iure viris.

X. MARTINVS BIALOBRESCIVS.

ABbas Clarætumbæ primum, postea Episcopus Camenecensis, non in Concionibus solum felix, sed in Senatu etiam dicenda sententia clarus & carus; illa tempestate præsertim, qua, tot prudentes viri & diserti, veluti stellæ splendebant circa Reges suos Sigismundum primum, & Sigismundum Augustm F. in Senatu Polonico, Quos inter & Martinus haud postremus fuit, legationibus præsertim aliquot ad diuersos Principes feliciter obitis. Sed & in Ecclesia Dei non obscurum sortitus locum, incredibili zelo flagrans adeo, vt nihil penitus de præscripto Apostolico prætermisisse videatur, cum singulas Diœcesis suæ Paretias ipsus diligenter quotannis inuiseret, ipse concionaretur, ipse confessiones exciperet, cum Hæreticis disputaret, dogmata Catholica, cum aliis scriptis suis legenda fidelibus spargeret, tum *Orthodoxa Confessione*, *ac Homiliarum seu Concionum Postilla edita*, contra Schismata Græcorum Roxolanorumque insurgeret, nihilque omnino non ageret, quod vel ad ornandam Ecclesiam, vel ad propagandam vtile fore videret. Quo factum, vt & Hæreticorum, & Hæreseos nouitati fauentium, acerbissimum in se odium concitarit; imo & sciolis æui illius, calumniandi, pro sæculi infelicitate, dederit occasionem.

Vsus opera Matthæi a Consten. viri doctissimi e : Academ a, cuius extat, Cobo ta-tio E cle-siaru n Sarmat carum ad auitam Religionem.

VITELLII.

Non conticeps tantum Hydra in Herculem quantum
Irarum & indignationis in dextre
Pro Ecclesia, pro veritate bellantem
Bialobrescium diffudit Hæresis, verum
Tametsi inexpertum nihil reliquisset
Et nihil inausum, Antistiti, triumphorum
Amplissima hinc seges Gigantulis fractis.

ZORAVII.

Hæreticos contra certat Bialobrescius armis
Pro Romana etiam religione mori,
Excipit humanæ commissa piaculæ mentis,
Scribit, perlustrat, subdita templa docet.

Talis si Præsul, Cleri quid cæterus ordo
Inuigilans proprio quam fuit officio.

XI. ANDREAS PATRICIVS NIDESCIVS.

PRimus post recuperatam a Moscho per Stephanum Regem Poloniæ Liuoniam, Episcopus Vendensis, Vir omni scientiarum genere præditus, atque ob id cuique docto & probo clarus, maxime cum in Italia fuisset, Boncompagno, Sigonio, Paulo Manutio, Robertoque Turnero familiaris, quibus tantum dicendi peritia commendatus fuit, quantum quisque illorum *ex Commentariis eius in duas Cic. Orationes: gratulationibusque ad Stephanum Regem*, post deuictum ter Moschum, nomine Cleri Varsouiensis habitis, gustus percipere potuit, de quibus hoc ingeniosum Cochanouius noster lusit Epigramma.

Scripta illius.

lib. Epigramma secundo.

Patricius Stephano canit hæc encomia Regi,
Non alio Rex hic, ore canendus erat.
Sicut enim bello Rex insuperabilis ille est,
Patricio eloquii laus ita prima datur.

Scripsit præterea, *librum Fragmentorum Cic.* cum Philosophicis rebus Patauii sedulam operam daret. Item, *librum Parallelorum Ecclesiæ Orthodoxæ cum Synagoga Hæreticorum.* Præpositi Varsouiensis titulo auctus: atque demum *de vera & falsa Ecclesia lib.5.* Vilnensis Ecclesiæ Archidiaconus creatus, quibus nouatorum fraudes egregie detexit, & conatus impios fregit, qui nouam religionis faciem, a sincera & pristina alienam, imo cum illa prorsus pugnantem, nullo litterarum præsidio inducere conabantur, Lutherum, Seruetum, Oecolampadium, Bucerum, aliosque farinæ huius perditos homines, tum serpentino more venena iacientes depressit, & perniciosa earundem dogmata recens conficta, aut rursum ab inferis reuocata, suis scriptis iugulauit. Vir sane doctus, prudens, & consilio maturus, ac eam ob rem, cum aliis viris doctis gratiosus, tum prudentissimo illi morum & ingeniorum censori Stephano Regi, qui eum vti altioris genii virum, in altiore dignitatis loco, & sella Senatoria collocaturus, nouiter a se fundato Episcopatui in Liuonia præfecit. Cui ille breuiter præsidens, multis ante exhaustus laboribus, vitam cum morte, vel retro potius commutauit, seque in Episcopeio funerari iussit. Anno CIↃ IↃ LXXXIII. Amici næniis funus prosecuti sunt: in his Solicouius Archiepiscopus Leopoliensis, his versibus parentauit.

In Polonia quilibet Episcopus est Senator.

Tu Sunamitis eras viuo dulcissima Venda,
Tu Nideci sponsa, decusque meum.

Te

Te propter patriam liqui, te propter amicos,
Tu mea vel tumulo frigida membra foue.

Et item.

Patricius toto quondam clarissimus orbe,
Fortunæ florens ingeniisque bonis.
Regibus ob meritum virtutis gratus, honore
Præsulis auctus obit, hac tumulatus humo.

VITELLII.

Mellea Nestoreo qui dicta stupescis in ore
Patricius dulci Nestore maior erat.
Nam Regum cecinit Mauortia facta, suisque
Fecit vt in scriptis hæc monumenta forent.

XII. ANDREAS LIPSCIVS.

SVperest adhuc & exornat ætatis suæ gloriam, vir sæculorum memoria dignus Andreas Lipski, Magnus Poloniæ Cancellarius & Episcopus Vladislauiensis, primo Luceoriensium & Volkyniæ Antistes Regnique Procancellarius. Vir studio docendi & sapientiæ notus, ferendaque in Senatu sententia inprimis clarus. Experimento est, *scriptum illud de rebus Regis nostri Sigismundi III. gestis*. Breue quidem, ast prudenter a se Romæ editum, cum suæ maiestatis Secretarius modo diceretur, atque *Decas Quæstionum* pro libertate bonorum Ecclesiasticorum asserenda, luculenter conscripta, cum Episcopatus Cracouiens. post decessum, piæ memoriæ Petri Tylicii, Administrator esset, & in Collegio Canonicorum Scholastici titulo ornatus præesset. Tum demum *Obseruationum Iuris* valde probatus liber, in duas Centurias diuisus, & qui pæne solus aditum sibi ad honores, & Episcopalem thyaram fecit, licet hoc ipsum & familiæ dignitas, præclaræ virtuti coniuncta pro meretur.

Iuris V. D.

Virtutes suas latius in Panegyri nostra ad ipsum expressimus.

VITELLII.

Quis quantusque Deoque Principique
Sit Lipski & Patriæ, Reique quantum
Publicæ studeat docet diserte
Hoc fama Imperio loquens in isto
Lipscii memoranda facta, sæculisque
Absque omni inuidia canenda seris.

ZORAVII.

Antistes Lipsci ac vt Cancellarius esses
Hoc tibi doctrina & nobile stemma dedit.

Antistes digne ac vt Cancellarius esses
Munera doctrinæ, hoc sola dedere tibi.

STOSLAVII.

Lipscius haud dubitat legum præscribere leges
Et facit in gemino viuere iura libro.
Ni bene iudicio seruetur mortua lex est,
Neglectoque iacent iura sepulta foro:
Quomodo seruentur Lipsci docuere libelli
Non potuerunt vnquam iura Polona mori.

XIII. MARTINVS POLONVS.

Primus e Sarmatia scriptis apud exteros inclaruit Martinus.

ORdinis Prædicatorum Professus, de nobili familia Streporum, apud Nicolaum III. Pontificem Romanum Pœnitentiarius, virtutibus & doctrina insignis, vt qui non familiæ suæ modo, sed totius Poloniæ fere, sub id temporis, lumen clarissimum fuerit, quod primus tum ex Polonis, idque solus, scriptis inter extraneos inclaruerit, vnde & Polonus, a gente cognominatus est, ac si Scylurus ille Scytha, quod alium e Scythia parem sibi ingenio non habuerit. Inter cætera igitur ingenii & stili sui monumenta, reliquit Martinus noster *summam Iuris Canonici*, quæ Martiniana vocatur. tum *Chronicon Summorum Pontificum atque Imp. Romanorum*, summa Latini Sermonis venustate ac puritate comprehensum. Quam ob causam, cum & Summo Pontifici supradicto, & suis in patria Principibus, magnopere gratus esset, in Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopum, post Philippum de domo Vieniauitarum Anno Domini 1278. Sublimatus fuit. Quo tempore sedes illa, ob frequentes Summorum Pontificum mortes, sex annis ex integro vacauit. Confirmatus itaque & inauguratus Romæ, dum Boleslao Calissiens. & Præmislao Posnaniens. Ducibus euocantibus in patriam pergeret, apud Bononiam infirmitate correptus, diem extremam clausit, & in Cænobio D. Castoris FF. Prædicatorum ante Sacristiam sepultus quiescit. Anno 1279.

CLEMENTIS IANICII.

Munere Pontificis Monacho data Gnesna, sed illi
Dum redit infelix Felsina busta dedit.
Tam cito cur moreris Legum, Iurisque perite?
Non potes an stygias vincere Iure Deas?

VITELLII.

Io. Dlugossus.

Ne totum sibi vendicet
Iactabunda sui Romulea ingenii

Tu

Tu Martine tuo potens
Ostendis genio, nos medio Arcadum
Nequaquam grege proditos
Hoc vitas celebrans Pontificum facis.

XIV. IOANNES DLVGOSSVS.

ALias Longinus dictus. Io. Dlugossi de domo Wieniaua, Præfecti Corcinensis F. Canonicus Crac. nominatus Archiepiscopus Leopoliensis, liberorumque Cazimiri Iagellonidis, Regis Poloniæ, præceptor, eo quod in Academia Crac. optimis artibus a fundamentis esset eruditus, earumque laureis pro more insignitus; primus ipse, in signum gratitudinis, & rei litterariæ incrementum, auctor Contubernii Iurisperitorum & fundator extitit. Idemque fatiscentium Ecclesiarum instaurator, & Xenodochiorum, pauperumque omnium communis velut pater. Sed & *rerum a Polonis gestarum ipse primus scriptor & illustrator*, quamuis ante eum Cadlubcus Episcopus Crac. suis Commentariis connotauerit, verum quia connotauerit tantum per modum Epistolarum aut Dialogi, non filio Historico seriem rei scripserit, idcirco primas huic nostro damus, vt qui & *Circumiacentium populorum fortia, aut secus facta, veraci calamo depinxerit*, quare & in lucem prodire haud permittitur, quod pleraque sine respectu scripserit. Confecit insuper & *Ecclesiæ Cracouiensis Acta, & Beneficiorum in Diœcesi illa Ecclesiasticorum synopsim*, vbi omnes omnium Paretiarum immunitates, erectiones, & prouentus in certas classes disposuit, manuque & ingenio indefatigabili connotauit. Vir enim indefessæ mentis aciei & diuinæ prope memoriæ fuerat, cui & arguta verborum ac sententiarum compositio non defuit. Præterea pietas syncera, deuotio summa, contemplatio rerum diuinarum assidua: qui & ieiuniis disciplinisque asperrimis, & orationibus prædicationibusque assiduis, & Regiis insuper negotiis distentus, mirum quomodo tantum temporis scriptioni lectionique insumere potuerit. Plura de eo cognoscere qui exactius volet, legat vitam illius a Felice Herborto, Tomo illius primo per se euulgato præfixam, & morum castitatem, animi demissionem, laborem assiduum, humanarumque rerum contemptu, luculentissime, in ipso fuisse perspiciet.

Scripserunt ante Cadlubcum ad huc res gestas Polonorum, Gallus Anonymus & Basko Custos Posnaniens.

Scripsit & vitam S. Stanislai atque aliorum sanctorum Hungarorum & Polonorum.

VITELLII.

Homerum Achilli fulminanti in hostico
Inuidit olim Rex potens
Suisque talem buccinatorem magis
Optabat in factis dari.

Qui Sarmatis Dlugoſſium inuideat erit,
Ipſumque cœlo ſubuehet.

ZORAVII.

Es longus ſcriptis Longine ab origine longa
Nam repetis longo geſta Polona ſtylo.
Longus es autor eras quia iure ſtudentibus ædis
Hæſuræ longo tempore menti hominum.
Longus es aut quia auus, pater aut tu corpore longo,
Et res & nomen quam bene conueniunt.

STOSLAVII.

Hiſtoria eſt lux vera canens, ſi falſa tenebræ,
Vera poteſt aliquid, falſa docere nihil.
Hiſtoria eſt lux vera refert nam cuncta Dlugoſſi
Vt tua lux latitet terra Polona ſinis,
Crimina ceu denſas horres ſpectare tenebras
Hæc certa aut iſta luce videnda times
Crimina dum celas, celas cum luce tenebras
Ob tenebras lucem non bene carcer habet.

STANISLAI STOSLAVII.

Sarmaticam ſeriem repetens ab origine rerum
Omnia quidquid erant vera Dlugoſſe refers
Hiſtorici prima eſt virtus deſcribere verum
Non virtute cares, cur? quia vera refers.

XV. STANISLAVS RESCIVS.

RElígioſorum hominum in cœtu Stanislaus Reſcius pius Abbas familiam ducat. Is patria Posnanienſis, a teneris fere annis in ſinu Magni illius Cardinalis Hoſii educatus, bonas artes, & bonos mores imbibit, illiusque ipſius exemplo ad pietatem informatus, per omne tempus Concilii Trid. quo ex omnibus Orbis partibus, ſarciendæ in Eccleſia Catholica concordiæ, præſtantiſſimi quique Theologi, præter Antiſtites, a Principibus mittebantur, Secretarii titulo ornatus in eius familiaritate vixit. Doctoris laurea poſt Canonicaque apud Varmienſes dignitate aucto, in Gallias ad Henricum Valeſium Poloniæ Regem renunciatum, legatio Romæ obuenit, vt illi nouam eam dignitatem nomine Cardinalis ſui gratularetur, fidemque ſimul, ſubiectionem, ac ſalutem diferret. Inde reuerſo (Deo ad altiora viam ſternente) ſigillatoris officium in tribunali S. Pœnitentiariæ commiſſum, ac tandem

Legationes Reſcii.

a Rege

a Rege Stephano in patriam reuocato, Abbatia sodalium sacrorum Andreouiensium data. Qua auctus, legatum ad Gregorium XIII. & Sixtum V. Pontifices Max. Regis sui ac Reip. nomine egit. Iterum iussu Sereniss. Sigismundi III. apud Remp. Venetam, Ferdinandum Hetruriæ Ducem, in Regno Neapolitano, atque demum apud Clementem VIII. cui & obedientiam nomine suæ maiestatis fecit, & in causa Canonizationis D. Hyacincti plurimum laborauit. Cumque acerrimo esset ingenio, & eximia animi magnitudine, inter tot negotia, tamque serias occupationes, ad hæreses clam e Germania Hungariaque in Poloniam serpentes reprimendas, cum ingenii neruos, tum actiones omnes contulit. Testis est inprimis *liber pro augmento Fidei Orthodoxæ* conscriptus, & alter *pro defensione Patrum Societat. IEsu*, itemque alius eadem in materia *Spongia intitulatus*. Quibus adiunxit *Ministromachiam, Atheismos & Phalarismos, Vitam Hosii Cardinalis. Paraphrasim septem Psalmorum Pœnitentialium. Admonitionem Polonicam. Sermones de Sacerdotio. Pia Progymnasmata, & lib. Epistolarum familiarium, deque maiestate sedis Apostolicæ Tractatum.*

Restat hac de re Oratio ipsius.

IACOBI VITELLI.

Talis Rescius inter eruditos
Qualis Roscius vnus in theatro
Cum solus populi approbationem
Et plausum sibi comparasset omnem.
Tam felix fuit eruditione
Vt suadæ merito medulla dici
Corculum sapientiæque possit
Suauis Rescius in Latinitate.

XVI. B. IOANNES CANTIVS.

AB oppido Canti, in quo natus, cognomentum B. Ioannes induit, qui a puero, mente in assidua diuinarum rerum meditatione defixa, totam ætatem in innocentia, morumque sanctitate transegit, & vt primum per ætatem licuit, Cracouiam excolendi ingenii causa ad Academiam se contulit. Philosophicisque ac Theologicis rebus sedulam operam impendit ita, vt quod aliis sciendum aut faciendum altiore ex loco dictaret, id totum ipse in exemplum reipsa præstaret. Doctor renunciatus, Epistolas D. Pauli, postea libros sententiarum Petri Lombardi, atque tandem Summam D. Thomæ, multos annos, magno discipulorum concursu explanauit. Illoque sane doctrinam sacram nemo aut in scholis doctius interpretatus est, aut copiosius in concioni-

Primam in Philosophia lauream Anno 1415. consecutus est.

bus, addam & efficatius enarrauit; siquidem & Turci ipsi atque impii Saraceni eum prædicantem Christum Crucifixum patienter audire non abhorrerent, qui martyrii corona flagrans, quaqua sese Hierosolymitano in itinere vertit, iis, vitæ neque rerum suarum metuens, exprobrabat mentis cæcitatem, falsumque vatem Machometem, verum Seruatorem Christum prædicabat. Adiit & vrbium dominam quater, vt corpus maioribus mansuefaceret afflictionibus, flagris insuper solitis horis in seipsum sæuiens. Vnde quæsitus aliquando, cur sæpius frequentaret vrbem, cum nullum in Curia beneficium procuraret quinimo Ilcussiensem Parochiam suæ curæ ab Vniuersitate commissam, consequenti se vltro resignaret. Respondit se istud fecisse graui onere Curæ Pastoralis perpenso, quod officium eiusmodi assidua pastoris præsentia indigeat, & Academica similiter statio, cui prius nomen dederit, integrum, non vero dimidiatum hominem requirat, se autem non posse, neque etiam velle, per substitutas personas, satisfacere vtrique officio, sed vni rei vnum semper intentum esse oportere. Illud vero propter expianda piacula facere, quo enim frequentioribus esset peregrinationibus afflictus & turbatus, eo feliciorem in cœlis quietem sibi promeruisset. Cui bono & castitatem a puero, vsque ad extremum spiritum, inuiolate seruauit, & vt fomitem concupiscentiæ domaret, a quo tempore nomen Theologi publice est adeptus, carnibus semper abstinuit. Vtque omnes concupiscentiæ neruos ex animo elideret, atque vsui carnium sibi interdiceret, iussit carnes sibi assatas, & statim ab igne dare, quibus os vultumque sibi calentibus percutiens & adurens, in talia, ad sui correctionem prorupisse traditur, carnes caro expetiuisti cupida, vescere igitur illis feruentibus & ab igne. Atque simul dicto in Orationem prouolutus, petiit eiusmodi tentationibus liberari, quæ & pruritum libidinis ex se excitarent: ex auditusque est suppetiante Deipara virgine, quæ cum puero dulcissimo Iesu comparens, sertum sibi candidum, conseruatæ Virginitatis præmium, futuræque tesseram gloriæ porrexit, atque deinceps multoties, orantem in atrio Collegii, per imaginem allocuta est: quæ sacra imago in hodiernum quoque; eodem in loco asseruatur veneranda. Mendacium autem adeo abhorruit, vt & a prædonibus per viam spoliatus, veniam postularit, quod re conditiore vestis in parte, nummorum oblitus, dixerit perterritus se plus pecuniarum non habere. Ac proinde fugam properantes vltro ipse reuocauit, rogauitque vt asportarent & reliquum, modo se mendacii vellent excusatum habere, quod non ita cito timore excusso sese recollegisset. Mirati illi candorem viri sancti, & numine quodammodo inspirante per-

Quater pedes Romam adiit.

perculsi, non modo pecuniam ablatam restituunt, sed vitæ etiam emendationem prouoluti ad genua pollicentur. Domi in consultationibus publicis, inque tota conuersatione rectitudinis amans, semper illud tritum præ oculis habere solitus erat *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Quam propter si quando dicto acerbiore læsus ab aliquo fuerat, hæc secum cogitare tacitus consueuerat.

Conturbare caue non est placare suaue.
Infamare caue, nam reuocare graue.

Quod symbolum & mensæ suæ, sedilibus, parietibus, atque libris ad extremum inscriptum habuerat. Quæ vero miracula in vita, aut defunctus gesserit? hæc vide apud Petrum Scargam Soc. IESV Theologum, in vitis sanctorum, tum apud alios fide dignos viros. Scripta autem sua, præcipue *Libros tres super Matthæum, & Sermonum librum vnum* communitas Academica in archiuo, tanquam thesaurum preciosissimum asseruat; simul & togam illius Philosophicam, quam indutus Artisticæ facultatis Decanus (namque & Diuus ipse dum viueret, ter istum honorem gessit) singulis semestribus commutationibus, iuramentum suum vniuersitati præstare solet, alius atque alius electus: quæ nihilominus in tam frequenti vsu illacera manet. Ipse morti vicinus, & iam in limine Fati, nimio patriæ cælestis desiderio flagrans, in hæc prorupisse verba dicitur: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Atque simul dicto reuertentem spiritum Christo seruatori suo commendauit. A. 1473. Cuius corpus sacrum in D. Annæ Ædibus repositum, sexagesimo sexto ab obitu suo anno, illæsum ac integrum stanneo capulo Iacobus Clepardiensis Canonicus Crac. imposuit, ac tumulum marmore pulcherrimo exornauit. Quem cum anno tertio supra millesimum & sexcentesimum aperuissent illi, quibus id negocii demandatum erat, mira ex templo flagrantia odoris prorupit, & vniuersam ædem impleuit suauitate olente adeo, vt multos in sui admirationem ac venerationem simul raperet; atque inprimis ipsum Cardinalem Macieouium, qui tum languidus ex morbo, voto ad Diui sepulchrum facto, pristinam sanitatem repente obtinuit, donaria obtulit, & Missæ sacrosancto sacrificio ad illius altare peracto, inscribi calici, quem dedit, hoc factum iussit, quod magnificauit Dominus facere cum illo, in rei perpetuam memoriam.

Mos Acad. Crac. in eligendo Decano Philosophicæ facultatis.

In priuilegio Natiuitatis Domini.

IACOBI VITELLII.

Lucidum Musis decus atque sanctæ
Verus assertor probitatis olim
Quem Serenati tenet aula cæli
Inclite Canti.

Rebus

Rebus afflictis Pater alme, Veni,
Sarmatum, quos ipſe tua magiſtra
Voce formabas, in eos ab alto
Reſpice Olympo.

XVII. IACOBVS GORSCIVS.

In Decanatu Valentini de Raua.

CRaſſiore quamuis Maſouiæ aere natus, a puero attamen ita mitioribus artibus imbutus, vt decimo ſeptimo anno ætatis ſuæ, primam in Academia Crac. lauream meritiſſimo acceperit, addideritque nobilitati generis ſui, etiam virtutis nobilitatem, ſumptam a moribus & diſciplina piorum doctorumque virorum Academiæ illius. Cumque iis literis quibus omnis ætas ad humanitatem informari ſolet, eſſet inſtitutus, in Græcisque laudabilem feciſſet progreſſionem, ſumpta magiſterii dignitate,ad publicam Iurisprudentiæ profeſſionem,ſumma cum laude acceſſit, & Doctoris inſignibus Archipresbyteralique infula, tempore labente decoratus eſt. Quanti porro docendi prouinciam ſemper fecerit, ex eo certe apparet, quod lautioribus affluens fortunis, cum quietus iam viuere poſſet, cathedræ officio & publico docendi iuuentutem munere, ſe non abdicauit, ne ab honeſto otio auocatus deeſſet per ætatem ſuam floreſcenti iuuentuti, quam ſemel informandam ſuſcepiſſet. Cumque pari fere laude in cognitione humani diuinique Iuris floreret, (quæ laus paucis, noſtra ætate obtigit) quæſitam hanc in ſcholis doctrinam, vſu & exercitatione forenſi ſic confirmauit, vt ambigerent omnes, ad Gymnaſiumue, an ad Fotum, an vero ad Remp. magis foret idoneus. Fidem facient, elaborata illa *De Periodis*, *De Figuris, Deque generibus dicendi*, ſcripta a ſe edita. Ita quoque, *De vſu legitimo Euchariſtiæ. De Paſtore. De Baptiſmo Prædeſtinatorum. Cruſius ſeu animaduerſio in Theologos Vittembergenſes. Præmunitio aduerſus inſanum dogma Francken Arrianum, & aduerſus eundem Apologeticus. Victoria Regis Stephani Commentaria artis Dialectices. Rhetorices & Orationes Præfationesque in varios variarum ſcientiarum ſcriptores*, quibus nihil in eo genere, aut vſu melius, aut doctrina perfectius inuenias. Addidit hiſce, *Præſtantiſſimorum virorum epiſtolas, vltro citroque ſcriptas, libris triginta compræhenſas*. quibus præcipue Tomicii,Choieuii,atque Schidlouecii, clariſſimorum in patria noſtra virorum res geſtas, conſilia, & Senatus conſulta, peruigili opera ab obliuione vindicauit, atque ſimul ipſe clarus hinc euaſit: vel ex eo non vulgaris ſcientiæ, aut iudicii æſtimandus, qui altum & ſupra omne vulgus Oratorem Ciceronem æſtimaret, eius ſcriptis incumberet, doctos quosuis amaret, maxime Orechouium illum

Ann. 1551.

Extat diſſertatio pulcherrima Laurentii Siradienſis ſuper hanc diſputationem Periodicam Gorſcii & Herbeſti Academicorum Cracouienſium. Extant prælectiones eiusdem Plocenſes, Cracouienſes, Leopolienſes & Apo-

lium disertum, Demosthenem Latinum, ob egregiam dicendi libertatem appellatum, velut patrem ac præceptorem veneraretur; tum Melchiorem Pudlouium, primo discipulum, post censorem scriptorum suorum. Defuncto curatores testamenti illustre monumentum in Basilica Cracouiens. posuere. *logia pro Academia Cracouiens. Scripsit is Pudlouius librum pro Religione ad Magistratus Poloniæ.*

REVEREND. IACOBO GORSKI I.V.D. ARCHIDIACONO GNESNENS. CANONICO ET ARCHIPRESBITERO CRAC. VNIVERSITATIS PROFESSORI, PROCANCELLARIOQVE CELEBERRIMO, AC EIVSDEM OCTIES RECTORI DILIGENTISSIMO DISCIPVLORVM COPIA CLARISS. SCRIPTORIQVE DISERTISS. AC PROPTEREA MAGNO REGI STEPHANO CHARISSIMO TESTAMENTI CVRATORES ET AMICI PRECATI REQVIEM ÆTERNAM, HOC MONVMENTVM POSVERVNT DEFVNCTO. ANNO MDLXXXV. XVII. IVNII.

IACOBI VITELLII.

Non plus disertus, per Latium Arpinas
Lingua potenti, Rex fori & arbiter
Regnabat in Rostris; foroque
Præsidium Patriæ reisque
Quantum erudito Gorscius ex stylo
Suauique Musa, nomen & inclytam
Inusitata laude famam
Posteritatem apud omnem habebit.

NICOLAI ZORAVII.

Rhetora si spectes Gorski Fabius fuit alter
Quod si Ius geminum, Bartholus alter erat.

XVIII. HIERONYMVS POVODOVIVS.

Canonicus & Archipresbyter Cracouiensis, nobilibus ortus parentibus varia eruditione, & iudicii acumine inter doctos sui æui viros inclaruit, domique primum liberalibus ac Philosophicis disciplinis imbutus, in Italiam sese ingenio excolendo contulit, & cum aliis doctissimis præceptoribus vsus est, tum Hannibale Roselio FF. Minde Obser. Professo, & ad S. Bernardinum Cracouiæ, studii Regente, quem ita coluit ob ingenii præstantiam & amauit, vt omnes eius in Mercurium Trismegistum Tomos ingenti sumptu & cura, additis *Hannibalis in Trismegistum*

 etiam

megistum Tomi sunt XIII. numero.

etiam suis præfationibus, in lucem daret. Ipse imitatus eum in scribendo, disputando, illustrandoque obscuriores Bibliorum scripturas. Et cum passim videamus eos qui in sapientiæ studiis, atque in cœlestium ac diuinarum rerum inuestigatione excellant, ad res publicas ciuilesque tractandas minus aptos esse; vtramque laudem Hieronymus noster felici ac in omnes partes facili ingenio suo adeptus est, vt qui Secretarii Regi titulo decoratus, & in aula multa negotia strenue peregit, & in Ecclesia Dei, zelo pietatis ductus magno cum tædio & labore, *libros Ecclesiasticos ad cantum & administrationem sacramentorum spectantes, quos vulgo Agenda dicimus,* iussu Cardinalis Radiuilli, atque Synodus prouincialis Petricouiensis reformauit. Erat enim vir Presbyteratu certe insignis, & cui ad egregiam doctrinam, & præstantem sacrarum rerum scientiam, miram natura addiderat eloquentiam. Celebris enim nominis Ecclesiastes fuit, & qui suaui quadam & ornata, eademque graui orationis copia, & ad mouendum in primis apta, non modo vulgus & cœtus hominum teneret, atque ad officium compelleret, sed doctissimorum quoque aures mirifice impleret. Pro rudiorem autem informatione scripsit *Catechismum Polonicum. Indicem Bibliorum, Liturgiam. De B. M. Czestochouiens. De sacramento Eucharistiæ Posnaniæ inuento. De sancto Cazimiro. Precationes annuas. Sermones in obitum Regis Stephani, aliaque minutiora vernacule.* Latine vero. *Disputationes in Smiglenses Hæreticos & contra Arrianos. Instructionem Confessariorum. Doctrinam circa agonizantes. Manuale Sacramentorum. Frenum in Hæreticos Sermones de Sacerdotali dignitate. De cœna Domini. De resurrectione & Christologiam.* Reliquit vero inter alia manuscripta *Sermone de Dominicis deque sanctis per annum. De B. Virgine, De Solennitatum Ecclesiæ ceremoniis, deque var is ritibus Catholicorum,* quæ ipse olim omnia ad populum ex ambone recitauerat, verum ita in curia executorum distracta a morte, vt nusquam ex integro sperem ea lucem videre. Similiter Chimicæ artis Notas, nam & huius peritus erat. Naturæ senex concessit Anno Christi 1613. sibi quidem suo tempore, Reip. vero litterariæ, Ecclesiæque Dei laboranti, ac suæ inprimis vrbi Crac. nimis præpropere, conditusque est in Æde B. M. virginis in circulo Crac. quam multo tempore, vigili Archipresbyter cura, subditorum saluti incumbendo rexit, cratibusque æris fusilis magnifice Odeium exornauit, atque tabulis testamenti, vt & aliis templis, plurima a morte legauit.

IACOBI VITELLII.

Magnus ab ingenio, maior prudentia, ab ipsis
Maximus ast scriptis quoque Pouodouius.

XIX.

XIX. IOANNES SAMOSCIVS.

MAgnus exercituum Generalis & Regni Cancellarius, arx & murus Regum Poloniæ, Princeps ac culmen Senatus, custos legum, defensor libertatum, lumen ac decus ciuium, commune perfugium bonorum, fulmen bellorum, terror hostium, deliciæ litterarum ac litteratorum. Natus is patre Stanislao Castellano Chelmense, viro per multa militiæ decora claro, & Regni Senatore amplissimo. Primæ litteraturæ puerilis præceptore vsus Alberto Ostrowski gymnasiarcha Crasnostauensi: vbi cum celeriter æquales ingenti gloria superasset, in Gallias se contulit, ad fontes ipsos ingeniorum, & duces sibi elegit in his studiis, quibus animus ad humanitatem informari debet, Adrianum Turnebum ac Dionysium Lambinum, Iacobum vero Carpentarium in Philosophia, Petrum a Penna in Mathematicis scientiis præceptorem sumpsit, sub quibus, in tantum deinde profecerat, vt Philosophiæ tam plane gnarus esset, quam Plato: Geometer, quasi Boetius: in numeris, Macrobio similis: in dicendo, alter Demosthenes: agriculturam, quasi Virgilius nouit: in Politicis vero ipsi stagyræo par visus: in bellis gerendis, Iulio Cæsari. Dederat quoque operam & Iuri, sed iam in Italia, atque in vrbe eruditissimis hominibus, studiisque affluente Patauina, vbi & Rector Academiæ, omnium vnanimi consensu creatus, & munere ingenti cum laude perfunctus, *Libros de Senatu Romano*, multa lectione & eruditione refertos edidit: tum *de perfecto Senatore Syntagma*, si accurate confectum, vt ad veterum etiam scriptorum laudem perueniret. Similiter opus Legum & institutionum Academiæ Patauinæ, quod antea indigestum & plane neglectum erat, diligentissime ipse reuidit, concinnauit, ordinauit. Extat & *Oratione eius longe disertissima*, quam habuit ad Henricum Valesium, cum legatus a Republic. cum aliis duodecim viris Senatorii Ordinis, missus, ipsum ad Regnum Poloniæ capiendum inuitaret. In omni autem Philosophia, tam a Græcis, quam a Latinis conscripta, etiam in senectute, diuinorum quam Themistocleam memoriam habuit, vt sæpenumero ipsos etiam artium Professores Academiæ suæ, ob ingenii sublimitatem in admirationem, & prope stuporem raperet, qui assidue in libris habitantes, nocturna atque diurna manu, scripta doctorum versabant. Iam autem quantus vir bello fuerit? Vide Historicos, Poetas, Oratores, tum gentilicios, tum extraneos quoque, Opmeerum, Bielscium, Bzouium, Michaelem ab Isselc, Mercurium Gallobelgicum, atque alios infinitos: sed maxime Simonem Simonidem, atque Adamum

Præceptores Samoscii.

Academiam in paterno suo solo condidit.

mum Bursium, illum, vatem præstantissimum, hunc Oratorem, qui sui alumni & commensales pæne, non fortia sua facta modo, sed dicta etiam prudenter edicta, atque omnia corporis ac animi delineamenta aut qualitates, exquisitissime connotarunt. Ego hic vnicum addam, quod vir in omnia prudens, etiam & in mortem fuerit, funerisque ipse sui cantator: & quam ab animo alto & Christiano; vide

IOANNES SAMOSCIVS.
QVICQVID MORTALE HABVIT. HIC DEPONI IVSSIT.

Quare, & ex huius vitæ statione euocati se ab illo summo omnium Imperatore sentiens, sacris se Christianis deuotissime armauit, magnoque & inuicto, vti semper fuit, animo, inter sermones, de æterna illa beatitudine, de præmiis bonorum, obdormiuit Anno 1605. exantlatis sexaginta trium annorum vitæ suæ laboribus, relictoque filio Thoma duodecennali, ex illustri & lectissima coniuge Barbara Comite a Tarnow, qui patris nunc spiritus, ac vere Sarmaticos gerens, vbique se intrepidum hosti, pro patriæ libertate opponit: & in Senatum a Rege Sigismundo III. vocatus, titulo Palatini Chiouiensis, non solum ore Magnum illum patrem suum refert, sed etiam indole & ingenio, mirifica memoriæ capacitate, intelligendi acumine, res administrandi auctoritate & solertia tali, vt illi pater non solum patrimonium, sed etiam gloriam hæreditate reliquisse videatur.

VITELLII.

Documenta non tanta Ilio, suæ dedit
Pollentis Hector dexteræ
Cùm Danaum opes, virosque fortes, vt gregem
Imbellem ageret atque vreret
Et velut aheneus foret Teucrorum obex
Contra furorem Achilleum
Vt æuo in omni non tacendus gentibus
Sarmaticus ille Scipio
Samoscius, Septentrionem qua patet
Lustrauit in Victoriis.

STOSLAVII.

Certa Senatorum Zamoscius vrbe Quiritum
Quæ fuit in libro formaque mosque docet.
Perfectique alio quæsit perfectio ciuis
Quisue boni libro nomine dignus ait.

Dum

Dum victo toties Zamoscius hoste triumphat,
Laudem Romulidis possidet ille parem,
Consiliisque suam patriam dum pacis obarmat,
Vera Senatoris forma fit ipse boni.
Quod docet in libris exemplo comprabat in se,
Et pene est libris factus imago suis.

XX. LVCAS GORNICIVS.

PRæfectus Ticocinensis. Græcarum pariter ac Latinarum litterarum peritus, variisque in Academiis, in Philosophiæ ac Iurisprudentiæ studio magna cum cura exercitatus; adhæc, diuersarum linguarum & Historiarum peritus, insignem operam atque industriam, in iudiciis commissæ sibi Prouinciæ rite peragendis, collocauit, eisque ex æquo & iusto administrandis, clarus inter ciues Iustitiæ mystes, extitit; quanquam ab eloquentia magis, grauique genere dicendi innotuerit, quam sibi ex assidua Senecæ lectione comparauerat, ad cuius imitationem *Librum de Beneficiis* conscripserat; opus me hercle pulcherrimum, & ad veterum scriptorum inuidiam. Similiter *libros Dialogorum, Aulicum & Rhetoricam Polonicam.* Nec sane immerito, ei etenim qui ad clauum positus est, necessaria est omnino, iuxta Ciceronis sententiam, oratio & sapientia, qua tegat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros, qua in exemplum proponat iustos viros, qua præcepta laudis & salutis apte ad persuadendum edat suis ciuibus, qua hortetur ad decus, reuocet a flagitio, consoletur afflictos, facta & consulta sapientum, fortium ac iustorum, cum improborum ignominia, nisi resipiscant, prodat actorum sempiternis monimentis. Fecit singula hæc, & habuit in vsu frequenti Gornicius noster, & eloquentia ei non ad gloriam in vita comparandam solum, sed ad famam etiam defuncti augendam profuit. Qui idem, versibus etiam pleraque pangebat, iis horis quibus a publicis negotiis, ac ciuilis iuris studio, feriari sibi ac veluti respirare liceret.

Eloquentia positis in Magistratu summe necessaria.

IACOBI VITELLII.

Gornicius facundus erat quando ipse doceret
Qua ratione foret lingua diserta Lechis.

XXI. IOANNES HERBORTVS.

CAstellanus Sanocensis, cognomen Mediatoris Præmisliensis obtinuerat, quod inter discordes terræ illius ciues, offensas componere

Secretarius primo Regius & Ter-

ræ Præmislienſ. Succamerarius erat, poſtea Præfectus Præmislien. & Caſtellanus Sanocenſis. Habuit & alterum fratrem præter Epiſcopum, qui Caſtellanus Leopolienſis fuit. Herbortis eloquentia & Magnanimitas ad nata videntur.

nere fuerit ſolitus: vterinus frater Valentini Epiſcopi Præmislienſis illius qui ad ſacrum Tridentinum Concilium, in quod ipſos omni doctrinæ & ſapientiæ Antiſtites tota Europa magna celebritate confluxiſſe ſcimus, a Rege Sigismundo I. Orator miſſus fuit. Quo cum Ioannes adoleſcentulus in Belgium a parentibus miſſus, humanarum litterarum cognitionem breui aſſecutus, & in Philoſophicis diſciplinis Louanii in Gymnaſio Porcenſi pari felicitate animum imbuit; luſtratisque Galliæ ac Germaniæ Academiis, diſertus & prudens in patriam rediit, vt & ſinguli fere de ſtirpe Herbortorum aſſolent, qui ſimul & bellatores acerrimi fiunt; licet non pro voto felices. Et Ioannes ſane, pro multa militiæ decora clarus, ad Senatoriam dignitatem ab Auguſto Rege meretiſſimo euectus, ingentem ſibi famam, etiam legationibus variis pro patria obitis comparauerat, ſed præcipuæ illa cum Io. Samoſcio, aliisque Senatorii Ordinis Viris ad Henricum Regem in Gallias, vbi iam antea ingens ſibi nomen pepererat, *editis Annalibus gentis ſuæ: tum ſtatutis legibusque patriis in vnum volumen poſt Io. Laſcium, congeſtis*. Scripſit & O*rationem in obitum fratris ſui Valentini*, tanta grauitate ſtili, & diſpoſitione argumentorum, vt vel hinc ſua eloquentia, a diſerto illo Orechouio, plurimi æſtimaretur, & Regni Senatus Vniuerſus, haud aſpernaretur Collegæ ſui in maximis etiam rebus ſententiam. Et hinc prouerbium illud in Polonia. Herborti, conſilio Duces Oſtrogii opibus valent.

VITELLII.

Beata ciuitas vbi ciues ſui
In arduis rebus valent.
Vt ingenii ſic viribus opulentiæ
Stabilire pacem Patriæ.
Talis erat Herbortus,, domus gloria ſuæ
Iſtius & imperii decus.

XXII. FOELIX HERBORTVS.

IOannis F. omni fere doctrina liberali imbutus, Oratoria potiſſimum excelluit, vt non modo inter Præmislienſis terræ apices ponendus videatur, ſed inter totius Roxolaniæ primates, ſi rebus bellicis tam felix, quam ingenio fuiſſet. Nec illi defuere opes, reique militaris peritia, imo & corporis vires, & certe maiores, quam ex mediocri ſtatura quiſquam æſtimaſſet. Sed fortuna fallax, quæ omnium conatus euertere ſolet, haud voluit obſecundare auſis ſuis: eratque pecu-

peculiare fere, dixerim & Fatale, Herbortis pro patria in acie mori, vt compluribus exemplis inductis Orechouius probat, solus Fœlix ea parte infelix fuit, quod parto bellis externis longe clarissimo nomine, domesticis tumultibus illud aliquantum obscurauerit, belloque ciuili inferior, amissis aliquot militum turmis, bis ipse captus ab aduersariis fuerit. Dimissus tamen facile, tum propter familiæ celebritatem, tum propter proprias ingenii dotes, quibus inter Dynastas Russiæ, & quietis & turbidis rebus, longe semper claruit. Antiquitatis adeo studiosus fuit, vt quicquid modo temporis diuturnitate obscurum haberetur, & dignum visu, id ille totum ipse oculis lustrare, scriptis illustrare, & eloquii sui splendore perpolire voluit. Ac proinde veterem illum rerum Polonicarum scriptorem *Cadlubkum Episcopum Crac. e puluere erutum, notis & sententiis grauissimis exornauit.* Commentarios Orechouii de rebus Sigismundi I. & Augusti F. posthumos luce donauit. Similiter vitam Petri Kmitæ Palatini Crac. atque Annales primarii apud nos Historiographi Io. Dlugossi. Scripsit & *Artem Dobromiliam, seu iuuentutis Polonæ institutionem* idque lingua Polonica, quam ab arce sua Dobromilia sic appellare voluit. Item *tres Declamationes oratorias*, cum adhuc literis Lutetiæ Parisiorum operam daret, tum syntagmata diuersa Roberto Turnero Ingolstadii informante, quæ postea vir, domi alias in formas transcripsit, sed morte præuentus in lucem dare haud potuit.

Fatum Herbortiæ domus in libris Dialogorum.

VITELLII.

Tam fælix lituisque literisque
Herbortus fuit ex vtroque clarus
Fælicis merito vt teneret, illud
Augustæ domus vt monile nomen.

MICHAELIS GRODZICKI.

Doctrina Pallas, muniuit robore Mouors,
Herbortum fausto nomine cæca Dea.
Sed tamen o felix longe felicior esses,
Si Dea rem potius nominis illa daret.

XXIII. IOANNES COCHANOVIVS.

CEnte Coruinus, patre Petro, qui Terrestris (vt vocant) Iudicis officio in Palatinatu Sendomiriensi fungebatur: matre Anna de Bialaczow Odrowazowna, spectatæ pudicitiæ, priscique moris fœmina, Siczynæ, in villa paterna natus est, anno reparatæ salutis 1532. Post patris obitum, quem puer amisit, in seuerissima matris disciplina, vna cum quinque fratribus educatus, cum prima litterarum rudimenta,

insigni cum profectu in patria deposuisset, miro comparandæ, eruditionis flagrans desiderio, in Germaniam primo, deinde Lutetiam Parisiorum se contulit. Vbi cum Philosophiæ, Historiæ, linguarum cognitioni, studioque Poetico, ad quod a natura totus ferebatur, & id genus elegantioribus litteris, septennium fere impendisset, in Italiam transiit. Quam cum totam lustrasset, Romæ atque Patauii, aliquot annis substitit, virorum doctorum, quorum illic magna tunc erat copia, præsertim vero Robertelli atque Manutii conuersatione illectus. Atque ibi prima illi cum Io. Samoscio, Andrea Patricio, Stanislao Fogeluedrio, Luca Gornicio, viris eruditis contracta amicitia, qui poetica illa eius vbertate mirifice capiebantur, & velut Christianum Apollinem in Martiali nostra Sarmatia, omine quodam natum, suspiciebant. Reuersum in patriam Philippus Padneuius, qui Episcopus Cracouiens. Cancellarii quoque munus obibat, sola fama notum ad aulam Regiam accersiuit: & delectatus amœno, atque eleganti hominis ingenio, cum genus etiam Latinæ scriptionis, quo non publica modo, sed priuata etiam tunc tractabantur negotia, probauisset, Regi Augusto commendauit, & in album secretariorum referri curauit. Quo in officio, cum ad particulares Nobilitatis conuentus, tum ad exteros Principes sæpius legationes obiuit. Multa deinde Padneuio cura, vt ad Sacerdotale officium eum pertraheret, sed frustra. Vir enim, omnis prorsus ambitionis expers, & liberiori ingenio præditus, quod seueritati sacerdotali, cui forte impar erat, simulare vero eam nefas ducebat, cum moribus aulicis parum belle conuenire animaduerteret, ideoque potiorem sibi conscientiæ quam rei familiaris augendæ, parandæque dignitatis rationem habendam existimaret, quietam vitam, litterarumque otium facile purpuris atque infulis anteponebat. Non destitit tamen Petrus Miscouius, qui Padneuio successerat, sed validioribus iam machinis, idem vrgere propositum. Præpositura enim Posnaniens. satis lauti reditus, quam ipsemet obtinebat, illi cessit, & alia quædam beneficia, a liberalitate Regia impetrauit. Quæ, vt patrono de se optime merito morem gereret, acceptauit ille quidem, vt tamen sacris initiaretur, adduci nunquam potuit. Cæterum posteaquam Miscouius ad tranquilliorem vitam in Episcopatu agendam, ab aula se subduxit: licet Rex Stephanus, stipendio mille ducentorum florenorum in Regia retinere eum percuperet, tempus venisse ratus, quo non alieno arbitrio, sed suo iam genio obsecundaret, & sacerdotiorum molestiis, quæ inuito obtrudebantur (iam enim Sieciechouienses quoque, curante Io. Samoscio, ad nominationem Regiam, in Abbatem eum postulauerant) animum exolueret, Czarnolassium

Olim maximus fuit Linguæ Latinæ in Polonia vsus. Sed nunc iam non item. antea enim & rei familiaris œconomi regestra causasque non nisi Latine scribere solebant, aliter a seruitiis excludebantur.

rus

rus paternum rediit: nihilque cunctatus, dimissis beneficiis Ecclesiasticis, vxorem ex nobili Podlodouiorum familia duxit. Quod vbi Samoscio compertum, nolens hominem, quem summa complectebatur beneuolentia, in tenebris vitæ priuatæ delitescere, Castellani (vt vocant) Polacen. dignitatem, a Rege Stephano impetratam, diplomate Regio transmisso, illi obtulit. Quam tamen ille, vtrique pro egregia in se voluntate actis gratiis, ab omni ambitione longe remotus, acceptare recusauit: præfatus, sua se mediocritate contentum, sumptuosum illum, & decoctorem Castellanum, in villam ædesque paternas non admissurum, qui omnia, quæcunque Cochanouius sibi parasset, absque vllo respectu, per fastum atque ambitionem esset absumpturus. Et hæc quidem ille præseferebat, vera tamen obfirmati animi causa fuit, perpetuum vitæ tranquillæ, literariique otii dulcedo. Quod vel hinc liquet, quod repudiata dignitate Senatoria, equestrem tamen, Sendomiriensem nimirum Tribunatum, non aspernatus est: nullam aliam ob rationem, nisi quod Tribuni, sub tempus expeditionis bellicæ, a cæteris militiæ oneribus immunes, arcium tantum asseruandarum domi curam gerunt. Hoc igitur pacto priuatæ vitæ, quam ardentissime semper concupiuerat, redditus, ad studium Poetices, quo naturalis impetus eum inuitabat, animum appulit. Et in patrio quidem sermone ita excelluit, vt hactenus neque parem, neque secundum habuerit, primusque rem nullis antea calcatam vestigiis aggressus ostenderit, venustatem atque leporem, quo cæteræ cultiores se iactant, nostræ quoque linguæ minime deesse, qua descripsit *Psalterium Dauidicum. Phœnomena, Latrunculos, Apophtegmata, Satyram, Threnos, Epigrammata, Cantilenas, Epithalamia, Iocos, Epithaphia*, & id genus alia. Latinis vero poematibus pangendis, ad veteres illos, qui tersioris notæ gloriam consequuti sunt, quam proxime accesserit, reliquitque *M. T. Cic. Aratum, Orphæum Sarmaticum, libros Elegiorum, Epithalamiorum, Lyricorum, Foricæniorum & Carmen de expugnatione Poloitei.* Hoc in genere vitæ, sex filiabus, filioque posthumo, ex vxore susceptis, cum omnibus tam publicis, quam rei familiaris molestiis ablegatis suauissime vixisset, summorumque in Republ. virorum amicitia floruisset: Lublini, Iacobi Podlodouii, contra ius gentium a Turcis interfecti, causam apud Regem Stephanum amicorum nomine acturus, non sine magno omnium dolore, apoplexia extinctus est. Anno ætatis suæ 52. Tumulatus in municipio Suolenensi, in paterno gentiliorumque suorum sepulchro.

Officium Tribunorum in Polonia.

Frater vero suus AEneida Virgilii. Rotulas seu Cantica de Virtutibus scripsit. Alter vero, Petrus Cochanouius Gotisfredam seu expugnationem Hierosolymæ.

IACO-

IACOBI VITELLII.

Postquam iniquis cessit ab inde Fatis
Ille Musarum pater atque custos
Ille iucundus bonæ amœnitatis
Dux Kochanowski;
Tunc ferunt doctas lachrimasse Musas
Ipsum & atratum sua sistra Phœbum
Flebili dextra prope triste bustum
Comminuisse.
Eruditorum Cochanoui honore, &
Gloria tanto vnicus antecellis
Fontibus Graiis Latiisque quanto
Amplius hausti.

STANISLAI STOSLAVII.

Magne Cochanoui vates, & maxime vatum
Quos tulit & quondam terra Polona feret.
Sarmaticæ potius celebrent tua gesta Camænæ
Non nisi Diuarum sunt celebranda metro:
Quod si forte tui iam oblita est Musa laboris
Te tua post mortem lingua liberque canet.

XXIV. MATTHÆVS PISCOREVIVS.

QVidni Piscoreuium cæteris illustribus annumerem, qui soluta pariter ac ligata Oratione pollens, patrii Iuris, diuersarumque gentium morum peritissimus fuit, atque eo nomine Principibus in Rep. viris, & in his, Io. Samoscio harum artium non ignaro, in primis gratus, etiam Regi Augusto fama notissimus, in cuius obitum *scripsit funebrem Panegyrim*, longe disertissimam. Et a turbulentis Bellonæ castris, ad blanda quietaque Musarum otia conuertens, pleraque Latina per otium vernacula reddidit, tum *in Nuptias quoque Iō. Samoscii Panegyrim gratulatoriam* edidit. Addidit & Oeconomicorum libellum, egregium ingenii & stili sui monumentum; atque demum *Funebrem laudationem Serenissimæ Annæ Iagelloniæ Poloniæ Sueciæque Reginæ.* Familiares habuit Io. Lasicium atque Io. Crasinium, quorum alter scripsit *ingressum Polonorum in Valachiam, & cladem Dantiscanam;* alter vero *Poloniam & belli Liuonici, atque Ducis Moschouiæ contra Liuones Commentarios.*

IACOBI VITELLII.

Tanto illustrior est domus
Quanto stemmatibus suis

Quæ-

Quæsitam artibus optimis
Gloriam adduxit.
Sic Piscoreuius, suo
Insignis genere, efficit
(Hac re illustrior vt foret)
Paginam vtramque.

XXV. IOANNES LEOPOLIENSIS.

DVos nobis eius nominis fortissimos in Hæreses Athletas, vrbs Leopolis edidit, Academia Cracouiensis educauit; ætate quamuis dispares, at virtute & doctrina pares, professionisque & ingenii similitudine coniunctos, atque ideo sub vnum, quod aiunt, myconem includendos. Et prior quidem, tempore paulo antiquior ad Ædem B. M. Virginis in Circulo Cracou. Concionator fuit. Posterior, Cathedralis ibidem Ecclesiæ Ecclesiastes: iste *viuificæ passionis Christi Historicam explanationem, cum doctissima applicatione ad Sacrificium vtriusque testamenti, edidit*: ille, *primus sacra Biblia vernaculo sermone reddidit*: vterque vero in Acad. Crac. S.T.D. & Professor, vterque S. Floriani Canonicus, & in insectandis atque exagitandis perpetuo Hæreticis acerrimus fuit; & quod maiore admiratione dignum est, vterque ea in animis hominum permouendis facultate, vt nemo temporibus illis, maiorem audientium coronam cogeret. Alterum Canonici Cracouienses, alterum Ciues his versibus celebrarunt.

Erat & tertius Io. Leopoliens. Professor in Acad. Crac. postea Archipresbyter Crac. cui itidem Bibliorum Polonica lingua interpretationem asscribunt.

Hoc tumulo moriens poni sua membra Ioannes
Iussit, patria cui terra Leonis erat.
Eloquioque potens vigilans & pastor ouilis
Nam docuit ciues iura sacrata Dei.
Moribus ac vitæ cursu suauissimus omni,
Gratus erat populo principibusque viris:
Hæreticam pestem dum fortibus opprimit armis
In medio cursu morte peremptus obit.
Viuat in arce poli diuorum limine sacro
Inter conuiuas Angelicosque choros.

Et merito sane: postquam enim intellexit sibi de vita esse migrandum, sollicitus de salute hominum, quos iam doctrina instruere non potuit, exemplo suo moriens ad obedientiam Ecclesiæ adducere conatus est. Conuocato itaque populo die sacro per omnia templa voce Concionatorum in maius Collegium ad horam præstitutam, iubet se efferri in aream Collegii, & cygnea voce adhortatus populum ad Religio-

ligionem Romanæ Ecclesiæ pure & sancte retinendam, inspectantibus omnibus, viaticum sibi specie sub vna dari postulauit, vt auditores suos de veritate corporis Christi, & de vsu sacramenti sub vna specie, & vocis confessione, & facto suo confirmaret.

IACOBI VITELLII.

Tam fœcunda Leopolis ingeniisque virisque
Martigenis quantum Sparta ferax fuerat.
Quin plus, cum Scythicos ferit Hæreticosque furores,
Pacisque armorumque artibus ipsa potens.

XXIV. MARTINVS DE ILKVS.

Rex Mattbias Hung. litteratos alebat plurimos.

QVinque a Cracouia milliaribus, in illustri fodinis argenteis oppido, Ilkus dicto, natus, cognomentum ab eo sumpsit, Matthiaque Coruino Hungariæ Rege, litteras præmiis & honoribus excitante, magnis propositis præmiis ex Acad. Cracou. euocatus, Regius in Aula Mathematicus salutatus fuit, & tandem virtutis ergo pietatisue, Parochi in vrba Regia Buda titulo auctus, inter primos, Mathematum disciplinas in Europa iacentes, politioris doctrinæ luce illustrauit: *primusque Almanach atque Ephemerides fecit.* Tunc *Tractatum de Correctione Calendarii, atque Tabulas resolutas ad Meridianum Crac.* Quo cum magnum sibi nomen atque Academiæ apud inclytum Regem peperisset, facile obtinuit, vt instrumenta sua Rex Mathematica, perpetuum ad posteros monumentum, Academiæ Crac. donaret, quæ hucusque in Bibliotheca diligentissime asseruantur. Ex eius disciplina prodiit Adamus Suiniarski celebris Mathematicus, qui itidem *scripsit Theoriam Calendarii,* & alia.

IACOBI VITELLII.

Syracusarum victor ille Marcellus
Ardore belli medio in arte præstantem
Miradus Archimedem, at ex furore hostis
Seruare nesciit. Sed ampliore æuum
Per omne ferretur celebritate, ille
Coruinus, imperii sui potens scutum,
Pulcherrimum Matheseos decus, magna
Laus sæculo hoc, spes raraque eruditorum.

XXVII. CLEMENS IOANNICIVS.

OB insignem eruditionem, blandamque ingenii comitatem, excellentibus in Europa doctrina viris, summaque dignitate in Polonia

nia præditis, in primis carus, in his autem Andreæ Cricio Gnesnens. Ecclesiæ Metropolitæ, ac Regni primati. Ioannique Dantisco, Varmiensi, atque Tidemanno Gisio, Culmensi, Antistitibus, summis æui sui Poetis: Sed præcipue Palatino Cracouiensi Petro Kmithæ, cuius fauore & studia sua fouebantur, & poetica sibi laurea a Maximil. I. Imp. honorificentissimo cum Elogio obuenit: & cui demum ille *Vitas Regum Poloniæ carmine Elegiaco scripsit.* Item Tristium libros, Arithmeticam, Elegias, Epigrammata variaque Poemata inscripsit, symbolum gratitudinis; continuisque laboribus (nam & iussu Cricii Archiepiscopi *Vitas Archiepiscoporum Gnesnensium scripserat*) culmen solidæ eruditionis attigit, atque in Græcis ac Latinis ad summam laudem peruenit, vt doctrina ætatem transierit.

Scripsit & Christophorus Concki vitas Archiepiscoporum Gnesn. & Episcoporum Crac.

VITELLII.

Illias insignem bello narrauit Achillem
Reges Sarmaticos, scripta Ioannicii.

ZORAVII.

Versibus expressit Regum Ianicius acta
Solus Rex fieri dignus ob ingenium.

XXVIII. ANTONIVS ANAPACHANIE.

SIgismundi Augusti Regis Poloniæ Ecclesiastes, & in Acad. Crac. celeberrimus Professor, Canonicusque S. Floriani, tanta innocentiæ sanctitatisque opinione, Theologica laurea donatus, perstitit, vt eius videndi audiendique gratia, e remotioribus etiam locis, dum concionaturus esset, concursus fierent. Quique idem ad beatam vitam translatus ab aliquot annis, Rocho Posnaniensi, viro itidem innocentissimo, nuncius felicis transitus ad vitam, luce candidus totus apparuit, illumque nullo morbi languore vexatum ex templo secum euocauit, vt sacro codice, quem tum forte fortuna legebat, in mensa posito, spiritum Deo commendaret, flexis in medio hypocausto genibus, puero tantum qui ab obsequiis & seruitio fuerat, hæc vidente, stupente, & mox præ timore fugiente. Antonius igitur dum in viuis adhuc esset, inter primos, qui gladium spiritus, in voluptuariam Lutheri apostatæ sectam editis libris strinxerunt, *scripsit locos communes Fidei Catholicæ,* (discipulus vero suus Nicolaus Vilkouicius Pauli Primi Eremitæ in claro monte Czestochouiensi Professus, *Postillam per Dominicas & Festa*) quibus nihil ad homines a cæcitate & erroribus erronis illius Vittembergici abducendos, atque ad Romanæ Ecclesiæ Orthodoxam Doctrinam amplectendam

Anapachanie sanctitas miraculo comprobata.

inueniri poteſt ardentius, prudentius, efficatius. Moritur vir ſanctus Crac. in ſtatione Academica. Anno ætatis quarto & ſexageſimo Idib. Feb. CIↃ IↃ LXII.

IACOBI VITELLII.

Sanctis Deorum cum receptus ſedibus
Antonius foret, quaſi
Clariſſimo vidit theatro, qua fide
Duntaxat apprendens, ſuis
Narrabat audientibus, Quam ingentia
Paria laboris munera.

XXIX. ALBERTVS NOVICAMPIANVS.

Erat & alter Albertus Nouicampianus Med. Doctor, qui de fabricatione hominis ſcripſit, de Accentibus, De formatione fœtus diſſertationem. Deque laudibus Phyſices Orationem.

NOn Philoſophiæ modo, ſed & Theologiæ lucubrationes Alberti Nouicampiani nomen illuſtrant, vt Io. Sigiſmundi, Ioannis Hungariæ Regis F. (a Sigiſm. Auguſto inclyto Poloniæ Rege, auunculo ſuo in Pannoniam miſſum) exemplo non monitis tantum præceptorem agnoſcere poſſis, qui ſacra laurea in Acad. Crac. inſignitus, tum Concionando ad populum, tum pangendo carmina domi, ſcribendoque Orationes ad Proceres & populum Hungariæ clarus extitit: quarum vna teritur paſſim doctorum virorum manibus. *De corruptismis huius ſæculi moribus, variisque ac turbulentis in Religione Chriſtiana doctrinis: quidue in his pio homini agendum ſit*, prudentiſſime conſcripta. Altera deinde, *de duabus perſonis, quibus regitur mundus, ſpiritualiter videlicet ac Regia, tum quæ illarum officia ſint: & de aliis non paucis, de quibus hoc ſæculo plurimi inter ſe contendunt, digladianturque non ſine magno Chriſtianæ Reip. malo.* Præterea *ſcripſit Scopum Biblicum* in quo ſummam doctrinæ Chriſtianæ præſcripſit. Item *Apologiam pro Catholica fide, & doctrina de veritate corporis Chriſti Ieſu in Euchariſtia, de cæterisque ſacramentis: Liturgiæ item ſeu Miſſæ ſacrificio, ac aliis fere omnibus, quæ hoc ſæculo controuertuntur*, ſcripſiſſetque multo plura, ni præmatura morte abreptus fuiſſet, quæ eum Anno a redempto mundo 1558. ſuſtulit nobis. Cui Nicolaus Bodzentinius inter alia huiusmodi carmen ſubſcripſit.

Alcides quondam ſummos accepit honores
Dum læuat a ſæuis ſæcula priſca feris.
Albertus referat mentis nunc præmia gratæ
Quod patrum forti dogmata fulcit ope.

Benedictus vero Herbeſtus, eiuſmodi verſiculos luſit.

Qui legitis nitidos puro de gramine flores
Carpite de campo lilia ſacra nouo.

Hu-

Humatus in Æde SS. Trinit. Crac. ad eam columnam, qua fulcitur vestibulum sepulchri S. Hyacinthi, cum tali epigraphe.

ALBERTO NOVICAMPIANO DOCTRINA ET INTEGRITATE CONSPICVO. PROFESSORI PVBLIC. AC PRÆCEPTORI ILLVSTRISS. IOANNIS SIGISMVNDI REGIS VNGARIÆ DESIGNATI FAMILIARES MOESTI POSVERVNT.

Mortuus anno M D LVIII. ætatis vero suæ L.

VITELLII.

Qualiter cum veris honore primo
Prata collucent & amœnum adhalant
Flosculis, tali Nouicampianus
Fragrat odore
Multa librorum monumenta, ab ipso
Gnauiter, magno ingenioque scripta
Quis foret qualisue palam fatentur
Perpetuo æuo.

XXX. MATTHIAS STRICOVIVS.

Latinis & Græcis non infeliciter imbutus, haud vulgarem nominis famam in Philosophicis scholis Cracouiæ promeruit, Lipsiæ deinde, atque ita Germaniam peragratus, omnibus in artibus celeriter profecit, vt æquales suos omnes doctrinæ gloria longe præcelleret. Quo nomine plerisque Italiæ ac Germaniæ clarissimis doctrina viris innotuit, præcipue Gulielmo Budæo, Paulo Manutio, Francisco Robortello, Iacobo Carpentario, plurimisque aliis in Gallia. Cumque ita famæ celebritate absentibus iam esset notus, mox a Samogitiæ Episcopo vocatus Canonica dignitate & Archidiaconi munere ornatus fuit, atque Regi Augusto in Lituania tum commoranti, ob conscriptas stilo eleganti res Polonicas Lituanicasque (in quo præcipue laborauit) in primis gratus, ab eoque sanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus fere Regnorum arcana committi solent, præfectus, in eodem studio ætatem consumpsit. Historicus fuit insignis & Poeta Polonicus, vt qui carmine vernaculo scripserit, Bucolica. Trenos in obitum Augusti. Carmen de Coronatione Regis Henrici. Nuncium virtutis. Chronicon Polonicum. Carmen contra Anabaptistas, vitas Regum Polonorum, Sarmatiam Europeam: Bellum Ciuile Turcicum cui interfuit ipse, atque ad extremum de libertate Polonorum.

IACOBI VITELLII.

Stricouius tantam sibi
Virtute peperit gloriam
Quantum coronari decet
Pollentis ingenii decus

XXXI. MICHAEL VRATISLAVIENSIS.

Professor Theologiæ in Acad. Crac.

PErſpicaciſſimi & diuini propemodum ingenii vir; qui Doctor renunciatus, auditoribus ſuis artes fere omnes humaniores methodo facillima, *Hymnosque ac Proſas in Eccleſia Romana decantari ſolitas, doctiſſimis commentariis illuſtrauit*: præcipue *Logices inſtitutionem*, diſertiſſime, ac *Naturalis ſcientiæ dubia* facillime aliquot voluminibus comprehenſa, reliquit, tum *libros ſententiarum Petri Lombardi*, quos magno auditorum concurſu, multos annos explanauit, *Epithomate aureo ex magnis Doctoribus contracto illuſtrauit*. Mortuus locum ſepulturæ in Ædibus D. Floriano ſacratis, ad leuum latus maioris altaris ſortitus eſt, cum tali a poſteritate grata epigraphe.

Splendida quem tulerat vrbs Vratislauia paruum
Occulit hunc tandem Regia Croca ſenem
Ingenio multum præcelluit ille. Decani
Æde hac in ſacra functus & officio.
Humanus dignas animus quot concipit artes,
Hic tot collebat Numine propicio.
Illius ex ſtudiis florens Academia gaudet,
Multos quod fructus commoda nuncque capit.
Artes condebat nunquam, ſed vertit in vſus,
Sors fieret domino maior vt ipſa ſuo.
Scripſit de variis & Commentaria rebus,
Nunc manibus verſat quæ ſtudioſa cohors.
Illius vtque ſcias nomen chariſſime Lector,
En Deus hoc dederat, quod Michaelis erat.

Obiit Anno Domini M D XXXIII. die VIII. Nouemb.

XXXIII. IOANNES STOBNICENSIS.

Quarto poſt anno Magiſterii dignitate ornatus. Multos ex

VIr in religione ſincerus, in moribus probus, & in doctrinis ſolide verſatus; adoleſcens prima laurea Philoſophica An. 1494. in Academia Crac. redimitus, inque publicam Profeſſionem vocatus, ingenti diſcipulorum copia floruit; quibus in exhibenda doctrina beneuolus, & in præſtandis beneficiis facilis fuit: honeſtatis, tranquillitatis, con-

concordiæque, nec non diſciplinæ publicæ & domeſticæ, amator obſeruantiſſimus. Magnum ſui deſiderium omnibus reliquit, imo & exemplum, cum rebus ſæcularibus valere iuſſis, minimum ſe in ordine Minorum de Obſeru. videre voluit, & ſacrum habitum ipſorum indutus, multa innocentiæ ſanctitatisque opinione, multos eum annos geſſit, ſodalibusque ſuis morum commendatione mirifice præluxit, quos etiam ſacris litteris annos multos imbuit, & Michaelis Pariſienſis olim præceptoris ſui & Profeſſoris in Acad. Crac. publici, ſcripta, in via Scotiſtica conſcripta, typis publicis euulgauit: & quicquid ipſe ſcripſit, cum eadem ſubtili ſchola concluſit, (*ſcripſit autem ſubtiliſſimas in vniuerſam Philoſophiam quæſtiones*) Similiter diſcipulus ſuus Thomas Poſnanienſis, qui *Phyſica itidem ad intentionem Scoti ſcripſit, & Paruulum Philoſophiæ Naturalis.*

IACOBI VITELLII.

Mundi ſomnia vana mentientis,
Vmbram & infatuationem iniquam,
Blanda toxica, dulcia & venena,
Cum cognoſceret ille Stobnicenſis.
Vitam ſe tulit ad quietiorem.
Mundum deſerit vt Deo fruatur.

XXXIII. SIMON MARICIVS.

PLurimos ſane cuiusuis facultatis eruditos homines Polonia patrum noſtrum temporibus protulit: Inter Theologos quidem Simon Maricius multis nominibus eminet. Is patria Pilſnenſis, inſtituto Academicus, Doctoris Theologi titulum in vrbe Roma adeptus, acutiſſimorum illorum in Scholaſtica Theologia virorum, Nicolai Sadkonis, Benedicti Coſminii, Michaelis Viſlicienſis, atque Obremſcii in Acad. Crac. Profeſſorum familiaris & ſocius fuit. Vir ſane eruditus, Græcarumque litterarum apprime gnarus, cuius ſummam vitæ integritatem & prudentiam longo rerum vſu partum, peculiaris quædam morum grauitas magis commendabat, quæ in geſtu, inceſſu, vultu, tota denique corporis conſtitutione intermicantibus veluti radiis relucebat. Quo factum vt Petro Kmithæ Comiti de Viſnic Palatino Crac. admodum gratus, fuerit & in Italiam illius ſumptibus miſſus, luſtraueritque præcipuas exterorum Academias, Doctor Romæ creatus: vbi oſtenſo in publicis diſputationibus haud barbaro ingenio. *Orationem Demoſthenis de Pace, Latio donatam redux ſuo Mæcenati obtulit*, inque publi-

Academia traxerat exemplo ſuo in Religionem Franciſcanam: non aliter ac ille Ioannes Capiſtranus, qui Bernardinorum fundans Cracouiæ domum trecentos ex Academia vna atque altera concione, ad ſuſpiciendum ſacrum illum habitum pertraxerat.

Nota fuiſſe & alterum Stobnicenſem in Academia Med. Doctorem, qui in Moralem Philoſophiam Commentarios reliquit.

Multos ſane Comes ille viros litteratos alebat quem-

admodum & Tarnouius Comes æmulus suarum virtutum. Bartholomæus quoque Præmisliensis, cuius nunc Conciones extant ex eius disciplina prodierat. Scripsit & Gelasinus quidam Leopoliensis de Ordinibus Acad. Crac.

publicam Professionem vocatus, Oratoriam præcipue artem in Academia exercuit, & M. Tullii opera, non solum diligenter, sed etiam fideliter prælegit, *scriptis commentariis eruditissimis in Orationem pro P. Quintio.* Vnde non mirum, quod discipulos multos bonos & doctos reliquerit, Vuiecios illos, Solicouios Laternas, Slonacios, aliosque innumeros scriptores, & Concionatores disertissimos, ex quibus facile agnoscas, bonum illum & doctum fuisse Magistrum, qui insuper & *librum de Scholis seu Academiis ediderit*, æmulatus collegam suum Sebastianum Foxium, qui sub idem fere tempus scripserit libellum *De Natura Philosophiæ & ratione studii Philosophici.*

IACOBI VITELLII.

Ceu manibus esset Gratiarum Maricius
Effictus, vnus omnium prope artium
Succum, medullam, abunde & optime
Capace mentis indole vnus attigit.

XXXIV. ALBERTVS DE BRVDZEVO.

Meminit illius Io. Trithemius Abbas in Catalogo scriptorum Eccles. Is postea fratri Alberto in Regnum Poloniæ successerat.

SAncti Floriani ad Cracouiam Canonicus, & in Academia Professor celeberrimus, artibus quas humaniores appellamus, in oppido Oponicensi leuiter tinctus, mox reliquum a publicis præceptoribus Cracouiæ hausit, & in Physicis Vratislauiensem, in Mathematicis Io. Glogouiensem, præceptores habuit, & huc vsque processit, vt S. Theologiæ Baccalaureus creatus, Secretarii & Mathematici Magni Ducis Lituaniæ Alexandri Iagellonidis, titulo ornatus esset. Vbi aulicis quamuis negotiis distentus, conscripsit nihilominus *Tabulas pro supputandis motibus corporum cœlestium*, atque Rudimenta Mathematices, cum adhuc illa casta esset, quæ titulum habent, *Introductorium Astronomorum Cracouiensium.* Ex eius disciplina prodierant Ioannes ille Saracenus Canonicus Crac. qui egregium *De Schismate Ruthenorum* libellum conscripserat. Stephanus Micanus Leopolienſ. qui *Dialecticam & Rhetoricam* reliquerat, tum Paulus Piasecius, qui *Praxim Episcopalem* ediderat.

VITELLII.

Tunc artes feliciter efflorescere oportet
Principum vbi auxiliis, stantque vigentque bonis
Brudzeui quando Musarum culmina magna
Prendisti, hoc Regum mens tibi amica tulit.

XXXV.

XXXV. BERNARDVS VAPOVIVS.

QVam clara & illuſtri fuerit ſtirpe oriundus, nemo eſt qui dubitet, cum ex eius ſanguine etiamnum videamus, viros in Senatu conſpicuos. Quam vero in litteris exercitatus, teſtimonium inter alia præbent, titulus Iurisconſulti in Academia Crac. publice obtentus, tum ſcripta illa egregia, ingeniique laus Auſoniis etiam populis probata, maxime vero *Annales Polonici a ſe luculentiſſime contexti*, quos, Chronicon Ioannis Tarnouii Caſtellani Cracouienſis, & exercituum Ducis Generalis, continuare aggreſſus, poſtquam confeciſſet, breui & ipſe morbo confectus, e diuerſorio huius ſæculi, ad cœleſtem illam patriam translatus, locum corpori ſortitus eſt in Baſilica Crac. cum eiusmodi Epitaphio.

BERNARDO VAPOWSKI I.V.D. CANTORI CRACOVIENSI, CVBICVLARIO APOSTOLICO, ET REGIO SECRETARIO, VIRO ERVDITO, CARMINE ET PROSA EXCELLENTI, PATRVVS POSVIT. SCRIPSIT HISTORIAM POLONORVM, EX QVA QVANTVM INGENIO VALVERIT, POSTERIS IVDICANDVM RELIQVIT. Obiit XXI. Nouembr. Anno 1535.

VITELLII.

Gentis Sarmaticæ clariſſima fama Vapoui
Verius & dicam buccina magna Lechis
Quam florent viuis expreſſa coloribus, a te
Laus Patriæ, atque tuæ nobilitatis honos.

XXXVI. ANDREAS GOSTINIVS.

CVm omnes diutinam natura, imo ſi fieri poſſit, immortalem vitam cupiamus, tum vero ingeniorum, gloriæ, famæ, conſtanter factorum, conſiliorum pro patria ſuſceptorum immortalem profecto memoriam, haud aſpernari debemus: quam & Andreas Goſtinius Prætoris Cracouienſis F. præ aliis admiratus, non gentiliciis modo ſcriptoribus exæquari ſtuduit (Rogufiis nimirum illis, Herbortis, Varſeuiciis, Scargis, aliisque innumeris, quorum ſinguli non in vno tantum aliquo valuerunt, ſed ad rerum magnarum, tam diuinarum, quam humanarum cognitionem, attulerunt eam facultatem orationis, vt res ipſæ per ſe grauiſſimæ, cultu & nitore verborum ab ipſis illuſtratæ, id præſtiterint, vt deinceps non barbara, ſed elegantiſſima, nec in humana, & fera, ſed litteris & moribus culta natio audiamus) verum extraneis etiam quibusuis, eandem aſſequendæ immortalis gloriam, quam & cæteri,

ingressus, cum multas alias prouincias, visendi & discendi cupiditate peragrasset, tum Italiam quoque feracissimam morum & ingeniorum adiit; ibique primum magno atque diserto illi Manutio innotuit, familiarisque extitit; tum orbi politiori vniuerso, *editus post Fragmentorum librum, doctissimis ac disertissimis de litterarum præstantia Orationibus suis*, aliisque syntagmatibus lingua vernacula conscriptis, vtilibus sane & laudatis in re Politica, & in quibus maiorem delectum reperias, quam impetum scriptionis. Erat & alius Gostinius, Iacobus de nomine, Doctor Theologus in Academia Crac. & Procancellarius, qui itidem ingenio & eloquio clarus, reliquit egregia *Commentaria in authorem de Causis*.

VITELLII.

Excitent nullo reticenda in æuo
Sumptibus magnis alii trophæa.
Sera quod miretur in vno habebit
Gostinio ætas.

XXXVII. IOANNES HONTERVS.

Vsus Præceptore Io. Arundinensi qui Canonicus & Concionator Leopol. de Sacratissimo Eucharistiæ sacramento libellum scripsit. Ex eius disciplina fuit Iacobus Slupecius, cuius nunc Poemata & Epistolæ extant.

POeta, Rhetor, Philosophus & Mathematicus egregius. Coronæ in Borussiæ natus, & in Academia Crac. educatus, acceptam a maioribus suis famam, præclaris ingenii sui monumentis sic auxit, vt sæculi sui Varro nominari merito potuerit; præter enim *Cosmographiæ Enchiridion*, magno labore a se congestum; etiam Grammaticis veteribus laudis nonnihil adimere conatus est, *editis duobus obseruationum Grammaticarum libris*, quos in Contubernio Hungarico Præfectus, in gratiam suorum discipulorum dictauerat. Addidit & *de Variarum rerum Nomenclaturis libellum*; de quo Basæus Scebresinensis in libr. Criminum.

Honterus docta cum breuitate iuuat
Flectere verba docet, verbis quoque iungere verba,
Syllabicis modulis dulce sonare melos.
Siue voles Latias exacte nosse Figuras,
Instruet istius pagina curta viri.
Est hic acutus, habet certi quia nil sine causa,
Ad rem quæ faciunt parturit ille tuam.
Et quia non animus numerosa mole grauandus,
Præcipiens breuis est, dicta tenenda notat.
Hic breuibus, magnis quod non complectitur alter,
Paruo cum magno sufficit iste viro, &c.

VITEL-

VITELLII.

Quantum barbaries herba velut nocens,
Aruis in Latii protulerat caput.
Tantum promeriti de studiis bonis
Quicunque Hesperiis liminibus procul
Infamem eluuiem dira tonitrua
Doctis Grammaticæ legibus auferunt,
Qualem se Honterius præstitit, vt simul
Musis ingenuam munditiem attulit.

XXXVIII. STANISLAVS ILOVIVS.

ORdine equestri natus, & in exteris nationibus a puero educatus, præter insignem rerum physicarum cognitionem, litteris cum Græcis tum Latinis egregie instructus. Quo etiam nomine, cum plerisque earundem cultoribus, magna illi amicitiæ necessitudo fuit; tum ob linguarum exoticarum multiplicem peritiam, atque canam ex vsu rerum & peregrinatione prudentiam, apud maximos quosuis Dynastas, maxima notitia. Præceptore vsus est Cœlio Secundo Curione, cui *Dionysii Halicarnassei, ad Cn. Pompeii epistolam, responsum, latinitate donatum, grati animi significationem dicauerat, Elogia vero, & Historicorum comparationem eiusdem Dionysii* Tencinio Comiti: ac *Demetrii Phalarei de elocutione librum*, Duci Radiuillo, inscripserat. Proprio autem Marte seu Minerua, confecerat libellum *de Historica facultate*; atque item *de Perfecto Historico* alium.

IO. IASCROVICII.

Dogmata cuncta tenet, qui iunxit Græca Latinis
Graio fonte fluit quodlibet artis opus.
Præclare Ilouius coniunxit Græca Latinis
Quis neget hunc quæuis dogmata nosse sophum.

XXXIX. IOANNES GLOGOVIENSIS.

Anno 1430. Multos quoque in Moschouia sacræ scripturæ libros in Sclauonicam ab illo linguam translatos vidi-

IN Syllesia, quæ olim Regno Poloniæ adiuncta prouincia fuerat, oppido Glogouiensi natus, Magisterii titulum in Academia Crac. & professionis munus assecutus, varia eruditione & iudicii acumine inter sui æui doctos viros inclaruit, vt si vel solam *Grammaticam illius, discursu quo nemo ante eum vsus, libris duobus conscriptam* videas, mireris industriam, probes laborem. Quid *Computum Chirometralem, libros de Physiognomia, de Iudiciis Astrorum, de arte Rhetorica, Poetica, Arithmetica?* Quid

mus, impressos vero Cracouiæ sumptibus Io. Haller Ciuis Crac. qui omnes suas facultates in hoc ipsum contulerat, vt litteræ meliores diuersis excussæ linguis & characteribus spargerentur in vsum septentrionalium. Similiter lustrauimus libros Doctore Francisco Scorina Polocense interprete, Pragæ excusos.

quid *Notas in Computum Ecclesiasticum & Sphæram Io. de sacro Busco?* & quicquid vel ad triuium, vel ad quadruuium spectat? quæ omnia ille ita calamo suo illustrauit, vt omnium pæne eruditorum oculos, solus illa tempestate in se conuerterit. Vtque iuuentus studiosa certum locum ad imbibendum & perdiscendum bonas artes haberet, scholam priuatam, in certas classes distinctam, sumptu ingenti, perpetuum pubescentibus Musis domicilium a fundamentis extruxit. Adultioribus autem, quo molestiam lectionis diuersorum authorum auferret, præcipue pauperioribus, qui copiam librorum habere non possunt, pro parte subueniret, tum vt & ingenio, quo multum præcellebat, matris suæ Academiæ nomen exteris quoque commendaret, scripsit doctissima resolutione quæstiones, super omnes sigillatim Philosophiæ Aristotelicæ partes, puta *veterem artem, Perihermenias, Priora, Posteriora, Topica, Elenchos.* Similiter super *libros Physicarum Auscultationum, libros de Cœlo, de Anima, de Generatione, Paruorum naturalium, tum Ethicam, Politicam, Metaphysicam, Oeconomicam,* & quicquid vno verbo ad Philosophiam exacte cognoscendam spectare videbatur, id totum notis illustrauit. Ad meliorem vitam transiit vir pius Anno 1507. magno sui, bonis doctisque omnibus, quos amabat & fouebat, relicto desiderio.

NICOLAI ZORAVII.

Felices quis vos Arabes non dixerit auro,
Thure vocet claros non quis odorifero.
Sed tamen haud satis commentatore superbi,
Alter Auerroes, nam Glogouita fuit.

XL. IACOBVS POLONVS.

Verus mundi contemptus.

ORdinis Cisterciensis in Monasterio Paradisiensi professus, ita ab omni ambitione remotus, vt Philosophicam etiam lauream in Acad. Crac. meritissimo sibi oblatam constanter repudiauerit, & paulo post Abbatis in suo monasterio dignatatem, quam suscepit F. Petrus de Paradiso, condiscipulus suus Magisterii titulo An. 1496. ornatus, collapsamque apud suos veterem disciplinam (quam Iacobus titulis litterariis, vt plurimum destrui aiebat) diligentissime instaurauit, vsus familiaritate illius, quem & in pietatis negotiis identidem consuluit; vt qui conscripserit egregium opus *Speculum Religiosorum*, intitulatum; cum quibusdam aliis opusculis, eidem libro annexit. Erat enim vir magni ingenii, opinionisque celeberrimæ apud homines, & vt illis temporibus,

ribus, eximia doctrina, diuina memoria, atque summa cum sacræ, tum profanæ Historiæ, cognitione præditus.

IASCROVICII.

Abdita nosse cupis veterum vestigia Patrum
Fœlices celsum queis petiere Polum
Iste viam facilem virtutis ad æthera monstrat,
Contemptis mundi carnis & illecebris
Omnibus admiranda sacræ monumenta reliquit
Doctrinæ, vt videant dogmata vera Patrum.
Patribus antiquis magni tribuuntur honores,
En par hisce fuit, par decus inde refert.

XLI. NICOLAVS DE BLONIE.

Oppido Masouiæ, quinque a Varsouia milliaribus distante, honeste natus; præter multiplicem eruditionem, consilium, prudentiam, cæteraque ingenii bona ea fuit in homine iam inde a primis annis pietas, & innocentissimorum sanctitas morum, isque perpetuus tenor vitæ ab omnibus voluptatum illecebris disiunctus, vt priscorum Ecclesiæ patrum, eximium in eo specimen eluceret, omnesque qui piorum instituto viuere cuperent, sese in illius mores, velut perfectissimi exempli conformarent: vt felix in primis Acad. Crac. fuerit, quæ omnibus fere temporibus talia Ecclesiæ lumina tulerit. Anno enim eodem quo & B. Io. Cantius prima laurea insignitus, merito post & Magisterii gradum, sub Stanislao de Petricouia obtinuit. Parisiosque dein, Louanium, atque Bononiam adiit, cum ingenuis Comitibus illis concandidatis suis, Petro & Andrea de Bnin Opalinsciis, quorum alter postea Vladislauiensem, alter vero Plocensem infulam gessit. Nicolaus autem honesto sacerdotio ab vtroque auctus, insignis verbi diuini Ecclesiastes fuit, & in Cathedrali Plocensi primum, postea in Posnaniensi Ecclesia prædicatoris officio functus, Louicii ad extremum quieuit, reliquitque nobis ingenii & eloquii sui monumentum, *Conceptus Theologicos, seu sermones per anni circulum*, graui & erudito stilo conscriptos. Similiter de sanctis, veteri & nouo prelo toties iam recusos. Tum & *Confessionale S. Thomæ Aquinatis*. Erat enim vir, vt & ex meditationibus illius apparet, iudicio maturus, pietate religiosus, conscientia securus, mente benignus, moribus castus, visu & aspectu iustus.

Erat & alter Nicolaus Polonus dictus. Episcopi Posnaniensis Sacellanus, qui itidem sermones per annum confecit. 1415. sub Decano Artistica facultatis Iacobo de Iassel.

IASCROVICII.

Vitis vt optatos profert fœcunda racemos
Et radice botros trudit odoriferos.

Sic Iagellonis bene culta Academia Regis
Pubescens fœtu Regna Polona beat.
Sacris diuorum gemmis hæc vitis abundat,
Hoc Diui Cantii ramus in orbe viret.
Hic flos fragrantem virtutum fundit odorem
Et miris recreat lumina mœsta modis.
Pullulat ac alma Nicolaus propagine palmes.
Diuini iste comes fidus amoris erat.
Maturas vuas celso fert vinea cœlo,
Ex his supremo mensa parati Deo est.

XLII. MATTHIAS DE MIECHOW.

Gradum in artibus primum anno 1476. promeruit, tertio autem post Magisterii dignitatem.

MEdicinæ Doctor & Canonicus Cracouiensis, nobili in oppido Religiosorum militum sepulchri Domini, Miechow, honestis parentibus natus, puer liberaliter institutus, & Cracouiæ publico in Gymnasio Peripatetica Philosophia imbutus, Physicis potissimum delectabatur: & naturæ genio obsecutus, ad medicinæ sese artem sic applicuit, vt in omnibus pæne Italiæ atque Germaniæ Academiis publice in disputationibus ingenii acumen exhiberet, domumque reuersus parem sibi ea in professione vix vllum in tota Polonia, superiorem certe neminem reppererit. Igitur ob nominis celebritatem, artisque præstantiam a Sigismundo I. Rege Poloniæ tum clarissimo, Medicus adscitus, valetudinis eius summa fide diligentiaque curam gessit, *deque conseruanda sanitate libellum egregium vulgauit.* Ac tandem aulicæ vitæ pertæsus, sacris sese deuouit, atque Canonica dignitate ab eodem Rege auctus, scripsit *Annales Polonicos, & de vtraque Sarmatia Historiam.* Cumque & Astrologus insignis esset, & Regia liberalitate rem satis lautam possideret, censum pro Astrologo atque Medico, in Academia fouendis, pignus gratitudinis pro egregia institutione, perpetuum fundauit, erexitque scholas pro erudienda iuuentute priuatas, cum ad Ædes S. Annæ, S. Floriani, S. Stephani, SS. omnium in vrbe; tum etiam in patria sua, municipio Miechouiensi. Idem Hospitales domus aliquot & Xenodochia refecit. Bibliothecam in Rupella apud FF. Pauli primi Eremitæ, sumptu ingenti excitauit: & domui Professorum Maiori in Academia, quos inter ipse olim mansit, pro libraria atque horologio restaurando, plurima tabulis testamenti legauit. Obiit anno 1523.

IASCROVICII.

Quæris Apollinea verſatos arte Polonos,
Innumeros tales terra Polona dabit.
Miechouius ſummos inter ſupereminet omnes,
Alter is Hypocrates, alter Apollo fuit.

XLIII. VALENTINVS KVCBORSCIVS.

OB amabile ingenium, variam eruditionem, ſuaues mores, Reſcio, Liliæ, Cromero atque Tretero, Magni illius Cardinalis Hoſii alumnis, per quam familiaris, in Deum pietate, in amicos candore, & in rem Eccleſiaſticam, atque litterariam fide & amore excellentiſſimus. Inter cætera, quæ in hoſtes Eccleſiæ &Fidei oſores penna felici ſcripſit, reliquit etiam *ſermones patria lingua conſcriptos*, iis ſane perutiles, qui de ſuperiore loco, cum ſpiritu fructuque de verbo Dei diſſerere, ad populumque verba facere in tanta Homiliarum copia ſtudent. Idem *Catechiſmum Concil. Trid. in eandem linguam vſui publico conuertit*, quo vel ſic in moribus optimis, & fidei articulis abſens inſtrueret, quos viuus prædicando informare ſolebat. Defunctus ſepulturæ locum ad Capellam Dobrocieſcianam in Cathedrali Cracouienſi Eccleſia obtinuit, cum tali Elogio.

REVEREND. D. VALENTINO KVCBORSKI ARCHIDIAC. POMERANIÆ CRAC. VARMIEN. CANONICO REGIO SECRETARIO, CARDINALIS HOSII ALVMNO, VIRO PIETATE SINGVLARI. INGENIO, SCIENTIA DICENDI, SCRIBENDIQVE CLARISSIMO, INTEGRITATE VITÆ SACRISQVE TRACTANDIS RELIGIOSISSIMO FRATRES COLL. CA. CR. FF. OBIIT.

Anno D. 1573. die 3. Octob. ætatis ſuæ 47.

IASCROVICII.

Romanæ vindex Fidei Cucborſcius acer.
Hæreſeum tenebras dum nitet arte fugat.
Scilicet arte ſacra lucem fert omnibus almam,
Nec ſinit obſcuras Lechiadum eſſe domos.
Præfert ille facem ſcribendo, vt nullus in oris,
Sarmaticis erret, qui ſua ſcripta legit.

XLIV. MARTINVS VIASDOVIVS.

MErito doctrina claris annumerandus, qui decurso in Acad. Crac. Philosophiæ ac Theologiæ studio, Valentini Vidauiensis atque Bartholomæi Vargocii, ac aliorum insignium virorum condiscipulus, vna simul & concandidatus, primum in artibus honorem sub Iosepho Vrendouio promeruerat: & omnem melioris vitæ cursum in publica professione feliciter peregerat. Tandem sub decliuum ætatis, relicta statione Academica, in Patrum Societatis Iesu castra, illustris dicendi & scribendi peritia, lætus concessit. *Scripserat enim in Cic. Orationes* (quas assidue legendo, tantam sibi eloquentiam graui Theologo dignam comparauerat, vt sæculi sui disertissimus audiret) *luculentissimos Commentarios; tum in difficilem illam D. Pauli ad Romanos Epistolam.* Sed non hac fama contentus, voluit etiam noua sibi apud Deum mereri premia, quibus carere se credebat, ni nouiter surgentem in Polonia societatem pro posse iuuisset. Igitur in numerum illorum cooptatus, aduersus sacramentariam pestem, de vera corporis Christi in SS. Eucharistiæ sacramento præsentia, summa industria e sanctis Patribus doctrinam collegit; sed & mortuos virorum precibus iuuari, sanctosque a nobis recte inuocari, pari methodo adstruxit; quod & ad populum in templo diserte disseruit, a summis Theologis eo nomine, apprime laudatus.

Erat & sacra laurea insignitus.

Pietatis studium.

IO. IASCROVICII.

Ne dubitate viri precibus confidere Diuum
Hoc doctrina huius monstrat, & alma Fides.

XLV. MARTINVS BRONIEVIVS.

FElici ac versatili vir ingenio, qui cum Philosophiæ atque Geometriæ cognitione, naturalem quoque prudentiam, rerumque publicarum vsum & intelligentiam coniunxerat, eximia Latinæ dictionis elegantia, quæ scriberet ageretur, comitante. Quarum quidem virtutum meritis fortissimi Regis Stephani, dignus est aulicus vocitari, non ille vanus aut vesanus, adulationibus mendaciisque texendis natus; sed bellica virtute, scriptis a se editis, & legationibus ad diuersos Principes prudenter obitis, clarus. Maxime illa ad Præcopitos Scythas in Tauricam Chersonesum, quo e Moschouia rediens a bello Lucensi, fuerat a Rege missus, nouemque mensibus apud barbaros detentus; vbi ausu & sumptu ingenti lustratis omnibus oppidis, pagis portubus & munitionibus illorum, consuetudines quoque & leges ipsorum si quæ illæ apud

Prudens Legatus.

apud barbaros reperiri poſſunt, diligenti cura & labore connotauit, ſimulque & tabulis æneis illuſtrauit, vt vel ſic inopia & impotentia barbari detecta, animaret nos in excidium Tartarici nominis & ſeminis. Similiter quoque Valachiæ & Moldauiæ ſitus nobis depinxit, tum quæ ad cognoſcendam naturam & mores illorum populorum, quibus cum ſæpiſſime nobis res eſt, neceſſaria videbantur, commentariis ſuis connotauit. Ipſe vero vti verum Sarmatam decuit, totus in militia conſenuit, in qua & vitam expirauit, parto longe clariſſimo nomine.

IASCROVICII.

Arte valere iuuat, valuit Bronieuius arte
Qua gratus magnis Regibus ille fuit.
Conſilium, doctrina, fides prudentia, virtus,
Principibus ſemper munera grata viris.

XLVI. STANISLAVS SARNICIVS.

CVm externarum rerum, remotiſſimi etiam ſæculi peritus, tum domeſticarum maximopere gnarus, quas in vnum corpus redactas, in ſpecie *Annalium Polonicorum in lucem ediderat.* Cæterum, quia in religione fertur inconſtans fuiſſe, ideo minus apud probos & doctos acceptus. Maxima ei interceſſerat cum Leonardo Gorecio neceſſitudo, qui vna ſecum & domeſtica ſtudia pertractauerat, & præcipuas quasuis Europæ nationes, velut Achates fidus peragrauerat, ſcripſeratque Commentarios de rebus geſtis Magnanimi illius Iuoniæ, Valachiæ Palatini, qui ſub tempus coronationis Henrici Regis Poloniæ, audaciter magis quam feliciter inuaſerat illum dominatum, & breui ſpacio multa præclara contra Turcas geſſerat. Sarnicius autem & bellicæ rei peritus, *ſcripſit Campiductoriæ libellum,* monitis militaribus Politicisque refertiſſimum. Item *Topographiam* locorum a Stephano Rege Moſchis ademptorum: tum & *Triumphum Regis eiusdem carmine heroico, atque libellum de elegendo Principe.* Fuit enim illi varium fæcundumque ingenium, quod nullis incluſum ſpaciis, per omnes fere diſciplinas liberius euagaretur, eſſetque non vulgare æui noſtri decus, ſi intra profeſſionis litterariæ terminos ſubſtitiſſet, ſeque totum hiſce ſtudiis, quibus inprimis natus erat, misſis ſacris litteris, dediſſet.

Leonardus Gorecius Valachicorum tumultuum & belli Gedanenſis diligentiſſimus ſcriptor. Vide plura de Iuonia in fine libri noſtri quarti de Rebus geſtis Sigismundi Primi Regis Poloniæ.

IASCROVICII.

Sarnicius mores externos vidit & vrbes,
Lechiaco regno iam procul eſto timor.
Mille nocendi artes hoſtis cognouit & aſtus,
Hos euitandi tradidit ille modum.

Tradidit & raram Campiductoribus artem,
Prælia qua tuti fausta ciere queant.
Ergo Sarnicio multum Respublica debet,
Sarmati hostiles præcauet ille dolos.

XLVII. PAVLVS STEMPOVIVS.

REgis Sigismundi Augusti Secretarius, Tribunus terræ Plocensis, vir cum aliarum linguarum, tum Latinæ atque Græcæ peritus, Constantinopoli & alibi in Græcia edoctus. Vnde in Italiam velut ad mercatum bonarum artium profectus, animum ad Iurisprudentiæ studium appulit. Inde Aurelianum in Galliam, ac postea Parisios transiit, biennioque exacto honore ac titulo Iurisconsulti ibidem cohonestatus est: *scripsitque librum de Repub.* ad Augustum Regem, a quo in album Secretariorum simul cum Andrea Patricio inscriptus, cum varias Latinas Polonicasque declamationes per otium confecisset. Græca quoque poemata, quibus vehementer delectabatur, nonnulla conscripsit. Cumque Rex peste passim per Poloniam grassante, in Lithuaniam tendens, Kursiniæ vitam cum morte commutasset, Paulus itidem, quod æui reliquum erat, domi placide transacto, mortem obiit Anno 1584.

IASCROVICII.

Parisiis variæ doctrinæ mercibus auctum
Stempouium, & reducem Patria læta vide.
Virtutum lapides preciosos legeratoris
Externis, felix vtere prole Parens.

XLVIII. VENCESLAVS SAMOTULIUS.

Præceptore vsus Gregorio Samotuliensi conterraneo suo, qui Archidiaconus Posnaniens. Iuris Polonici Processum scripsit. Idem Gregorius scripsit Enchi-

A pueritia liberalibus studiis deditus, Posnaniæ primum in maiori Polonia, post Cracouiæ Glogouiano in Gymnasio (classes vulgo appellantur) Græcis ac Latinis litteris sedulam operam posuit, atque mox adolescentior in D. Iagellonis Lycæo Philosophiam Aristoteleam cum titulo Magisterii hausit. Et vt cuiusque genius est, Poeticæ potissimum addictus, ac Mathematicis disciplinis, Musicam quoque artem, tanquam altera ex parte respondentem adiunxit, eiusque mira peritia, mirum in modum Sigismundo Augusto Regi talibus sese oblectanti, innotuit, atque paulo post Musices Præfectus fuit, talis ac tantus! vt ei ad summam artis præstantiam, nihil præter vocem defuisse videatur. Hac enim Io. Virbcouium excelluisse, gratiamque Principum aucupatum fuisse ferunt, quod ipsas etiam Syrenas in demulcendo cantu

cantu pectora hominum superasse videretur, & quo defuncto, Polonia similem simphonia cum huc vsque non habuisse audit. Venceslaus vero, ita proportionibus ex Mathematices studio delectatus, vt æque sonos Musicos ac metra componeret, vt in vtroque simul non vulgarem gustum porrigeret: sed quem coætanei in Polonia non caperent fere omnes. Multa itaque ad solennitates Ecclesiæ decorandas, suauissimis concentibus ornata reliquit, multa ad oblectationem animorum honestam composuit, quibus & patriam suam (oppidum Samotuli) ignotam nobilitauit, atque demum ipse paucis in diebus, post decessum Regis sui, obiit, cum ætatis nondum tertium & quadragesimum annum attigisset. Quem si diutius stare superi permisissent, esset cur Italis Prænestinos, Lappos, Viadanos, Poloni non inuideremus. Qui & Iurisconsulti insuper titulo auctus *Processum Iuris Canonici egregie compilatum post se reliquit.* Quinimo & discipulum ea in scientia haud se imparem Nicolaum Iaskierum, Senatus vrbisque Cracouiensis Secretarium, qui Præceptorem æmulatus *Iuris Prouincialis*, quod speculum Saxonum vulgo nuncupatur *libros tres.* Item *Summarium articulorum Iuris Municipalis Maideburgensis.* Itemque *Promptuarium Iuris Saxonici in vsum publicum edidit.*

ridion Impedimentorum matrimonii. Nostra ætate Tobias Sendomiriensis vocis mira suauitate in Aula gratus & clarus fuit.

IASCROVICII.

Dicitur Amphion cantu flexisse canoro,
Immotas rupes, saxaque dura satis.
En nouus Amphion septem subiecta Trioni,
Pectora, dulcissima flectere voce solet.
Dumque Samotulius profert syntagmata legum,
Mentis duritiem sæuo Aquilone mouet.

STOSLAVII.

Vt solet ad cytharæ commotos pectine neruos
In circum lætos ducere turba choros
Nectere docte sonos Venceslae tuque Gregori
Ciuibus ad leges instituistis iter.
Lex rectum monstrat cursum Cytharaque rotundum
Cui nunquam certus terminus vllus adest
Vos duo dum certo monstrastis tramite cursum
Non dubia est per vos meta futura viæ.

STOLAVII.

Qui certis numeris cantus docuere suaues
Disposuere libris ordine iura pari,

Est dolor in nobis sunt crimina causa doloris
Est dubium tollat quæ medicina malum
Crimina extollit, placat cantusque dolorem
Ista Samotulius præstat vterque Lechis.

XLIX. ALBERTVS SCEBRESINENSIS.

POeta & Historicus, inter sui æui viros præstantissimus, quia non nemini ob iudicii acumen, in fide suspectus videbatur esse (Cracouiensis autem Academiæ, non laureati tantum, sed studiosi etiam ipsi, cum inscribuntur in album Vniuersitatis, fidei & candoris Romani professionem publicam faciunt, atque simul Hæresim & nouitatem omnem, in manibus Rectoris, abiurant) idcirco in susceptione sacri honoris, suspicionem a se omnem tollere cupiens *Fidei Romanæ confessionem carmine eleganti*, *simplicissime tamen complexus*, piis viris & Ecclesiæ iudicandum opus exhibuit, scripsitque in Calumniatores alium *libellum Criminum* dictum, carmine veterum Poetarum phrasim & numeros redolente. Similiter *Epitome Xenodochii Crac.* atque Grammaticam duplicem Exegeticen & Methodicen.

Academia Crac. semper pietatis studiosissima.

IO. IASCROVICII.

Dignum laude virum Stygiis immergier vndis
Musa vetat, verum sydera ad alta vehit.
Prodiit Albertus Musarum maxima cura,
Ingens præsidium, dulce decusque suum.
Æternum viuet redimitus tempora lauro.
Doctrina, & virtus nescio sola mori.

L. IOANNES VIELICIVS.

PRofessor in Academia Crac. celeberrimus, in quo Philosophicis studiis maturrime perceptis, sacra tam diligenter prosecutus est, vt Doctoris ac Professoris Theologi dignitate, cum summo omnium applausu donaretur. Post ad Parochi Vielicien. & Canonici in primaria Crac. D. Stanislai Æde honorem euocatus, qua voce, qua stilo, pro Ecclesia Romana aduersus Hæreticos pugnauit; passimque tum homines ad Lutheranismum inclinantes Concionibus suis, in quibus pia commiseratione vbertim sæpe lacrymari visus est, in fide maiorum Orthodoxæque Ecclesiæ obedientia stabiliuit. Conditus in Odeio Ædium D. Floriani hac inscriptione.

REVEREND. PATRI. IO. VIELICIO S. T. D. CANONICO CRAC. VIRO IN RELIGIONE SINCERO, IN MORIBVS PROBO, IN PROFESSIONE LABORIOSO, ERGA DISCIPVLOS BENEVOLO, IN PRÆSTANDIS BENEFICIIS FACILI. HONESTATIS, TRANQVILLITATIS, CONCORDIÆQVE NEC NON DISCIPLINÆ PVBLICÆ ET DOMESTICÆ AMATORI. BONORVM INGENIORVM PROMOTORI, OMNIBVS TAM DOMESTICIS, QVAM EXTRANEIS CHARISSIMO. QVI SEDENS ET LOQVENS DE FVTVRA VITA, EX DIVERSORIO HVIVS SECVLI, SVMMA CVM ALACRITATE ANIMI MIGRAVIT. EXECVTORES TESTAMENTI, TESTATORI DESIDERATISSIMO, DISCIPVLI PRÆCEPTORI OBSERVANTISSIMO, ÆTERNÆ PIETATIS MONVMENTVM POSVERVNT. VIXIT ANNIS 73. OBIIT A. 1599. DIE 15. FEB.

IO. IASCROVICII.

Ingenio quantum valeat Vielicius, oræ
Ausonidum testes, Sarmaditumque plagæ.
Ingenii certamen adit magna vrbe Quirini,
In qua victorem fecerat ingenium.
Parte in Hyperborea monstrum petit ille renascens
Trux caput Hæreseum rite Luthere tuum.
Hæresis atra etenim dum Craci serpit in vrbe,
Perque animos hominum dira venena iacet.
Viribus Herculeis animi Vielicius Hydram
Pellit & illustri non sinit esse loco.
Ergo dicendo Diuinam restituit rem.
Quæ dabis vrbs Craci præmia digna viro?

LI. THOMAS DRESNERVS.

LEopoli in Russia natus, præter linguarum diuersarum peritiam, etiam Politices Iurisque prudentia claruit, qui collectis vndique veterum monumentis *Librum fecit Collationum Iuris Polonici & Romani. Centuriam legum Polonicarum atque Gallicarum Institutionum Iuris Polonici libros quatuor, & Processum Iudiciarium.* Atque a poetica minime abhorrens, pia quædam & moralia a se conscripta edidit, complexus antea, omnium magistratuum dignitatumque Regni Poloniæ, graui volumine officia Præceptorem puer habuit Mat-

 thæ-

thæum Samotulium, celebrem in Acad. Crac. Professorem (qui cum alia plurima, tum in Mathesi quoque scripsit doctos Commentarios in sphæram Io. de sacro Bosco) Adultior Parisios profectus Turnebum, atque alios viros clarissimos audiuit; peragrataque Europa fere vniuersa, in sinu Academiæ Zamoscianæ conquieuit.

IO. IASCROVICII.

Dresnerus vt leges statuit, scelus omne refugit,
Et contra erexit Iustitia alma caput.
Legibus est ratio prohibens, contraria summæ
Virtuti vt nequeant Lex scelus esse simul.
Dum nunc Iustitia orta nitet super orbe Polonum
En vicina Polo terra Polona iacet.

LII. THOMAS TRETERVS.

THomas Treterus natione Polonus, patria Posnaniensis, vir fuit vere, hoc est propria virtute nobilis: statura corporis supra mediocrem decenti, facie verendus, patula vtcunque fronte, viuidis oculis, & ore prono in humanitatem ac misericordiam; sermone comis & effabilis, cultu ac sensu de se modicus. Is adolescentulus in Hosiano Brunsberg. Collegio Soc. IEsu, mansuetioribus humanitatis ac eloquentiæ Musis, perpolitus cum fuisset, seque Amplis. Card. Stan. Hosio, ingenii ac morum elegantia mirifice probasset, eius in familiam aulicam adlectus, grauioribus Romæ scientiis addictus; superstiti suo Mecenati continenter fidus Achates adhæsit, Secretarius deinde S.R.P. Annæ Iagelloniæ in vrbe constitutus (qua etiam dignitate Seren. Reges Stephanus & Sigismundus III. illum cohonestarunt) mirum quam vitæ integritate, animi candidi sinceritate, morum verborumque comitata, maximarum denique virtutum dignitate suspiciendus, summis, mediis, infimis, charus atque iucundus vixerit. Greg. XIII. Pont. vere opt. Max. nec non Clementi VIII. vehementer acceptus. Hic legandus Card. in Polonias a Tretero de omnibus informatus. Ille suæ gentis insignia eidem nobilitato (quantus honos) vsurpanda muneratus. Canonicatu Ro S. Mariæ trans Tyberim & Olomucen. donatus. Oblatos sibi altiores in aula, in Ecclesia, dignitatis gradus, modeste recusauit. Cum S.R.E. Card. An. D. Bathorco, Regio Nepote, Roma reduce, Varmiam se recepit, cuius interuen. Ecclesiæ Canonicus pridem census fuerat. Peridoneam hanc pietati ac otio literario solitudinem negotiosæ aulæ ac infulæ prudens volensque præhabuit. Vbi cœpto probita-

tis,

tis, ſolertiæ, humanitatis tenore, nullo ſupercilio, nullo temporiperdio, reliquum vitæ laudabiliſſime poſuit, perenne domeſticis, exteris, nobilibus, ignobilibus, doctis, inopibus aſylon atque diuerſorium: Commemorabili hoſpitalitatis in aduenas, in egenos benignitatis exemplo. *Scripſit Romæ Romanorum Pontificum compendiaria geſta, ſoluto vinctoque ſermone. De vita & miraculis S. Benedicti carmina diuerſis generibus ſubiecta. Ad effigies Imperatorum Rom. Elogia. Theatrum virtutum S.R.E. Cardinalis Stan. Hoſii iconogliphico opere non ſine ſententioſis lemmatis. Variæ in eaſdem virtutes Odæ, adhuc vt & alia eiuſdem docta poematia ineditæ. Symbolica vita Chriſti, vna cum Chriſtianis virtutibus poſt obitum edita. Elenchus vocularum Horatiani poematis, de quo gratias Tretero egit ſcita ſcripta Ode vnus Gymnaſiarchorum Elbingen.* Varmiæ vero *ſcripſit Hieroſolymitanam peregrinationem Illuſt. Domini Nic. Chriſtopheri Radiuilli Neſuiſienſis & Olicenſis Ducis, latinitate donauit. Sacratiſſ. corporis Chriſti Hiſtoriam & miracula æneis typis illuſtratam. Seriem & acta Epiſcoporum Poſnanienſium & complura alia pietatis monamenta.* Vnde iure hæc illi Elogia poſthuma fama occinit.

Varmia ſemper habes, te quorum ſcripta celebrent
Virtute inſignes ingenioque viros.
Syluius & Cromer Hiſtoriis, Copernicus aſtris,
Clarus auitæ Hoſius Religionis Athlas,
Vates Dantiſcus, numeras & in hiſce Treterum
Iure, ſed heu, quantum Varmia ſydus humas.

II.

Penna, peniculo, ceſtris aſtriſque Tretere,
Tu Numa, Naſo, Mycon vnus eraſque Myron.

III.

Brunoris articola, te nato Poſna Tretere,
Roma Palatino, Varmia læta patre.

IASCROVICII.

Edidit hunc celebris toti Poſnania mundo,
Dotibus ingenii clarus vbique foret,
Orbis Roma caput myſtæ dignatur honore,
Primo conſtituit Varmia clara loco.
Doctrina meruit, meruit Pietate Treterus
Vtraque eximium qui ferat vrbe decus.

LIII. BENEDICTVS HERBESTVS.

VIr certe præcellentis ac diuini propemodum ingenii, qui nouo dicendi genere, inter ſui temporis æquales inclareſcere in Academia

voluerat. Gente is fuit Roxolanus, patria Neapolitanus, quod municipium vulgo Noua ciuitas dicitur. Duos fratres germanos, vna secum insignitos Academicis honoribus vidit, Ioannem & Stanislaum, eodem quo & ipso Ioanne Leopolita præceptore vsos, iisdemque quibus & ipse studiis Philosophiæ & eloquentiæ deditos; sed huic posteriori magis addictos. Et Benedictus vicesimum ætatis annum ingressus, post accepta humaniorum artium insignia, apud Leopolienses regimen Gymnasii publici, tenuit; posteaque Cracouiæ ad Ædem Diuæ Virginis, domui Musarum præfuit, atque alios docendo, ad eloquentiæ sese facultatem contulit, & ex amicorum consilio, aliquot *Orationes, quas publice recitauit, typis excussas in lucem dedit.* Quibus, cum summis per Poloniam Principibus viris innotuisset, maxime Philippo Padnieuio Episcopo Crac. & Petro Kmithæ Palatino, viris disertissimis, fuit a Ioanne Prætembio Gnesnensi Archipræsule euocatus, quo iuuentutem in aula sua, indolis inter Polonos optimæ, optimis disciplinis ac moribus iam inde a teneris imbueret, atque in auita Religione contineret: ratus, quod res est, seminaria Reip. bene constitutæ iuuentutem esse, quam qui recte informet, eum de Rep. quam optime mereri. Serpebat enim iam tum passim per Poloniam Hereticorum labes, quam ipsi etiam e Senatu Magnates nonnulli inuexerant. Benedictus igitur, pietatem in primis colens, sic iuuenes illos erudiuit ludimagister, vt longe maioribus titulis ac præmiis dignus esset, sicque se ipsum in tanti Principis familiaritate gessit, vt libenter auditus, semperque laudatus recederet. A quo in Minoris Collegii Professionem ab Academia reuocatus, ex templo æmulum in eloquendo Iacobum Gorscium Maiorem Collegam nactus fuerat, certamenque cum eo publicum in facie Academiæ subierat. Cæterum inferior iudicatus, totam illam *disputationem De Periodis & ratione scribendæ Orationis*, cum aduersarii argumentis, posteritati arbitrandam typis publicis transmisit: opus sane egregium! & est quod in vtroque mirere. Iterum exagitatus *scripsit Dialogum de optimo genere dicendi*, quo se superiorem, etiam in præterita disputatione fuisse declarat. Et quoniam de rotunda Periodi scriptione lis inter eos potissimum fuit, idcirco eam plures per annos alentes, multa contra se ea in materia scripserunt, multa in publicis dissertationibus dixerunt; vterque autem Ciceronem magistrum sequebatur, cuius Herbestus noster *vitam e scriptis & verbis eiusdem disertissime conscripsit. Confecit & in Epistolas illius lib. 4. Commentariorum. Et notas in Orationem post reditum ad Quirites, ex qua librum de Perfecta Periodi fecit*, & Orationes illas de quibus supra diximus (quarum vna pro Epistolis Ciceronis erat) in rece-

Ioannes Canonici Concionatoris munus in Ecclesia Leopoliens. obiuit. Stanislaus in patria vxorius vixit Anno 1550.

Episcopi olim in Polonia atque Abbates nobilem iuuentutem suis sumptibus alebant.

Vitam Ciceronis Herbestus scripsit.

receptione, aut resignatione muneris scholastici, partim Leopoli, partim Cracouiæ, apud Consules recitatas; & quæ solæ ansam Gorscio dederunt ad scribendum aut impugnandum, quod Noua Methodo scriptas, titulus libelli indicaret. Scripsit præterea Herbestus *Rationem instituendæ iuuentutis. Æquum iudicem, Computum Ecclesiasticum, Orphæum Ciceronis. Arithmeticam linearem, & Tabulas in Prosodiam.* Ceterum quia Gorscio passim primas in eloquendo asscriberent omnes, resignata in manus Rectoris Academiæ publica professione, Cathedralisque Posnaniensis Ecclesiæ Canonicatu posthabito, in Patrum Societatis IEsu castra, magna discipulorum caterua comitante transiit, & vixit vitam iuxta Apostolum irrepræhensibilem, animum gerens contra hostes Ecclesiæ indefessum, cum omnino vir esset in perorando facundissimus, in scribendo felicissimus, in docendo facilissimus, & vineæ illi tum primum in Polonia succrescenti perquam vtilis; Scripsitque in Societate manens *Horarum Canonicarum Rationarium, & Augustini sententiæ de SS. Eucharistia, explicationem.* Confutationem Picarditarum. De doctrina Christiana. Cæremoniarum Baptismi & Rosarii B.V. expositionem. Præterea scripsit Prodromum aduersus scriptum Iacobi Niemoieuicii Græci Schismatis demonstrationem Chronologicam Epitomen computus Ecclesiastici. Eclogæ Gregorii Samboritani expositionem. Orationem Synodicam, Precationes Lantinopolonicas & Periodicas responsiones. Atque sic exactis feliciter sancteque in societate 22. annis. Anno salutis 1593. flexis humi genibus mortuus repertus est.

NICOLAI ZORAVII.

Si vis Herbesti ingenium cognoscere & artem,
Cuius cognoscas æmulus ille fuit.

IASROVICII.

Tullius eloquii diffuso flumine primus
Reddit Ausonii pinguia culta soli.
Iure sibi multum debent Saturnia regna,
In Latio suadæ quod nouus autor erat.
Primus Sarmaticis Herbestus surgit in oris,
Qui bene dicendi dogmata vera dedit.
Vtque lepos Ciceronis erat gratissimus amplæ
Ausoniæ; Herbesti sic quoque Sarmatiæ.

Eiusdem:

Æmula ni eloquii virtus Herbeste fuisset,
Ingenium poterat delituisse tuum.

LIV. MARTINVS NERVICIVS.

EIusdem inclytæ Academiæ Crac. celeberrimus Professor, præceptor optimi illius pientissimique patris Rochi Posnaniensis, atque Stanislai Scarbimiriensis (qui Sermones de Dominicis atque diebus Festiuis per annum, stilo haud ineleganti conscripsit) felicissimus, pietate in Deum, candore in amicos, fide & amore in rem Ecclesiasticam & litterariam, dum vixit excellentissimus, & docendi dicendique, vt ex sermone Epitaphio liquet, peritissimus. Quæ enim tria M. Tullius in Oratore desiderat, scilicet vt doceat, delectet, & moueat, ea summe Neruitius noster tenuit, sic vt rem illustraret disserendo, animos audientium deuinciret voluptate, eosdemque promoueret atque incidaret. Quo factum, vt cum auditum esset, eum esse concionaturum, loca in subselliis occuparentur, templa complerentur, corona multiplex & auditor omnis adstaret erectus. Hoc igitur labore, sed & morbo ex eo confectus, septuagenario maior extinctus est, humatusque in Æde D. Floriani Clepardiæ ad Cracouiam. Tumulum executores hoc sepulcrali Elogio exornarunt.

Asseruantur sermones hi in Biblioth. Cano. Reg. Clobucii.

REVEREND. MARTINO NERVICIO CLODAVIENS. S.T.D. CANON. S. FLORIANI. IN PRÆCIPVIS HVIVS VRBIS TEMPLIS. ET SERENIS. QVONDAM SIGISM. AVGVSTI REGIS POLONIÆ CONCIONATORI. VIRO MIRE FACVNDO ATQVE ELOQVENDI. INCREDIBILI LABORE ATQVE INDVSTRIA. SVMMO INGENIO ET DOCTRINA, LEGVM ATQVE CONSVETVDINVM ACADEMIÆ OBSERVANTISSIMO. MORVM GRAVITATE, VITÆ INTEGRITATE INCREDIBILI, SVMMÆ DENIQVE APVD OMNES GRATIÆ, ATQVE AVTORITATIS. EXECVTORES MOESTI POSVERVNT. OBIIT 1582. 30. Nouemb. Hora 16.

STANISLAI STOSLAVII.

In templis dum verba facit Neruitius amplis
Et docet abstrusi dicta profunda Sophi.
Innumeræ fiunt angusta Lycæa iuuentæ
Nec capiunt populum tecta dicata Deo.
Signum oratoris quod summa frequentia summi
Est auditorum, Tullius ipse probat.

LV.

LV. DAVID CHILCHENIVS.

Regis Poloniæ Sigism. III. Secretarius, in Liuonia nobilibus parentibus natus. Rigæ primum apud Patres Soc. Iesu, atque Vilnæ, in Italia deinde, variisque Germaniæ Academiis operam litteris nauauit (vſus præceptore Friderico Bartſcio Braunsbergenſe inſigni Patrum Societatis Ieſu Theologo & Concionatore, qui *ſcripſit Concionum Controuerſarum, ſiue demonſtrationum Catholicarum, contra quasuis noſtri ſæculi Hæreſes Tomos duos*) Inde in Gallias & Britanniam profectus, cum varios profeſſores audiſſet, ſuprema Iurisprudentiæ laurea decoratus, in patriam rediit, magnoque illi Zamoſcio ob præclaras animi dotes, & ſcripta prudenter in Iure Ciuili Pragmatico conſcripta, magnopere gratus. Fama deinde, vt fit, in dies magis magisque notus, & in aulam accerſitus, Sereniſſimo Regi a Secretis fuit. Quin & a iuſto Lipſio litterarum ſui æui Coryphæo, abſens litteris colebatur: & a Duce Radiuillo M. D. Lit. Generali exercituum, militaribus turmis cum dignitate præficiebatur, in quo officio & vitam expirauit, parto longe clariſſimo nomine Anno 1608.

IOANNIS SCROBCOVII.

Vilnæ Caſtilides agnouit Pallada quærens
At Brytana pedes & loca Galla tulit.
Arolum & Rhenum ſulcauit Tybridis alueum
Luſtrauit claras Antenorisque domus
Tandem defeſſus placidam requieuit ad vmbram
Iuſtiniani artens inde redire domum.
Inuiſit patriosque lares: quem fouit Apollo
Officio en fractum Martis abire legis.

LVI. MARTINVS LEOPOLITA.

Regis Sigism. Auguſti Organarius in inclyta Leopoli natus, quæ Duce Leone Ruſſis imperante, tali ſub clymate ac ſydere ſua primordia cœpit, vt ad omnis generis artes & ſcientias, apta producat ingenia: & non intra domeſticos modo parietes, induſtrios viros foueat, ſed toti fere Poloniæ tales affatim ſuppeditet, vt ſola prope ſeminarium, & mæchanicorum & militiarium dicatur, quinimo & præſtantiſſimorum in qualibet ſcientia Doctorum; nec enim ars aut ſcientia tam difficilis reperitur, quam non adnatam ſibi Leopolitanus dictam velit, ſi modo parumper in ea verſetur. In his & Martinus noſter, Poetices atque Muſices ſtudio deditus, primus e Sarmatia fuit, qui ſobrie melo-

Leopolienſ. apti ad quasuis ſcientias addiſcendas. Vſus præceptore Sebaſtiano Felſtinenſi, qui Muſicam

Simplicem, seu de cantu Gregoriano libellum scripsit.

melodia delectatus, totius anni cantus Ecclesiasticos, aliosque extraordinarios & solennes, ita artificiose, ita concinne ac suauiter finxit, vt qui Charoli cantui, accommodatius Figuralem iunxerit, nemo ex Europæis adhuc, ne dicam Polonis fuit. Et figuralem ipsum per se, quam suaui melodia struxerit, vel sola Paschali Processione audita, perite quique eius artis, haud satis certe de mirari possunt. Tum quoque illam, quam D. Patrono suo Martino Turonensi Episcopo, cantilenam, & sonis Musicis, & versibus piis conscriptam, venerationis monumentum perpetuum reliquit. Et licet plurimi fuerint nostrum, qui in media Roma exercitati, ipsum exæquari voluerint, imo & noua Musices instrumenta excogitauerint, nullus illorum tamen, eam laudem, quam Martinus, in Polonia assecutus est, quamuis præter domesticam disciplinam, hoc est Academiæ Crac. præceptores, nullum alium magistrum extraneum habuerit. Imo summus in sua arte sine dubio foret, si, qua erat ingenii præstantia, viti sibi paulo longior contigisset. Vsus familiaritate Ioannis Cerui Tucholiensis, qui Leopoli annis quinque Gymnasio Præfectus, ac tandem pro meritis pingui sacerdotio beatus, reliquit *Farraginem Actionum Iuris Ciuilis Theutonici Maydeburgensis libris septem pulcherrime digestam.*

Paligonius, Zelenscius, Christophorus Kicker & Brandus Posnaniensis Soc. Iesu Theolog. summi in Polonia Musices compositores fuere.

IO. SCROBCOVICII.

Quid tibi vis viridi longe dignissimo lauro
O Phœbi Martino propago.
Nobilis Aonias retulisti rite corollas
Et laudum pæana tuarum.
Et merito: meruit genii vis, viuida virtus;
Hoc animi meruit quoque robur.
Conati Ausonio ingenio superare nitentes
Sæpe melos patrium erubuere
O victor dulci Daphnes certamine, laudis
Condas æterno tegmine frontem.

LVII. MARTINVS PILSNENSIS.

MArtinum Pilsnensem audeam cum Valentino Vidauio Theologo grauissimo, Poloniæ nostræ Isidorum nominare: vt qui cum priscis illis Theologis ingenii doctrinæque præstantia comparandus esse videatur. Is sacram lauream authoritate Reuerendiss. Domi-

Domini Philippi Padneuii Episcopi Crac. Cancellarii Vniuersitatis consecutus *multas doctissimas Homilias scripsit: itidem Discursus & examina spirituum.* Nemoque sane illo doctrinam sacram aut in scholis doctius interpretatus est, aut copiosius in concionibus explanauit. Nemo in animis ad virtutem inflammandis, & a vitiis reuocandis acrior aut ornatior Orator fuit. Fuit namque bonus Logicus, disputator acutus, bonus Physicus, bonus Metaphysicus, Mathematicus bonus, Iurisperitus, Oeconomus, Politicus, denique optimus Theologus, & qui alios docendo, ea ipse pie, modeste, & humiliter exequebatur, sanctumque Martinum Patronum suum, quoad vixit summa deuotione venerabatur. Ex eius disciplina, cum alii multi viri clarissimi prodiere, tum celebris ille Ecclesiastes, Petrus Scarga Soc. Iesu Theol. Conditus est Crac. in Æde SS. Omnium hoc Elogio (extatque laudatio funebris Valentino Vidauio Doctore Theologo editore.) *Ann. 1579.*

REVEREND. EGREGIO ET CLARISSIMO DOMINO M. MARTINO PILSNENS. PHILOSOPHIÆ ET S. T. DOCTORI. CATHEDRALIVM ECCLESIARVM CRAC. ET VRATISLAVIENS. CANONICO. HVIVS ECCLESIÆ PRÆPOSITO. ET CRACOVIENS. ACADEMIÆ XVI. COMMV. RECTORI. VIRO DOCTISSIMO. DE ECCLESIA ET ACADEMIA BENE MERITO, &c.

Executores hoc pignus amoris & honoris posuerunt. Obiit A. D. 1591. die 23. Aug. ætatis vero suæ anno 63.

HIC IACET SEPVLTVS, ORETVR PRO EO.

IO. SCROBCOVICII.

Rectoris dederant huic Musæ munera fecit
Inclyta lauro horti Pallas ouare sui.
Instructus Logices humeros splendentibus armis
Post solers Physices transiit omne nemus
Et tandem Physici nemoris secreta relinquens,
Scripturæ subiit læta roseta sacræ.
Rector erat, mortalis erat, sed gloria vitæ
Illum immortalem perpetuumque beat.

LVIII. STANISLAVS ORECHOVIVS.

DEmosthenes Roxolanus, ob dicendi libertatem, & sermonis vehementiam appellatus. Is in districtu Præmisliensi Equestris Ordinis maioribus natus, traditusque a parentibus Wittembergam, in *Nam & Græcarum litterarum fuit peritus.*

k

in M. Lutheri ludo adoleuerat (audiuit & Melanchtonem, vt ex epistolis eius patet, quas manuſcriptas aſſeruant viri docti; & vidimus Cracouiæ apud Io. Rybcouicium Theologum Profeſſorem) indeque in Italiam miſſus Io. Baptiſtam Egnacium, inſignem apud Venetos Oratorem & Hiſtoricum præceptorem habuit. Tandem ad penates domeſticos reuerſus, ſacrisque ordinibus ſuaſu parentum initiatus, inter Canonicos Cathedralis Eccleſiæ Præmislienſis haud contemnendum locum ſortitus fuit; ſed quem certe non pro voto illorum ornauit, imbutus deprauatis moribus Hæreſiarcharum. Cumque toties in Capitulo a Io. Dziaduſcio Epiſcopo ſuo correptus, ægre eam admonitionem pateretur, nec vt paternam diſciplinam ſuſciperet, verum ad ſuam potius temeritatem proſequendam, anſam ſibi dari exiſtimaret; relicto ſacerdotio, vxorem in matrimonium, & quidem e nobili familia duxit. Quo factum, vt a vigili paſtore Epiſcopo ſuo proſcriptus, lutulentoque illi porcorum Saxonicorum gregi anathemate dicto adſcriptus, multas in patria turbas, verſatili ingenio ſuo exciuit, multa contra ordinem ſacrum nefaria ſcripſit, & patrimonium illorum multum cum aliis ſimilibus vexauit, imo dux & ante ſignanus fuit, ad omnia peruerſa, potenti illo ſuo eloquio, quippe cum ingenio ſummis quibusque, etiam antiquæ memoriæ Philoſophis par fuiſſet, dicendi vero facultate, ipſum Demoſthenem aut Periclem exæquaret. Tandem aliquot poſt annos, miſertus ſui ipſius, diuinæ non reſtitit vocationi, ſed excepit humiliter pulſantem ad cor Dominum, & pœnitentiam egit. Cumque multoties municipalis ſoleret fieri legatus ad Comitia Regni, in illa Varſouienſ. Synodo, quæ in annum poſt mille quingentos primum & ſexageſimum inciderat, ad gremium Eccleſiæ poſtliminio rediit, & paulo poſt in Petricouienſi Synodo *Fidei Confeſſionem* publice fecit, quam & publicis litteris, monumentisque conſignauit. Atque iam ex eo tempore ſerio contra Hæreticos pro Chriſti Eccleſia ſcribere cœpit; diſputauitque primum in præſentia Archiepiſcopi Gneſnenſ. Iacobi Vchanicii, cum Andrea Fricio Volboriæ; poſtea Varſouiæ in præſentia Regis Auguſti cum Stancaro Mantuano; tum & aliis in pluribus locis, illuſtrium & Doctorum virorum corona aſſiſtente, præcipue vero Pinczouiæ atque Præmisliæ, ſemper Deo fauente cum victoria, ſummaque cum vtilitate fatiſcentis tum Eccleſiæ Polonæ. Scripſit multa, & in re ciuili, & in noſtrorum hominum laudibus, ſed præcipue tamen in oſores Religionis Catholicæ, hoc eſt. *Quincuncem, & Apologiam illius, Hymæram. Mediatorem. Fricium. Dialogos. Fide-*

Educatio plurimum ad bonitatem vitæ confert.

Conuerſio Orechouii.

Confeſſio Fidei. Labores pro Eccleſia Romana.

Fidelem subditum. Orationes de notis Ecclesiæ. Exequias Tarnouii. *Gesta sui temporis* (nam & Historicam attigit) *id est regnantibus apud nos Sigismundo Seniore, & Augusto F. Item Panegyrim nuptiarum eiusdem Regis Augusti, & alteram sui Pol. marchi Ioan. Tarnouii. Orationem pro dignitate sacerdotali. De præstantia legum Polonicarum. In obitum Sigismundi I. Turcicas tres. Pro, & contra celibatum. Pro Ecclesia Christi ad Samuelem Macieiouium Episc. Cracou. Institutionem Principis, Epistolas Familiares: quarum maxima pars adhuc in obscuro iacet, & librum de summa Regni.* Audio & alia quædam de Republic. authographa ipsius a quibusdam priuatim, cum nominis eius forsan, certe cum publicæ vtilitatis iactura, detineri. Nobis hæc tantum, quæ retulimus, innotuere. Ille vero ipse a sacerdotio funditus remotus, in media plebe, cor contritum & humiliatum gerens, recompensabat fraudata Ecclesiæ dicto, scripto & facto. Et quamuis multorum in se prouocasset odia, quod reuocato gradu ab æterno præcipitio illorum, respexisset seipsum aliquando, & receptui canente Ecclesia collegisset se, ex illo ærumnoso sectarum salo, feruenter & frequenter impugnans errores ipsorum, licet & stipendiis illis priuatus, quibus ab antesignanis Hæreticorum abunde alebatur, lætus attamen & lubens, constantem & indefatigabilem animum, contra quosuis Fidei Romanæ hostes gessit, & vt ipse in typo chimeræ de se loquitur.

Pro Patria, pro Legibus
Proque Religionibus
Auitis, atque patriis
Paratum vitam fundere.

STANISLAI STOSLAVII.

Atticæ Orechouius fuerat caput ille Mineruæ
Ausoniæ suadæ vera medulla fuit.
Dum strueret Lechis patriis eiectus ab oris
Sacrilegum Stancar Hæresiarcha nefas
Vicit Orechouius generantem monstra Chymeram
Cesserit vt Lechicis bellua dira plagis
Non vicisset æques armis circumdatus Oxi
Bellerophon, calamo quam tua dextra feram.

MICHAELIS GRODZICKI.

Et dolet & quæritur patriam gentemque Polonam
Oxius imbutam moribus esse nouis

Sarmatici mores veteres fundamina Regni
His stetit imperium maxima Roma tuum
Quam bona Orechouio patriæ sit diserte cura
Cui basim propriis vult reparare libris.

NICOLAI ZORAVII.

Si licet amplecti famosum dogma Platonis
Quod mutent animi corpora corporibus.
Spiritum Orechouius certe Demosthenis hausit,
Vel Ciceronis quo lingua diserta fuit.

LIX. IACOBVS PRILVSIVS.

PAri doctrinæ rerumque gestarum gloria Orechouium Iacobus Prilusius subsequitur, cui propter communis vitæ societatem a puero arcte deuinctus fuit. Orator & Poeta insignis; sed & transfuga e castris Ecclesiæ Romanæ, namque eadem, qua & Orechouius impietate Lutherana imbutus, reliquit velut mercenarius oues Ecclesiæ Moscicensis, cui Parochus & pastor datus præfuit; transiitque ad cœnosos illos Wittembergenses porcos, vt in cœna cum illis loco panis viui, Hæreticis siliquis infarciretur, omni farina cassis. Ductaque vxore mulierosus sacerdos Vicegerentis officium in Castro Crac. habitu sæculari gessit, Kmithæ Palatino Crac. magno in Polonia Senatori & litteratorum fautori, ob ingenii præclaras dotes, & Iuris patrii peritiam in primis charus, atque ex eo reliquis in Polonia Dynastis, tum & ipsi Regi Augusto, *in cuius parentis obitum, hoc est, Sigism. I. Orationem longe disertissimam scripsit. Itemque Librum de Legatione, Librum Statutorum Regni, Poemata varia, & librum Epistolarum familiarium,* minime familiaris ipse Catholicis, quod ad euertendam Ecclesiasticam disciplinam natus, imitaretur lenones illos Saxonicos Carolstadios, Buceros, Melanchthones, Pomeranos, aliosue plurimos, eius farinæ perditos ac perfidos homines, quorum exemplo, nomine patrio amisso, Euangelicus pro Christiano vocitari maluit, maior apud posteros futurus, si minor esse voluisset.

Regnante Augusto in Polonia, pauci valde Senatores Catholici fuere.

IO. SCROBCOVICII.

Magnus erat, maiorque esset, sed magna sophiæ
Vis fastu inflauit, perdidit atque virum.

LX. ANDREAS MODREVIVS.

REgius Secretarius, ſeu mauis lutulenti illius ſubulci Lutheri, cuius nefariis dogmatibus imbutus, infeſtabat Eccleſiæ portas, dicendo quæ non oportuit, ſcribendo quæ non licuit, & agendo quæ non decuit. Cæterum ab Orechouio toties repreſſus, & vt dicitur, digito labra compeſcere coactus, in illa ſolemni diſputatione Volborienſi, in præſentia Archiepiſcopi Gneſnenſ. Vchanicii, qui Epiſcopus Vladislauienſis adhuc, frui eum bonis Eccleſiæ ſuæ facile permittebat, quod & vir circa Oeconomiam induſtrius eſſet, & ſuper certas Eccleſiæ illius ſcultetias data ſibi ab anteceſſoribus priuilegia haberet. Cæterum non tulit hoc ſuccedens Vchanicio Zeloſus ille de religione Karnkouius, qui vt primum Epiſcopam illam ingreſſus eſt, ſtatim numerare illi pecuniam iuſſit, impium, inquiens, hoſtem Eccleſiæ pane illo veſci, me præſertim paſtore inſpectante, qui ſolis tantum veris Dei cultoribus eſt comparatus. *Scripſit nihilominus Modreuius egregium De moribus libellum, itemque alium de Legibus, & de Bello ad Auguſtum Regem*, in quo ingentem facundiæ ſuæ vim, & ingenii vires declarauit. Scripſerat *& de Schola atque Eccleſia*. Sed quia erroribus hæc reſperſerat, ideo a piis & probis contempta, periere cum ſonitu, ſicuti & alia ſua ſcripta, his ſupradictis exceptis, in quibus nullam religionis mentionem fecit, vti ſunt & *de emendanda Republ. lib. 3.*

IOANNIS SCROBCOVICII.

Flos inter ſpinas ſapiens Modreuius inter
Hæreſeon tribulos eſt ſine fruge decor.

LXI. ANDREAS TRICESIVS.

MVltarum linguarum peritus, & Poeta præſtantiſſimus. Is in ſubmontana Poloniæ parte claris maioribus ortus, vtriusque linguæ diuitiis Cracouiæ in Academia comparatis, ſumptaque prima in artibus laurea, adoleſcens Louanium ſe contulit, vbi & Hebraicas litteras iunxit. Mox Gallias, Italiam, Hiſpaniam, Angliam, aliisque politiores gentes adiit, & bonam fere ætatis partem, orbem peragrando circumquaque conſumpſit, ex quo multiplex eruditio, Philoſophicarumque rerum haud mediocris intelligentia in illo fuit, vt & *liber Epigrammatum illius atque Epitaphiorum* hoc ipſum teſtatur; ſed præcipue cognitio Hiſtoriarum: quibus in memoriam redigendis, collocandisque ac certa quadam ſede diſtribuendis, ſubtili vſus eſt artificio, vt ad

Anno Domini 1520.

arbitrium eo ordine cuncta narraret, vt ne latum quidem vnguem a certis ratisque temporibus aberraret. Itaque tot annorum dissita inter se interualla, tot sæculorum remotissimam memoriam, ita in animo suo contraxerat, vt Regnorum vicissitudines, Pontificum res gestas, Regum & Imperatorum dominia, tanquam de scripto, non sine omnium admiratione commemoraret. Amicos coluit Io. Cochanouium. Iacobum Prilusium. Io. Macinium. Andream Patricium. Petrum Roysium Hispanum, & qui sua ætate ingenio & scriptis floruere. Bibliothecam optimis cuiusque generis libris instructam, & scripta sua haud perfecte descripta posteris moriens legauit. Immaturum enim fatum (licet satis vixisset) surgenti doctissimi hominis famæ quasi securim iniecit, & felicem eius gloriæ cursum, tum cum primum florere cœpisset, inopinato interrupit.

Scripsit Roysius Octonarius in laudem S. Stanislai & decisionum Lituanicarum Volumen.

IO. IASCROVICII.

Qui multos lauri fuerat dignatus honore
A multis merito concelebrandus erit.

LXII. STANISLAVS SOCOLOVIVS.

S. Floriani Clepardiæ Præpositus & Canonicus Cracouiensis, celeberrimi olim illius Professoris Iacobi Gorscii, felix discipulus; præstanti vir ingenio, & lingua vtraque egregie doctus: quod vtrumque vitæ probitas, & humilitas summa condecorabant ita, vt magno illi Regi Stephano Bathoræo, perpetuo carus existeret, & quem ille vno obtutu perlustratum, suum Ecclesiastem, opimis sacerdotiis & honoribus auctum habere voluit. Is igitur pro officii sibi iniuncti magnitudine, talem se in omnibus præstitit, qualem eum mater Academia, & vniuersus sacer ordo, in oculis sui Principis videre desiderauit, industrium, grauem, sobrium, eruditum, constantem; vt quem natura, suada, sophia; ob ingenii, eloquii, doctrinæ meritum, suum sibi mystam elegerunt. Atque ita, in specula tali constitutus *Censuram Orientalis Ecclesiæ, Latio donatam, nobis optimis illustrauit. Ad Wittembergensium Theologorum inuectiuam, docte & luculenter, lacessitus respondit. De veræ & falsæ Ecclesiæ discrimine, tres libros egregios conscripsit. Itemque Iustum Iosephum fecit. Ecclesiasticas Partitiones. Quæstorem seu de parsimonia & frugalitate, atque ad extremum Notas in Euangelia Matthæi, Marci & Lucæ Tomo vnico comprehendit.* Vna restabat *Oratio de Ratione studii* ad Nicolaum Volscium Regni Marsalcum Mecenatem suum conscripta, ni mors præuenisset imprimendą: sed & hanc iam suo patrono posthumam, vti par erat

Primam lauream Anno 1561. sub eodem illo præceptore suo Decano Antistitiæ facultatis obtinuit. Secundo autem post anno Magisterii titulum.

erat reddidit M. Iacobus Ianidlouius I. V. D. Anno 1619. Decuit enim tanti viri vigilias ab interitu vindicare, quem vniuersi Poloniæ Antiſtites ſummo in honore ac veneratione habuerunt, & quo pauci Theologiæ dogmata purius atque nitidius explicarunt, pauci errores ſectariorum eloquentius atque validius confutarunt.

IO. SCROBCOVICII.

O vere charitum grate cohortibus
Ingens Sarmatici gloria ſanguinis
Doctrinæ exhilarans lumine, viſtulæ
Flumen quos alit inclyti.
At non vt reliquum de ſophico grege
Vulgus, ſed Roſei ceu Hyperionis
Fax, verreus patulos dum ætheris ambitus
Ignis ſpicula diſſerit.
Non te luciſluum triſtia nubilant
Non te flammicomum nubila polluunt
Lux es tota rubens, totaque candicans
Lux es totaque ſtellulans.

LXIII. STANISLAVS GREPSIVS.

NIcolai de Bodzecin auditor, multiplici laude nomen ſuum immortale reddidit, nam & trium linguarum exacta notitia, quæ ad homines illuſtrandos vna fere ſufficere ſemper exiſtimata eſt, non exiguam partem in huius viri laudibus occupat, & vniuerſæ Philoſophiæ perfectiſſima cognitio, luculentum teſtimonium præſtantis ingenii exhibet, & ſingularis prudentia atque eximius rerum vſus, idem quoque dicunt, ſed in primis eum ſummum religionis ac pietatis ſtudium commendat, quod ipſum certe nunquam interire nomen illius patietur, & quod eum amicum Magno illi Socolouio fecerat, qui ipſe pius & omnia prudens, non niſi ſimilem ſibi moribus & doctrina Grepſium amare potuerat. Viri enim ſapientes non niſi ab æqualibus redamari patiuntur. Et hoc iſtud erat, quod Patres Academicos mouerat vt Grepſium, artium liberalium Magiſtrum creatum, in publicam ſtipem, *Anno 1563.* & domum Profeſſorum Maiorem vocarent, vbi ſcriptorum omne genus euoluens, Gulielmi Budæi doctiſſimis libris de Aſſe, ſuum quoque *de Multiplici Siclo & Talento Hebraico* ſupplementum, cum ſumma nominis Polonici gloria addidit. Item *de Menſuris Hebraicis tam aridorum quam liquidorum, & Geometriam Polonice ſcriptam.* Sed vt

nihil

nihil est in rebus humanis perpetuum, non diu vitalis, ætatis sexto & quadragesimo, quasi terris tantum ostensus, ante diem ereptus est, anno salutis per Virginem partæ MDXXII. Conditusque in Æde S. Annæ, ad parietem dextrum, a porta communi, qua templum ingreditur, addita inscriptione.

VIRO NOBILI STANISLAO GREPSIO. IN VNIVERSITATE CRAC. PVBLICO PROFESSORI, LATINE, GRÆCE, AC HEBRAICE PERITISSIMO. VITA ET MORIBVS PHILOSOPHO. STANISLAVS SOCOLOVIVS AMICO ET COLLEGÆ SVO POSVIT. A. D. MDLXXII.

IO. COCHANOVII.

Græcum te, an dicam, Grepsi facunde, Latinum
Ambigo: sermo ita erat notus vterque tibi.
At tu Sarmata eras, sed cuius ob os sua Graii
Ora obuertebant, Ausoniisque sua.

LIV. IOANNES LATOS.

In artibus lauream consecutus in Acad. Crac. An. 1566.

CRacouiæ honestis parentibus natus; Rethor, Philosophus, Mathematicus atque Medicus excellentissimus, non vulgarem famam promeruit, scripto tractatu, *De mutationibus Regnorum*, tum obseruationibus quoque in Ecclipses atque Cometas aliquot. Tantos enim ea in scientia progressus fecerat, vt nemo illum ætate sua vicerit, (in Polonia præsertim) paucissimi æquarint. Quare nimium fisus sibi, ausus erat Calendarium a Greg. XIII. promulgatum, per Clauium aliosue correctum, calamo lacessere, consultius eam in rem aiens se aliquid adferre posse. Cæterum quia vox una fuit, eaque obstinata, ideo nulla: cum & ipse Academia neglecta, concessisset in Russiæ tractum, scissum tunc ab Ecclesia Romana, ob festiuam vt agunt illam promulgationem Calendarii, diuertissetque ad Ducem Ostrogium Constantinum, Palatinum Kiouiensem, potentem tum patronum omnium Schismaticorum. A quo liberaliter exceptus, & benigne habitus, *scripsit proprio iudicio Correctionem Calendarii*, quam nec peritiores postea aliqui improbarunt; licet & oppugnarint etiam nonnulli. Ast ego Ecclesiæ decretis standum putarim, quæ errare non potest.

NICOLAI ZORAVII.

Postquam circuitum stellatus fecerit orbis
Cuncta ad pristinum sunt reditura statum:

Et

Et tu Latossi addisces elementa secundo
Et studiosus eris Doctor & Astrologus.
Atque iterum iussu Romani Præsulis auctor
Hic erit Idus qui non male constituet.
Quæque fuere prius fient hæc cætera cuncta
Si licet antiquis credere dogmatibus.
Tunc memor ad nullos discursos exsere dextram
Et tibi te miserum sit satis esse semel.

IO. SCROBCOVICII.

Cur vni tantum Latos natura fauisti?
Est modus. A nimio lapsus hic ingenio.

LXV. VALENTINVS VIDAVIVS.

COgnomen a natali solo Vidaua, insigni Siradiensis terræ oppido (hæc autem media inter Maiorem atque Minorem, Polonias iacet) mutuatus, excellenti fuit ingenio, vt non a patria decus mutuari, sed ipse præstare videatur. Principiis Grammatices domi imbutus, vbi per ætatem licuit, ad Academiam Crac. perrexit, & in disciplinam sese Stanislai Grebsii tradidit; quo informante ac promouente, cum Simone Sirenio, Martino Viasdouio, Bartholomæo Vargocio, alisque viris clarissimis, primam in artibus lauream vna obtinuit. Tandem in Magistrum promotus, summaque professionis Theologicæ, temporis successu laurea donatus, atque in auctoribus cum sacris tum profanis egregie versatus, supremam diu scientiam Theologiam magno audientium concursu explicauit: *scripsitque librum de Indulgentiis* longe doctissimum & vtilissimum, contra negantes eas posse iure aliquo fieri, & *Orationes nonnullas*, quarum duæ eidem libro annexæ visuntur. Vna, qua, Scholasticam Theologiam: altera, qua Collegam suum Martinum Pilnensem defunctum laudauit. Illum vero, Io. Clobucius, nostra ætate Orator præstantissimus. Conditus in Æde SS. Omnium, ad dextrum maioris altaris latus, tabula marmorea supra fores sacristiæ, cum hac epigraphe, appensa.

Sub Iosepho Vrendouio Artisticæ facultatis Decano.

REVERENDO AC CLARISSIMO DOMINO M. VALENTINO VIDAVIO, PHILOSOPHIÆ ET S. T. D. S. FLORIANI DECANO. HVIVS ECCLESIÆ PRÆPOSITO. AC ALMÆ VNIVERSITATIS CRAC. ALIQVOTIES RECTORI. VIRO SPECTATE VITÆ. PROFESSORI DOCTISSIMO, DE ECCLESIÆ DEI BENE MERITO. VIVVS ENIM HANC ECCLESIAM STRVCTVRA

NOVA ORGANORVM. QVÆ IGNI CONSVMPTA ERANT ORNAVIT. PAVIMENTVM DEPRESSVM EREXIT. SVBSELIIS CONDECOR. PRÆPOSITVRÆ PROVENTVS IMPLICATOS SVA DILIGEN. AVXIT. EXECVTORES HOC MONVMENTVM POSVERVNT. VIVAT DEO. OBIIT. A. D. MDCI. Die 12. Nouemb. ætatis LIX.

IACOBI VITELLII.

Sarmatiæ vt tenebras monstrosaque dogmata circum
Cociti infudit prodigiosa lues.
Tunc Vidauus velut æthereo delapsus olympo
Sol, proprio noctem lumine abegit atram

LXVI. IOANNES MACINIVS.

EQuestris ordinis maioribus, in Palatinatu Siradiensi natus, exoticarum linguarum peritia, vel exterorum hominum testimonio clarus, quibus tum ob ingenii præstantiam innotuerat; maxime Iosepho Scaligero Græcarum litterarum Coriphæo. Erat quoque familiaris Carolo Sigonio, colebatur & a Turnebo atque Vrsino, & omnes qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, amicitia atque honore dignum existimarunt. Sed inter omnes Io. Cochanouius, Sarmaticus Vates, qui pro ea, qua inter se deuincti erant amicitia, tale in *eius Lexicon Latinopolonicum* Epigramma lusit.

Accisis Italum rebus, Romaque subacta
Cum patrium fugeret lingua Latina solum.
Exul Sarmaticis vltro consedit in oris
At sane illam huius non piget hospicii.
Huic datus interpres Macinius vtpote clarus
Æque Romano ac Sarmatico eloquio.

Tum inter alios & Petrus Roysius Hispanus

Hoc vbi vidit opus Macini Roma politum
Dixit, habentne suum Sauromatæ Latium?

Magne etenim ac diuturno labore, attulit nobis vocum singularum interpretationem in opere illo sufficientissimam: atque non hic cessandum ratus, e conuerso iterum *Polonico latinum Dictionarium fecit*, primusque ex Sarmatis Calepinum, aliosque de re litteraria meritos, in vocum obscurarum illustratione, atque vernacula interprætatione imitari cœpit. Clarus fuit & carminibus pangendis, siquidem a cunabulis pœne

pœne in litteris eruditus, deinde inter Philosophos enutritus, exactam Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliarumque linguarum scientiam consecutus est. Ætate vero adultior, ad exquisitiorem ingenii cultum Italiam, Hispaniam, Galliam, Britanniam, aliasque Prouincias emensus est. Post in patriam redux Magno illi Regi Stephano Bathoreo perpetuo adhæsit, & ob prædictas animi dotes, insigni annuo reditu ab illo donatus fuit.

IACOBI VITELLII.

Fama decusque tuum tanto conspectius in te
Nomen habent Macini maxime gente tua.
Cum generi illustrique tuæ stirpi atque vetustæ
Nobiliora addis stemmata ab ingenio.

LXVII. NICOLAVS COPERNICVS.

NOn est quod in celebrando Nicolao Copernico desudem, quem ipse terrarum orbis, insigni illa, de motu terræ assiduo, sua opinione ab illo illustratus prædicat. Is Torunii in Prussia natus, sumptis in alma Vniuersitate Crac. Mathematicarum disciplinarum principiis, diuersas Germanorum Academias inuisit, tum & aliorum, vbi tum hæc studia florebant. Carus in primis ob singularem eruditionem excellentibus in Borussia, viris, summaque dignitate præditis; in his Ioan. Dantisco Episcopo Varmiensi, & Io. Tidelmano Episcopo Culmensi, a quo postea Collegio Canonicorum Varmiensium adscriptus fuit. Vtque ad posteros etiam manaret suæ scientiæ vtilitas, ad scribendum, quæ recte cogitasset, obseruassetque, animum appulit, & adinuenit nouam, veteribusque incognitam Astrorum supputationem, circiter annum 1540. Cuius, cum plurimos alios sectatores inuenit, tum e discipulis acutum illum suum Tychonem. Reuera enim vt Hercules Athlante laborante cœlum sustinuit, ita ille Ioanne Regiomontano populari suo deficiente, motuum cœli doctrinam discipulis suis restaurauit, atque omnes sua industria Mathematicos plurimum iuuit. Tu plura de illo, vide apud Nicolaum Mulierium in Prætione super *Reuolutiones ipsius*. Reliqua manuscripta ipsius asseruantur in Bibliotheca Episcoporum Varmiensium, quæ nuper reuidit clarissimus vir. D. Ioannes Broscius Ordinarius in Acad. Crac. Matheseos Professor cuius nunc prodiit *Arithmetica Integrorum*, aliaque in dies expectamus, vti promiserat sub finem libelli illius.

Condiscipulus vero suus Iacobus Cobilinius scripsit. Astrolabii declarationem.

Io. Regiomontanus Borussus insignis Mathematicus.

NICOLAI ZORAVII.

Iupiter vt vidit quod mente Copernicus orbem
Contra naturæ iura creasset homo.
Vt vidit cœlum firma statione teneri
Currente & terra sydera stare bene.
Anxius atque memor quid possent bella Gygantum
Aut aliquem in terris fors superesse Deum
E cunctis quærit Diuorum matribus, an sit?
Quæ tantum dicat se genuisse virum.
Non sumus illius Diuæ dixere Tonanti
Sed Iagellonis docta palæstra parens.

IO. SCROBCOVICII.

Cur metam Lachesi non ponis dia Mathesis,
Omnia ad exactos quæ reuocas numeros?
Canditor ecce tuus moritur. Qui tempora mensus
Debuit heu ipsis cedere temporibus.

LXVIII. IACOBVS UVIECIVS.

Trium linguarum peritissimus Græcæ, Latinæ & Hebraicæ. Imprimis enim scripsit De confessione Sacramentariorum Sendomiriensi. Item de Purgatorio. Item Dialysim assertionum Iacobi Niemoieuicii. Item de Ecclesia contra eundem. Hora-

THeologus Societatis Iesv, & Concionator celeberrimus, nec non Hæreticæ prauitatis impugnator acerrimus. Ipse enim primus e Societate, quasi alam ac turmam militum, in gliscentes tum per Poloniam Nouatorum factiones, duxisse videtur. Nascente enim in Maiori Polonia Rebaptizatorum ac Sacramentariorum peste, impios eorum conatus, qua concionando assidue, qua stilum versando fregit, vt *Tomo illi duo suarum Concionum* in anni totius festiuitates atque Dominicas conscripti testantur, & Apologia. *Itemque Biblia, notis illustrata, & in patrium sermonem translata.* Natus ipse in oppido Maioris Poloniæ Vagrouecensi, puer Crac. in Academia Philosophicis studiis operam posuit; gustatisque ibidem Theologiæ rudimentis, in Germaniam, & inde in Italiam ad excolendum magis ingenium profectus, quia ad supremum pietatis apicem, totis semper præcordiis anhelauit, religiosum vitæ genus inter PP. Societatis Iesv amplexus est. Atque ita sacerdos in patriam reuersus, insultantibus tum nouæ vineæ Patrum, non Hæreticis solummodo ipsos (quos ille solus pæne Dominico cooperante in Maiori Polonia perfregit) verum mollibus Catholicis quoque, qui tum se summos Politicos iactant, cum fraudium Machiauellisticarum cuniculis Ecclesiam Dei oppugnant, & depressam Hæresim

ſim fauoribus ſuis attollere caput, virusque ipſum reaſſumere vires, facillime ſinunt; magno fuit non adiumento ſolum, ſed etiam ornamento. Fuit eadem ætate & alter Vuiecius Ioannes de nomine, qui *ſcripſit de morbo Iræ & Curatione eius*. Obiit diem ſuum bonus atque eruditus Pater Cracouiæ Anno M D XC VII.

MICHAEL GRODZICKI.

Quod ſeptena decas Regi perfecerat olim
Biblia quas dederat vertere ſacra virum,
Sarmatica vertit Vuiecus Biblia lingua
Quod tantum Egypto fecerat agmen, agit.

rias preces B. M. V. Vitam & doctrinam Christi. Latine vero ſcripſit Defenſionem ſacrificii M ſſæ, aduerſus Franciſcum Stancarum. Item Libellum pro diuinitate Chriſti Domini & S. ſ. Primam in philoſophia lauream in Decanatu Alberti Leopolienſis Anno 1559. ſumpſit. Anno ſalutis 1564. Habuit & in Societate conterraneum Iacobum Vagrouecenſem qui poſtillas in Euangelia ſcripſit.

LXIX. MARTINVS SMIGLECIVS.

ALter in ſtadium Athleta, Theologus & Concionator PP. Societatis IESV, Martinus Smiglecius prodeat. Is puer iis litteris quæ vere vt ſunt, ita & appellantur humanitatis Cracouiæ in Academia imbutus, lauream vtramque in Philoſophia adeptus eſt; & in vtraque orationis facultate Græca nimirum & Latina, cum laude aliquandiu verſatus, in Societatem a patribus receptus eſt: inter quos exactis ſummo zelo annis aliquot, pugnauit, & valde cum Anabaptiſtis Vilnenſibus, quos & ſcriptis Latine ac Polonice paſſim editis repræhendit, multosque ſuperis fauentibus, ab Arrianiſmo & æterno præcipitio ad gremium Eccleſiæ reuocauit, docto illo *Tractatu De verbo Incarnato conſcripto*, tum & alio *De baptiſmo prædeſtinatorum. De diuinitate Chriſti. De vſura. De vocatione Miniſtrorum ſeu Nodum Gordium.* Atque propter ſtudentium vtilitatem *Logicas Quæſtiones* ac minutiora alia vernacule facta, quibus aut religionem Catholicam propagaret, quam ſemper ab oſoribus zeloziſſime tutatus eſt: aut ciuium mores corruptos, præcipue iuuenum, inſtauraret. Quibus, & ſuam vitæ innocentiam ſimul teſtatus eſt, & omnes ſuæ Societatis Patres, in vinea Domini inceſſanter laborare, neminem vero otioſum viuere, ſuis Polonis declarauit; verum hunc in illa; iſtum, in alia profeſſione verſari: omnes autem vnum ſcopum & finem intendere CVRAM SALVTIS. Talis fuit & Martinus Laterna Drohobicenſis, qui Decachordon Spirituale & Orationes plures ſcripſit. Talis Georgius Tyskieuicius, qui contra Torunenſes

Anno ſalutis 1581. Scripſit contra Fauſtum Soncinium Anabaptiſtam. Itemque noua Monſtra Arrianiſmi.

Hæreticos & de perfectione hominis iustum opus confecit. Tales & cæteri, quos hic omitto.

IO. SCROBCOVICII.

Quid pampinosam dicere Pythie
Vitem, quid audes dicere gemmeæ
Vlmo maritatos racemos
Ceruleæ Thetios genitrix?
Quid transituras diuitias refers
Persai Amynthæ? quid canis aurea
Radice vitem pampinis &
Aureolis rutilam flagellis.
En veræ vitis Smiglecius, pios
Doctosque mundo parturiens botros
Suis queant qui sitibundæ
Deliciis hilarare cordæ.

LXX. PETRVS LILIA.

PLurimos sane cuiusuis facultatis eruditos homines Polonia Maior nostris temporibus protulit. Inter Theologos quidem Petrus Lilia Præpositus Sredensis & Canonicus Posnaniens. multis nominibus eminet. Is Posnaniæ, quæ Prouinciæ illius vmbilicum fere obtinet, oriundus, in Cracouiensi Academia, Philosophicas disciplinas imbibit, earumque lauream assecutus, nobiles adolescentes, tum publice tum priuatim instituit. Postea in Italiam disciplinarum parentem profectus, in ipso theatro Orbis, Romana Academia, Doctoris Theologi titulum adeptus, insigne specimen ingenii sui declarauit, pluries, cum in diuersis Academiis, tum in Cracouiensi, pro obtinendo loco inter Doctores disputando. Quæ inter alias leges sibi publice vtiles, quibus & seipsam tueretur, & regno esset quam maxime commoda, illud etiam sanxit, vt qui alia in Academia, testimonia eruditionis esset consecutus, eorum domi vsum, a publica disputatione ordiretur, primumque Vniuersitati promotionem & eruditionem suam probaret. Quod & fecit ille, stiloque candidiore *De SS. Trinitate, Orationem contra Arrianos scripsit. Item Salomonem Regem, ad Serenis. Sigism. III. Commentariosque super Sententias Nazianzeni, quas Græcarum litterarum non ignarus, Latina ciuitate donauit. Scripsit & Actiones pro domo sua, & ad Tarnauium Archiepiscopum Orationes.* Et cum in faciendis ad populum Concionibus

Lex Academiæ Cracouiens.

nibus esset felicissimus, multis principibus viris exstitit gratus, quamuis non diu amatus, breui enim febris oppressum domo sua extulit, virtus cœlo intulit, vere Liliam fragrantem, conditus vero in Basilica Posnaniens. tali epigraphe addita,

D. O. M.

REVERENDO DOMINO PETRO LILIA. S. THEOL. DOCT. OLIM SERENIS. REGIS STEPHANI CONCIONATORI. CANONICO POSNANIENS. PRÆPOSITO SREDENSI. QVI ANNO SALVTIS PARTÆ MDCVI. MENSIS FEB. DIE XXII. ÆTATIS SVÆ ANNO LX. VLTIMVM CLAVSIT DIEM.

Exequutores testamenti fieri curauerunt.

ORETVR PRO EO.

IO. IASCROVICII.

Quam bene conueniant propriis sua nomina rebus,
Testatur nomen Lilia Petre tuum.
Lilia percelebris vitæ famæque perennis
Lilia candoris symbola certa probi
Præclare vitæ & doctrinæ laude perenni
Flores Petre, tibi Lilia conueniant.

IO. SCROBCOVICII.

O Petre verum lilium
Toto coruscans corpore
Niuesque mentis candidæ
Fundens simulque doctæ
Et non tibi certissimam
Virtutis amplæ gloriam
Honoris & fastigia
Æterna vendicabis?

LXXI. ADAMVS BVRSIVS.

Patria Bresinensis, oppido Masouiæ conficiendis pannis celeberrimo, disciplinis ac moribus optimis iam inde a teneris Leopoli imbutus, primaque Philosophiæ laurea in Academia Crac. insignitus, *Anno Dom.* decimo tertio deinceps anno gradum Magisterii in artibus obtinuit: *1580.* primoque Hierosolymitani Contubernii Præfectus fuit, postea Minoris domus in Academ. Collega. Amicitia eruditorum hominum, in his Simonis

Simonis Simonidæ, Valentini Vidauii, Andreæ Schonæi, & aliorum æqualium floruit. Neque etiam minori apud Principes & Megiſtanes gratia fuit, præcipue apud Io. Samoſcium Magnum Reip. Cancellarium in amoribus, a quo magnis propoſitis præmiis, in profeſſionem nouiter inſtitutæ a ſe Academiæ inuitatus, vixit vxorius Philoſophica aſſidue tractans, nec ab interioribus abhorrens litteris, vt qui mire facundus & eloquens a natura, ſubtilis inſuper, & in omnibus dictis, ſcriptis atque factis magnopere grauis, quorum alterum Orationes ad Samoſcium a ſe conſcriptæ & publice recitatæ probant: alterum Logica Cic. Stoica libris 4. compræhenſa, multum illi litterarum & ſapientiæ Antiſtiti Iuſto Lipſio probata.

NICOLAI ZORAVII.

Quisquis felici vis currere puppe per æquor
Aſpice quo ſplendens ſit Cynoſura loco.
Ad ſummos quisquis doctrinæ tendis honores
Burſius alma tibi ſtella polaris erit.
Ambo quidem, ad ſeptem ſunt ſydera poſt a Trionem
Sed rutilant aliis qualia rara locis.

LXXII. IOANNES VRSINVS.

EIusdem Zamoſcianæ Academiæ Profeſſor & Procancellarius. Canonicusque Eccleſiæ ibidem Collegiatæ S Thomæ, vna cum Academia, a Magno Reip. Cancellario Io. Samoſcio excitatæ. *Ann. 1587. Magiſterii.* Lauream in artibus primam, decurſo ſtudiorum ſtadio in Acad. Crac. promeruit, quinimo & ſecundam ibidem obtinuit, priusquam ad regimen Gymnaſii Leopolienſis (vbi illi & patria) fuiſſet euocatus. Cui cum annos aliquot præfuiſſet. *Conſcripſit ſcholaribus ſuis Grammatices & Dialectices præcepta* : tam facili methodo, tamque felici genio, vt altiori litteratura præditis, non pueris modo ea placeant. Inde Patauium profectus, in medendi ſeſe arte quinquennio exercuit, & publice Doctor ſalutatus, ob eximiam Phyſices reique Medicæ peritiam, magnam auctoritatis & gratiæ locum, apud Ducem Zamoſcium obtinuit, a quo ſtipendiis non contemnendis inuitatus, multos annos publicum profitendi munus cum laude ſuſtinuit, *Græcæ linguæ & Aſtronomiæ peritiſſimus fuit.* *ſcripſitque de Oſſibus humani corporis Tractatus tres.* Tandemque ſacris Ordinibus initiatus, ſeuerus in primis Eccleſiaſticæ ſeruator diſciplinæ, obdormiuit in Domino quinquagenario maior, ſibi ipſi quidem ſatis fortaſſe longæuus, auditoribus vero ſuis, intempeſtiue nimium

mium ereptus, quos nimirum vigente adhuc ætate, vir iuuandis aliorum ſtudiis natus, erudire potuiſſet. Cui Fatis concidenti tale Elogium Simon Birkowski Philoſophiæ & Medicin. Doctor ſcripſit Anno 1613.

IOANNES VRSINVS CANON. ET PROFESS. ZAMOSC. DOCT. MED. VIR SVMMÆ ERVDITIONIS ET VITÆ INTEGERRIMÆ. IN OMNI LITERATVRA ACCVRATISSIMVS. IVVENTVTIS INSTITVTOR FIDELISSIMVS ET DILIGENTISSIMVS. MORIBVS COMMISSIMIS. PIETATIS OBSERVANTISSIMIS. ERGA PAVPERES, SCHOLASTICOS, SACERDOTES LIBERALISSIMVS. OMNIBVS CARVS, NEMINI MOLESTVS.

IOANNIS SCROBCOVICII.

Dum viuet vaſto ſolers Paracelſus in orbe,
Viuet & Vrſinus: Celſus hic alter erat.

LXXIII. PETRVS POSNANIENSIS.

ORdinis D. Franciſci FF. Min. de Obſeruant. quos vulgo Bernardinos dicimus, profeſſus, qui ordo in Polonia noſtra, cum pietate ac deuotione, tum virorum doctorum copia, monaſteriorumque frequentia, potiſſimum inter alios floret. Tulitque hac noſtra ætate plurimos, & Concionatores diſertiſſimos, & Theologos profundiſſimos, & omni denique eruditionis genere præſtantiſſimos viros, Rochmanios illos, Goczanouios, Lencicios, Bonauenturas, Gnatouios, Voinas: & in his Chriſtophorum Campium, atque hunc de quo nobis ſermo Petrum Poſnanienſem. Magnum vtrumque & doctum, & in diſputationibus argutum, & in ſcriptione grauem atque iudicioſum. Quorum poſterior iſte. *In quatuor Sententiarum Scoti ſubtiliſſimas quæſtiones: & in ſingulas anni feſtiuitates atque Dominicas, trinos ſermones conſcripſit*, periteque admodum verba ſingula rebus aptando ſublegit, imitatus popularem illum ſuum Valentinum Poſnanienſem, qui Magiſter in Acad. Gracou. *ſcripſit Propugnaculum Eccleſiæ aduerſus varias ſectas huius tempeſtatis.*

Bernardinorum Ordo in Polonia florentiſſimus.

Fuit & alter Petrus Poſnanienſ. Canon. Crac. Medicus Regius qui ſcripſit de Fabricatione hominis.

IO. SCROBCOVICII.

Poſna mihi patria eſt Craciæ patria altera Athenæ
Monſtrauit veram religio patriam
Non potiore loco potui (mihi credite) naſci
Non potiore coli, non potiore mori.

LXXIV. STANISLAUS GRODECIUS.

CElebris illius in Acad. Crac. Professoris Iacobi Gorscii discipulus & alumnus, vbi non contemnendos in studiis progressus fecisset, vt & Orator & Poeta, & Philosophus insignis audiret, primam
An. 1561. in artibus lauream, vna cum Georgio Leopoliensi merito adeptus est, vnaque cum illo, spretis omnibus mundanis, Societatem IESV ingressus, multa in ea, idque pro ea, indefesso studio egit, euaseratque in summum Theologum, & verbi diuini præconem, vt vel ex *Concionibus ipsius, quas vernacule ad populum dictabat, & postea Latine, non inuita minerua vulgauit*, cuique legenti liquido constat. Fecit & alia plurima laude & approbatione digna (nam & carmen interdum pangebat) sed præcipue elucent, quæ in disputationibus publicis aduersus sacramentariam pestem gesserat, sciolorumque fastum firmissimis rationibus prolatis retuderat. Cui socii laboris additi fuere R. P. Radziminius, diuinarum humanarumque rerum peritissimus. Reuer. Pater Visocius multis lucubrationibus polonicis, ac præcipue inuersione speculi exemplorum Maioris, atque venerandus ille Pater Lascius, qui Leuartouiensium Arrianorum confutationem scripserat, respondente illis ad argumenta, eodem illo doctissimo Patre Radziminio.

IO. IASCROVICII.

Crimina Sarmaticis non iam dominantur in oris
Nam Regnum Lechi Fasque Themisque fouet
Hic tonat eloquio commissa piacula pellens
Nec mala sunt culpæ, nec mala supplicii.

LXXV. BERNARDUS PAXILLUS.

INstituti D. Dominici professus, & S. T. Baccalaureus, vir pietate ac deuotione insignis, scientia sacrarum litterarum, zeloque religionis illustris, & qualem Euangelii prædicatorem fieri oportet, aut qualem suorum prædecessorum imitatorem esse decet; quos & olim inclyta Familia hæc infinitos pæne in Polonia nostra habuit, Hyacinctos illos, Malachouios, Bartholomæos, Seuerinos, non modo doctos & religiosos, verum etiam in diuorum numerum alios relatos. Et præsens ætas plurimos alit, Pegasios, Suscios, Camillos, Chrysostomos, Samueles, Valerianos, Piecarscios, cæterosque innumeros pietate & doctrina illustres, tum & dicendi præstantia conspicuos. In his &

Ber-

Bernardus Paxillus, cum plurima alia pro Religionis Catholicæ incremento gessisset, tum contra Anabaptistas & Zvinglianos, aliosue impios quosuis. *Tres Monomachiæ Tomos de SS. Trinitate conscripsit, quos & patrio sermone succincte collectos euulgauit. Scripsit præterea & contra Schismaticos Roxolanos librum, & alium Alienationem Arrianorum a Christianismo, inscriptum: tum militiæ Christianæ modum, carmine tam Polonico quam Latino.* *Scripsit & de Primatu Papæ, & de Processione Spiritus S. a Filio.*

IO. SCROBCOVICII.

Bernardi si scire cupis Monomachia quid sit,
Vna omnes turmas vinceret Hæreseon.

LXXVI. STANISLAVS GROCHOVIVS.

CVstos Crusuicensis. Polonici carminis scriptione longe celeberrimus, & certe post Cochanouium primus, licet habeant & alii, in quo singuli excellant, vt Lubomierscius, Craieuius, Morstinius, Pascouius, Othuinouius, aliique plurimi, quibus sua Gratia inest & lepos. Cæterum & Grochouius quæquæ modo scripsit, præ aliis commendata habuit. Scripsit autem plurima, & in diuersa materia: quædam etiam carmine Latino. Prosa vero, ex veteri quopiam authore Italo, noua forma aut methodo *Lauacrum animæ, & Bellum Theologicum,* olim ab Andrea Bochnense Canonico & Concionatore Leopol. conscriptum, tum *Hominis Christiaui semitam,* patrio sermone. Carmine vero Polonico. *Augustum resuscitatum; Hymnos Ecclesiæ annuos. Cantica solemnia. Epitalamia diuersa, Epigrammata item & Nænias in obitum. Samoscii, Dobrociescii, Macieiouii, Holobuci Cosacki, aliorumque in patria Magnorum virorum.* Tandem & ipsi vita functo, nescio quis poetarum, tale Epitaphium scripsit, quod in atrio templi Carmelitani B. M. V. extra muros Crac. in arenis, visitur, haud procul miraculosa imagine Diuæ. *Polonici Poetæ.*

GROCHOWSKI POD TYM LEZY NAGROBNYM KAMIENIEM,
I KAPLAN, I POETA, STANISLAW IMIENIEM.
IAKO TEN GROB POKRYWA PROZNE DVCHA KOSCI,
TAK MILOSIERDZIEM POKRYI BOZE IEGO ZLOSCI.

RYM PODCZAS MIAL DOTKLIWY SAM TESKNIL WCHVDOBIE,
DZIS NIC NIEPOTRZEBVIE ZAMKNIONY WTYM GROBIE.
LECZ KTO WIECEY NAVKI, TEN MNIEY SCZESCIA TYKA.
NAVKA WSOBIE WSZYSTO DOSTATEK ZAMYKA.

NICOLAI ZORAVII.

Si Romana micat diuino lingua Marone
Mæonio ſplendet ſique Pelasga viro.
Carmina dum fudit patrio Grochouius ore.
Non minus illuſtrem fecit & ille ſuam.

IO. IASCROVICII.

Sedibus Auſonidum migrauit docta Mineruæ.
Sarmatico ſedem fixit & orbe ſuam.
Veridici vates ſurgunt ſub nomine Phœbi
Millibus e cunctis iſte futura canit.

LXXVII. IOANNES CLOBVCIVS.

IN Academia Crac. Philoſophiæ Profeſſor, & Maioris domus Collega, ingenio, iudicio, & dicendi ſcientia ſcribendique clariſſimus, vt vel ex ipſis Orationibus illius ad Petrum Tylicium, & Io. Zamoſcium Magnos in Republ. Senatores conſcriptis; tum in obitum Valentini Vidauii; ac libello De exercitio ſtili relicto (qui nondum impreſſus) apparet. Idem amicorum copia, diſcipulorum frequentia, conſpicuus, & Hiſtoriarum peritia, moraliumque ſententiarum, ſupra quam dici poteſt, celeberrimus. Obiit morte immatura Anno 1609. 2. Decemb. & in Ædibus D. Annæ conditus, magnum ſui deſiderium apud poſteros, diſcipulorumque in Academia copiam, reliquit. Quorum in numero eſt Io. Rybcouicius Cracouienſis, vir de humanitatis ſtudiis optime meritus, & Theologiæ Profeſſor celeberrimus, cuius extat in luce *Euchariſticon in Euchariſtia. Epinicion, ſeu Palmaris Oratio. Meditationes ſalutationis Angelicæ. Manna cœleſte. Columba Noe. Pſalterium Decachordum. Præſepe Domini. Academia Chriſti, tum varia in materia, variis temporibus ſcriptæ Orationes, præcipue autem illæ quatuor, de viro Sapienti.*

IO. SCROBCOVICII.

Cum primum magnis cœpit clarescere factis
Præpropera rupit stamina Clatho manu.
O si longæuos tribuisset Iupiter annos,
Quantis auxisset hancce Scholam meritis.
Non tot erunt flores quot erat virtutibus inter
Omnes, spectati vita probata viri.

LXXVIII. IOSEPHVS STHRVTIVS.

EXcellenti Medicus ingenio. Cypriani Louicensis, qui *practicam medicam scripsit* discipulus; in tantum ea in scientia breui profecerat, vt nemo illum ætate sua vicerit, paucissimi æquarint: non enim Theoria solum valuit, quod magnum censetur ad cognoscendos diuinos naturæ characterismos; sed in praxi quoque felix, arte sua vitam multis produxit, editoque *Sphigmicorum libro*, cum Pataui Medicinam docuisset, ita ibi ab illis clarissimis Professoribus laudatus est, vt eius libri vno die, octingenta exempla distracta sint. Tandemque reuersus in Poloniam, *Phlebotomiam & libellum de Sale conscripsit.* Vsus familiaritate Alberti Oczkonis, qui *libros De affectionibus corporis humani* egregios reliquit. Conditus Posnaniæ in templo Maiori tale habens Epitaphium.

IOSEPHVS STRVTHIVS, POSNAN. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR. LIBRORVM GRÆCORVM LATINVS INTERPRES PVBLICVS OLIM STIPENDIO SENATVS VENETI ARTIS MEDICÆ PATAVII PROFESSOR. ARTIS SPHYGMICÆ PER TOT SÆCVLA ABOLITÆ, NOVVS RESTAVRATOR, POSTEA SERENISS. PRINCIPIS SIGISM. AVGVSTI REGIS POLONIÆ MEDICVS. OBIIT A.D. 1568. ÆTATIS SVAE 58.

NICOLAI ZORAVII.

Pingere cum vellet præstanti corpore Zeuxes
Tyndarida est vsus taliter arte sua.
Delegit quasdam forma præstante puellas
Quodque fuit pulchri transtulit in tabulam
Vult Medici effigiem si quis depingere veram
Non opus ex multis hanc legat ille viris
Nam virtutis adest exemplar Sthrutius omnis
Illi pro multis hic satis vnus erit.

LXXIX. GASPARUS CICHOCIUS.

CAnonicus & Parochus Sendomiriensis, patria autem Tarnouiensis, quæ ciuitas est in Submontana Poloniæ regione, veluti nidus quidam eruditorum virorum, & bellica virtute illustrium illorum Comitum domus, e quorum prosapia fuerat Magnus ille Ioannes Castellanus Cracouiensis, & exercituum Regni Generalis, peregrinationibus longinquis, diuersarum linguarum peritia, rerum militarium prudentia, & de hostibus patriæ victoriis pæne infinitis obtentis, clarissimus. Hic igitur Gasparus natus, Cracouiæ adolescens in studiis annos multos versatus, Andream Troperum, excellentem tum Philosophum præ-
An. 1567. ceptorem habuit; & laurea Baccalaureatus obtenta, magnum auctoritatis & gratiæ locum apud Georgium Radiuillum Cardinalem obtinuit, a quo (promouente Nicolao Dobrociescio Canon. & Profess. Cracouiens.) Canonica dignitate & Parochi munere ornatus fuit. Et ne acceptum talentum videretur abscondere, cum multa alia pro dignitate Catholicæ Religionis fecit, tum *egregium illum libellum Anatomia nuncupatum scripsit quo Torunensium calumnias in Patres Soc. Iesu refellit; aliumque Alloquia Osieciana dictum, quo Hæreticorum errores ostendit ac refutat simul*, quamuis successu parum felici, quod minus honorificam in eis Regis Angli mentionem fecisset: tulissetque sane multa acerba & grauia, ni mors senem opportune liberasset. Conditus in Æde D. Petro sacra Sendomiriæ, quæ curationis eius fuerat.

IO. SCROBCOVICII.

Non sic vincla manus contracti fœderis vnquam
Vinculo amicitiæ Thesea corda ligant.
Non amplexatur cedostris firmius vlmum
Doctrinæ vt virtus pectore nexa tuo.

LXXX. IOACHIMUS BIELSCIUS.

MArtini Bielscii rerum Polonicarum haud inepti scriptoris F. non in Historia modo, vt pater, verum in Oratoria quoque ac Poetica arte, omnique politiori litteratura egregie versatus. Quo nomine a Io. Cochanouio, Andrea Tricesio, Thoma Dresnero, Sebastiano Acerno, Reyo, atque aliis æuo illo celeberrimis doctrina viris multum amatus fuit & laudatus. Et vt in itinere conficiendo, cum duces nacti sumus, securiore animo viam ingredimur: sic ad omnem excellentem

lentem laudis & gloriæ cupiditatem, nulla re magis, quam aliorum æmulatione incitamur. Ita & Ioachimus florentiſſimorum tum in Polonia ſcriptorum laudibus ad lucubrandum incitatus, non aliud ſcriptionis genus eligere ſibi voluit, quam quod paterno quodammodo & hæreditario iure ad ſe pertinere putauit, Hiſtoriam videlicet gentis ſuæ, quæ a parente ſcripta, ob hæreſeos ſuſpicionem a Catholicis lectoribus penitus neglecta fuit. Quia igitur ad humanam laudem multum pertinere ſapientes exiſtimarunt, in prole patrum decus reſplendere, ideo patris ille nomen propagare volens, e ſuo penu *Annales Polonicos, & quidem Polonica lingua conſcripſit*, vbi & patrem calumnia liberat, ſincerum affirmans Catholicum eum fuiſſe, & in mortis agone, ritu Catholico ſacris procuratum. *Scripſit & carmen in inaugurationem Regis Sigism. III. tum Panegyrim quoque in Nuptias eiusdem.*

Scripſit & Epigrammata Latina.

ADAMI IANISOVII.

Sunt qui vernacula, referunt ab origine, gentes
Lingua natiuas, patria iura, leges
Victorias numerant, maiorum ſtemmata pingunt,
Non pauci laudes hinc meruere ſuas.
Inclyta lechiadum Bielſci dum geſta recenſes
Patria debetur gloria prima tibi.

LXXXI. NICOLAVS MOSCICENSIS.

ORdinis Prædicatorum Doctor Theologus, multæ eruditionis & experientiæ vir, vt qui non poſtreme iuuarit rem litterariam, ea methodo vniuerſam Philoſophiam in compendium redigendo, qua paſſim imprimuntur *Logicarum Inſtitutionum illius libri.* Itidem ſummam Angelici Doctoris, tædioſiſſimo labore ad formam ſyllogiſticam redigendo. *Scripſit & Elementorum Confeſſionis libellum: & Tabulas Sacramentorum, Irregularitatum Cenſurarum, Affinitatis, aliarumque rerum neceſſariarum doctrinam continentes. Similiter. Ordinandorum examinandi modum ſeu methodum.* Denique quas nobis Caſuum conſcientiæ lectiones in Conuentu SS. Trinit. Crac. magna auditorum frequentia publice prælegebat, breui prælo excuſſas expectamus.

Conterraneus vero ſuus Matthias Moſcicenſis in Acad. Crac. philoſophiæ Profeſſor meusque præceptor poeta haud contemnendus multa carminum opuſcula reliquit, mortuus peſte Anno 1623.

NICOLAI ZORAVII.

Quam ſis doctrina præſtans memorare tacebo,
O Moſcicenſis cætera ſcripta tua.
Sufficiet Logicæ mihi docti nam arte tyrones,
Signum doctoris poſſe docere breui.

LXXXII.

LXXXII. ALEXANDER GVAGNINVS.

COmes Palatii Lateranens. Eques auratus, militumque Præfectus. Patria quidem illi Verona fuit, sed pro indigena Sigismundo Augusto apud nos regnante, receptus, cum in Poloniam veniens, strenuum se in re militari probasset. Inscriptus igitur Ciuium numero, totam ætatem celibem exegit (quæ fuit septuaginta sex annorum) cuius maiorem partem in bellis Liuonicis, Moldauicis, ac Moschouiticis consumpsit, præfuitque arci Vitebcensi, quæ proprium districtum habet, annis quatuordecim. Tandem a Martialibus ludis ad amœniores Musas conuersus, quo se vere ciuem Polonum declararet, *conscripsit*
Anno 1578. *Chronicon Polonicum puro & nitido sermone Latino*, quod postea & Poloni-
Anno 1611. ca lingua per Martinum Pascouium inuerti curauit, additis pro meliore nostrarum rerum cognitione, circumiacentium populorum, maxime septentrionalium barbarorum, geographicis descriptionibus. Obiit Cracouiæ senio laboribusque confectus, partæ per virginem salutis Anno 1614. Ad eius effigiem Augustinus Columna hos versiculos luat.

Candide si cernis Lector, cuius sit imago,
Sit quis ille tamen, parte probante proba.
Miles, Dux, Comes; gessit, coluit, celebrauit,
Arma, Aulam, Musas: Marte, decore, stilo.

LXXXIII. STANISLAVS KRZYSTANOVICIVS.

VRbis Leopoliensis Syndicus, quæ illi quodammodo & patria fuit. In pago namque ditionis suæ natum, puerum pæne aluit vrbs ipsa Leopolis, adolescentem vero bonis litteris imbuit Academ. Cracou. eundemque mox apud exteros exercitatum, Græca Latinaque facundia excellentem, admirata est Polonia. Siquidem non inter suos ciues modo, clarus fuit ab ingenio, sed in aula etiam ipsa Regis Sigismund. III. multum multis gratiosus, idque vel solo nomine illo, quod Magni Lipsii auditor, & morum imitator fuerit. Adeptus itaque nomen iurisconsulti in præcipuis quibusuis Europæ Academiis specimen ingenii sui sæpius disputando publice declarauit, *scriptisque zelo pietatis contra Angliæ Hæreses*, reuersus ab illis Parisios, tam docte, tam prudenter, vt politioris etiam litteraturæ viris, Sorbonensibusque ipsis multum sua scriptio probaretur. In patriam redux, vixit vxorius ad annum 1617. & quadragesimum vix egressus, solutis corporis vinculis, quasi terris tantum ostensus, in beatorum sedes, exsors liberorum, liber ante diem euolauit.

IO. SCROBCOVICII.

Magnis miraris Stanslaum dotibus auctum?
Magnus eum Doctor Lipsius erudiit.

LXXXIV. PAVLVS PALCZOVIVS.

IN Osuecimensi Ducatu, equestris Ordinis maioribus natus, litteris adolescens optime instructus. Idæam optimæ Reipubl. ætate maturior, ciuibus suis imitandam, *Statum Venetorum cura solerti & iudicio scripsit.* Itemque *Tractatum de ratione instituendi hominis nobilis, & modo, perfectionem eam, quæ in eum cadere possit, consequendi.* Ipse ab auunculo missus, sedecim annos continuos peregrinatus, terras alienas visit, ac inprimis Europæas Regiones peragrauit. *Reliquit & topographiam earum ciuitatum ac Regionum, in quibus tot annos commoratus.* Erat enim in eo præter exactam linguarum exoticarum peritiam, ingenium admirabile, & prudentia singularis, cum humanitate coniuncta. Adhæc iusta proceri corporis statura, quæ dotes hasce eximias longe splendidiores reddebat. Ex quo multum charus cum omnibus doctis, tum Matthiæ Smogulecio Præfecto Bidgostensi viro similibus virtutibus claro, & qui inter cætera ingenii & stili sui monumenta, reliquit *libellum de Exorbitantiis Iurium Regni Poloniæ.*

MICHAELIS GRODZICKI.

Nobilitas genus exornat, virtus sed vtrumque
Gloria virtuti vadit vbique comes
Exornat te illustre genus virtus quoque Paule
Est quoque virtutem fama secuta tuam.

LXXXV. SEBASTIANVS PETRICIVS.

ITa semper nostros non infelices esse, doctissimis quoque externis hominibus visos, manifestum est, vt quanquam eam doctrinæ & ingenii possessionem sibi præ nobis propriam esse vellent, ingeniis tamen nostrorum ita locum reliquerint, vt & viuos in societate sua tulerint, & defunctos, ex litterisque tantum notos, laudationibus sint prosecuti. Omitto igitur hic peritissimum in Medicis Stanislaum Porembny Sendomiriensem. Omitto illum laudatissimum Andream Grutinium. Andreæ Tencinii Palat. Crac. Medicum, qui Minoris

Grutinius erat discipulus Bernardini Paterni pri-

marii Medicinæ Theoricæ Academiæ Patauinæ Professoris, atque Alexandri Massariæ practicæ Medicinæ Professoris.

Anno 1574 Magisterii vero gradum 1583.

Eum secutus Sixtus Leopoliensis edidit lib. 4. de Thermis Sclensinus & Sebast. Slescouius, qui Pede Montanum in Polonicum vertit.

domus in Vniuersitate Crac. Collega, scripsit doctissimum illud in Febribus pestilentibus & malignis consilium. Omitto & Martinum Nicolaum apud Hispaniæ Regem in illustri loco & fama Medicum; & nostra ætate aut patrum, Zachariam Barthy, qui de Epidemia scripserat; Simonem de Louicz, cuius nunc Enchiridion Medicinæ doctorum virorum manibus teritur; Iosephum Vrendouium & Simonem Sirenium, quorum vterque ingenti volumine herbarum naturas Polonice explicauit. Vnum tantum appono, longo rerum vsu & experientia insignem Sebastianum Petricium Pilsnæ honestis parentibus natum, atque in Academia Crac. a Martino Pilsnense celebri tum Physico, suo populari eruditum; qui primum in artibus honorem sub Valentino Vidauio nobilissimo iuxta ac doctissimo pro tunc Artistarum Decano promeruit, eosque in Philosophicis ac Medicis studiis progressus fecit, vt facile in Belgium primo, atque in Italiam deinde profectus, Doctoris laurea a Patauinorum Medicorum Collegio, mirifico omnium consensu fuerit donatus. Inde reuersus Macieiouii Cardinalis primum Archiatrus fuit, postea demetrii Moscouitici Principis. Quo a perfidis subditis occiso, iterum in patriam varia fortuna delatus, atque quieti deditus *Politica Aristotelis in natiuum sermonem, atque Oeconomica vertit. Similiter Horatium, quem & notationibus illustrauit. Epigrammata varia lusit; & Remedium contra pestilentiæ vim. Scripsit & Psalterium carmine Polonico.* Io. Cochanouium æmulatus, sed non euulgauit. Notauit & res gestas sui temporis, sed quas Io. Innocentio F. itidem Medicæ dedito & omni fere liberali doctrina imbuto, prosequendas commisit, addito Historiographi titulo, & stipendio assignato, vt perpetuo ex tunc suum Academia Historiographum habeat. Sibi vero ipse hoc Cenotaphium posuit.

Latine vero de Phlebotomia scripsit. De Febribus. De Venenis. De curatione pestis Polonice. De fraudibus Iudæorum. De Genealogia ipsorum. De secretis Medicinæ & Panegyrim Latinam ad Io. Ducem Ostrogium.

D. O. M. S.

SEBASTIANVS PETRICIVS
ILL. CARDINALIS MACIEIOVII,
A CONSILIIS MEDICIS ET ITINERVM COMES.
PROFESSOR IN LYCEO.

PHI-

PHILOS. IN VITA, MEDICVS IN MORBIS ARCENDIS REGNO, VRBI, OMNIBVS.
SCRIPTO, EXEMPLO, PRÆCEPTO PRODESSE STVDVI.
ARISTOTEL. HORATIVM, NOSTRATEM LINGVAM DOCVI.
TYBERIM, RHENVM, RHODANVM ADII.
BORISTHENEM ET HOSTILEM MOSCVAM SENEX INVITVS BIBI.
RARVS IN OCIO, FREQVENS IN LABORE FVI.
NESCIO AN PROFVI: HOC VERE DIXERIM, FVI.
VIDISTI ME HOSPES: PERSPICE RVRSVM TE.
VIVIS SI LABORE ET VIRTVTE COMMVNI BONO VIVIS.
SI VITAM INVITAM, MVNDVM IMMVNDVM PVTAS.
SI HOC VT MINIMVM INQVINERIS CVRAS.
MOR. ANNO DOM.
ÆTATIS

IO. IASCROVICII.

En decus, infamæ merito pars maxima nostræ
Petricius columen, Pieridumque salus.
Corporis, ac animi præsto exoptata medela,
Dum sæua toties morte trophæa refert.
Deuicta Lachesi viuit, nam pignus in atram
Armauit Parcam: hac prole perennis erit.

LXXXVI. SEVERINVS LVBOMLIVS.

OMni fere litteratura imbutus, Theologicis potissimum disciplinis excelluit, vt vix parem in ea scientia ætas nostra tulerit. *Is Canonizationis D. Hyacincti Procurator a familia sua Dominicanæ constitutus, vniuersam illam, qua par erat fide & diligentia conscriptam, typis Romanis excudi curauit, ibidemque Christi Seruatoris nostri, a primo parente Adam genealogiam, præfiguratam & productam; multo labore in tabula ænea depinxit. Theatrum Concionatorum, seu Officinam Prædicantium Venetiis cum esset, conceptam & partam in lucem dedit. Turrim Babel, seu Hæresiarcharum omnium catalogum, mirabili ingenio & laudabili opere Cracouiæ in tabula exhibuit.* Atque demum totius sacræ scripturæ quæsita, Theologorumque summorum circa ea dogmata, duodecim Tomis, per distinctiones, methodo resolutissima, conscribere voluit; sed morte præuentus

haud perfecit. Reliquit nihilominus ſeptem iam concinnatos, quamuis non limatos; & primum quidem ſe viuente prelo excuſſum, quatuor fere millibus diſtinctionum conſtantem, quem *Introductorium Generale* ad ſubſequentem tractationem appellare voluit, cum totum opus *Monoteſſaron Euangelicum* appellatum, ſex & triginta millibus diſtinctionum conſtare debuerat. Deus ingratis & indignis nobis hunc tantum virum, ætate licet prouectum iam & grauem, viuacem attamen & robuſtum, præmature ſuſtulit, qui in partibus Septentrionalibus noſtris, vt & alius eiusdem Conuentus SS. Trinitatis profeſſus, Bartholomæus nuncupatus, in Cathedrali Eccleſia Ordinarius Concionator, malleus fuit Hæreticorum, flagrum improborum. Et qui ita omnis ſcibilis doctrina fuit refertus, vt parem eum eruditione, cum aliis quibusuis extraneis exiſtimem, tum ſuo præceptori Bartholomæo Medinæ.

Scripſit & contra Schiſmaticos Roxolanos & contra Gentiles libellum.

Io. SCROBCOVICII.

Hoſtibus vt prodant multi fugere cohortes
Vt capiant alii profugiunt propriis.
Profugus Hebræis Lubomli vt caſtra ſequaris
Chriſtiadum fidei præco decusque ſias.

LXXXVII. THEODORVS SAVADCIVS.

Stanislaus Sauadcius ſcripſit examen de Aſtrologia in Acad.

HAud inamœnus ſoluta & ligata dictione ſcriptor; cum & in Iure fuerit non mediocriter exercitatus, & in Hiſtoriis omnium ætatum, omniumque populorum, ſed præcipue Polonarum optime verſatus. Vtriusque argumento ſunt ſcripta, partim Polonice, partim Latine a ſe conſcripta. *Proceſſus ſcilicet Iuris Polonici. Compendium Legum. Synopſis Annalium Polonicorum Politicarum Oeconomicarumque quæſtionum libellus*, aliaque minutiora plurima, quæ eum longe maiorem feciſſent, ſi fautor ſibi aliquis, atque pinguior fortuna obueniſſet. Alias, demiſſi hominis virtus haud quaquam emergere poteſt, quæ vt vitis, niſi arundinem aliamue nacta fuerit arborem, qua nitatur clauiculis, & ſe erigat, iacebit humi inculta, nec poterit e tenebris domeſticæ obſcuritatis emergere. Et hinc illud eſt, quod plurimi non modo in Curia atque foro, ſed in litteris etiam ac libris, rei prodeſſe publicæ volentes, ad ſummam deueniant inopiam, nec exæquato cum exteris ſuo nomine, pæne contempti & inglorii fatis concedant; quod nimirum

rum Patronos non habeant qui conatus eorum promouere velint. Vnde in simili vita, vix dissimile Fatum fuit magnorum alias illorum virorum Pauli Scerbicii & Gregorii Czaradzii: quorum alter Secretarii titulo ornatus *Promptuarium statutorum Regni Poloniæ conscripsit. Speculumque Saxonum, atque Iusti Lipsii Politica in patrium sermonem conuertit.* Alter vero *Syntagma Processus Iudiciarii. Foridica Nouella Constitutionum Regni Poloniæ. Paratitla statuti Herbultani. De origine Sarmatarum libellum, deque partu B. M. V. Poema confecit.*

Scripta Scerbitii. Scripta Czaradzii.

IO. IASCROVICII.

Vt generosa aquila haud sueuit generare columbas
Ast aquilas solem quæ nitidum aspiciant:
Sic fortes generat natos vis magna parentum,
*Ex magno magnus fit * Patre Sauadcius,*

** Parens Sauadcii Consul Cracou. & in Academia Medicinæ Professor fuit Orator excellentissimus.*

LXXXVIII. ANDREAS SCHONEVS.

QVis in Andreæ Schonæi exiguo corpore, atque sedato vultu, adeo ingentes dotes, versatileque ingenium latuisse crediderit? Hic enim immenso captu, vastaque memoria, scientiarum omnium rationes, summosque apices complexus I. V. ac S. Theol. Doctor, Philosophus, Mathematicus; itemque Poeta laureatus ac Orator excellentissimus, omnes eas artes cum laude professus est. Cumque a Magno illo Socolouio eruditus ac pæne enutritus, Magisterii dignitatem in Acad. Crac. obtinuisset, in Italiam vt Medicæ rei operam daret, cum aliis condiscipulis suis ablegatus fuerat. Sed vt ars Medica corporibus medetur, sic animis Theologia, cuius ministræ sunt artes vniuersæ; ita & ille quoque exactis Patauii eo in studio annis duobus Glauci ac Diomedes exemplo, ærea cum aureis permutauit, & ab illis castris, ad Theologorum castra physicus haud contemnendus iam transiit. Doctorque Iuris Romæ renunciatus, breui post Cracouiam reuersus Professoris munus sustinuit: & tandem successiue ob summam doctrinam, & parem doctrinæ pietatem, communibus omnium votis suffragiisque vna cum Basilio Golinio in Æde SS. Trinitatis pallium Professoris & mitram Theologi meritissimo accepit: quam & gessit, ita decenter, ita decore, vt non domi tantum doctrinæ gloria, Procancellariatusque honore conspicuus esset, verum etiam foris innotesceret magnis & eruditis viris, ac in his Iusto Lipsio acri illi & graui ingeniorum æstimatori. Tu qui geni-

Baccalaureatus gradum Anno 1584. sub Decano Martino Sclachcinski obtinuit, & biennio post Magisterii honorem.

Basilius Golinius, scripsit Orationes & carmina tam Græca quam Latina varia. Vide Centuriam Lipsii Miscellaneam 4.

genium viri & ingenium pernoſcere cupis, vide *Orationes a ſe editas in Victoriam, & Obitum poſtea Magni Zamoſcii: In ingreſſum in vrbem Georgii Radiuilli, Bernardi Macieiouii, Petri Tylicii Epiſcoporum Crac. Similiter Panegyrim Carolo Auſtrio, & Diettrichſtain Epiſcopo Olomucen. Fidum Comitem Tencinio, & carmen in nuptias eiusdem & tandem Octonarios in obitum Socolouii præceptoris ſui;* & quantus ille vir fuerit, quantumue in vtroque ſcribendi genere valuerit, facile videbis; ſiquidem vt e feſtigio Hercules, ſic e ſcriptis pauculis, ingenii doctrinæque præſtantia cognoſcitur. Claruit idem & Græci ſermonis peritia, cuius ſtudio tantopere in ſenectute oblectabatur, vt etiam ad incitandum alios, fundauerit de demeſſo ſuo perpetuum in Academia Græcarum litterarum Profeſſorem. Et cum alia plurima, pro augendo nomine illius, Rector Generalis aliquoties creatus, feciſſet, tum ſcriptis quoque eam ſuis apud exteros illuſtrare magnopere voluit, quo & poſteritati ſimul, ſe non otioſam vitam traduxiſſe probaret. Cæterum quia citius quam oportuit, conditionis humanæ neceſſitas, ſuos conatus præpediit, ideo præclara multa, quæ ſcripſit, inchoata tantum reliquit, perfecta non plane (vti eſt liber ille, cui titulus NIHIL ET OMNIA) quæ neſcio an aliquando ſint lucem viſura, præter carmina pauca & Orationes, quas breui in lucem prodituras ſperamus. Defuncto Poetæ certatim omnes parentarunt, inter quos & Laurentius Smieſcouicius publicus tum Orator. Vixit annos LXIII. conditusque in Æde D. Floriani Clepardiæ, vbi inter Canonicos Cuſtodis titulum geſſerat, a quibus tali Elogio eſt ornatus.

Ex eius diſciplina prodiit Simon Halicius primus Tylicianæ fundationis Orator, & extant eius Orationes plurimæ, & S. Th. Prof. Scripſit Carmina Smieſcouicius plurima & Orationes.

DEO MAX. IMMORTALIQ.
NOMINE MAGNO.
M. ANDREÆ SCHONEI GLOGOVIENS.
S. TH. PROF. I.V.D. PROCANCELLARIO VNIVERSITATIS
ATQVE HVIVS ECCLESIÆ DECANO.
DVRATVROQ.
DVM STABIT INCLYTA ACADEMIA.
EIVS TVM DICENDI, TVM SCRIBENDI LAVDE ILLVSTRATA
EIVS COPIOLIS, QVA IN PROFES. GRÆCÆ
LINGVÆ.
QVA IN ALVMNOS STVDIOSOS COLLATIS.
AVCTA ET ADIVTA
DEVS OPT. BENEFICENTISS. Q.

QVEM VIR INNOCENS CASTE SANCTEQ. COLVIT,
IVBEAS ESSE BEATVM.
MDCXV. XVIII. Maii.

MICHAELIS GRODZICKI.

Schoneus ingenti conscripsit mole volumen,
Quo clausit toto quidquid in orbe latet.
Omnia nil vocat hæc libro quæ clausa tenentur
Schonee nil scribis, tu sapis ergo nihil
Schonee nil proprio sed cuncta volumine condis
Omnia cum scribis te latet ergo nihil.

LXXXIX. BARTHOLOMÆVS PATROCCIVS.

MVlti leporis, multi laboris, nec non & eruditionis Polonicus Poeta. Is in Masouia natus, puer adhuc ad Academiam Crac. studiorum causa perrexerat, atque ibi in disciplinam sese Valentini de Raua, viri eruditi, & multis postea sacerdotiis ornati, sedulo tradiderat. Sed fato parentibus sublatis, vix ex effæbis egressus, domum reuocatus, vxorem prouectoris ætatis duxerat; pecuniosam quidem illam sed quæ iam virum tot annis regere ipsa didicisset. Quare infaustum nactus matrimonium, discors triennium prope cum illa exegerat, & tandem pertæsus, captabat occasionem, domum, & illam ipsam deserendi; & ecce in procinctu Italiam videre proficiscenti, nunciatur Varsouiæ tum commoranti, anum clausisse diem & annum. Quare infelici coniugio liber, ad intermissa studia & Musas reuertitur, in Bohemiamque delatus, vt erat natura ad fundendum carmen natus, inprimis *Leges Connubiales* Plutarchum imitatus, adolescentulis, suo malo prudens, conscripsit. Item *Hortum Regalem, seu de moribus Heroum. Item de armis seu insignibus nobilitatis tam Polonæ, quam Bohemicæ, Tomos duos. Vitas Gnesnensium Archiepiscoporum. Noctes Torunenses. Conuersionem Mariæ Magdalenæ. Concilium animalium seu Fabulas morales, Apophtegmata, Epigrammata, & Epithalamia diuersa.* Vsus familiarite Alberti Struminski, qui itidem Polonice *scripsit de Agricultura.* Obiit Sexagenario maior, conditusque in perystilio Sodalium Franciscanorum Leopoli Anno 1614.

IO. IASCROVICII.

Inclyta Sarmaticæ dum fers insignia gentis,
Edis virtutis symbola clara tuæ.

XC. ADAMVS ROMERIVS.

Baccalaureatus quidem A. 1583.

STenzicæ ad Istulam natus, & in Acad. Crac. lingua vtraque egregie imbutus, quinimo & laurea Philosophica vtraque decoratus, suæ gentis indûstriam, quam nauigationi impendunt, ad Theologiæ studium felicissimo conatu traduxit, Doctorque Theologus Romæ renunciatus, sacras Cracouiæ litteras aliquot annis publice interpretatus est. Post ad D. Nicolai Ædes in suburbio Præfectus, totus studiis deditus, Spartam quam nactus erat ornare non destitit. Erat enim summi ingenii, summæque eruditionis vir, laboris vero ac industriæ, pœne incomparabilis. *Scripsit Commentarios in Cic. Orat. exactissimos, & Librum de informando Oratore: quin & Linacri Grammaticam, docto ac laborioso commentario illustrauit.* Et in Theologia Tractatus multos insignes, & Orationes Ecclesiasticas parturiebat; quæ omnia, quamquam adfecta potius, quam confecta sint, facile tamen ingenium iudiciumque viri indicant, cuius per vniuersam Poloniam nomen hodie quoque viget, cum ob eximium pietatis zelum, tum ob eruditionem singularem: quarum testimonia pauca fortasse, sed luculenta posteris reliquit; plura multo habituris, nisi quæ verbis docebat, agendo potius quam scribendo confirmare voluisset. Prouentus enim Ecclesiæ suæ, atque adiuncti Hospitalis ab antecessoribus amissos, impenso labore & cura apud subsellia Tribunalitia restitui procurauit. Atque vt erat pietatis amans, cuius in scriptis eximia vestigia apparent, gregem etiam suum ex ambona sæpius verbo Dei pauit Ecclesiastes egregius. In medio laborum cursu, ante diem, Ecclesiæ, pro dolor, ereptus, magnum sui posteritati reliquit desiderium, anno solutiferi partus virginei CIƆ IƆ CXVI. Funus honorifico tumulo, in eodem curationis suæ templo, pro meritis donatum, perorante Reuerendo ac venerabili Patre Sebastiano Nucerino S. T. D. & Concionatore in D. Stanislai Basilica Ordinario, viro vndequaque docto & eloquenti.

Scripsit nunc Pater Nucerinus librum Polonicum de vita & Miraculis S. Teressia & Orationem de laudibus ac vtilitate Moralis Theol. cum in Seminario Casus Conscientiæ prælegeret. Scripsit & alia plurima ad ædificationem Catholicorum pertinentia.

IO. IASCROVICII.

Si bene dicendi quæris præcepta docebit
Stesicius, vere Quintilianus erat.

XCI. ANDREAS VARGOCIVS.

GEnte Roxolanus, Patria vero Præmisliensis, adolescens trium linguarum cognitionem breui assecutus est, post Philosophicis Craconiæ in Gymnasio publico pari felicitate perceptis, sacrarum litterarum studiis animum applicuit; & sacris initiatus, sacraque assidue tractans, *vndecim nobis opuscula sui laboris reliquit*, translata quidem alia ex Latinis scriptoribus in patrium sermonem, vt *Q. Curtii Historiam, Valerii Maximi. C. Sallustii, Peregrinationem Ducis Radiuilli & alia*: omnia autem scholiis & notationibus ad margines egregie illustrata. Reliqua e penu suo, *vt Apologiam contra hæreses Moderni sæculi. Librum de Cruce. Librum de vetere & Noua Roma. Librum Clenodiorum seu nobilitatis Polonæ armorum.* Sed hæc atque alia molientem, in ipso curriculo mors abripuit, vt aliis lampada tradidisse videatur.

Concionator excellentissimus fuit.

NICOLAI ZORAVII.

Voluere Vargoci non sat monumenta Latina est
Scripta sed & tereti vertis Achiua stylo.
Scilicet est verum quod epistola missa Sacrato
Mureti quondam testificata fuit.
Natis in media Italia Graio atque Latino,
Vnus de centum vix sciet ore loqui.
At contra multos Danaum Latioque Polonos
Non minus vt proprio reddere verba sono.

IO. IASCROVICII.

Sauromatis lucem præfert Vargocius almam.
Dum Lachicis reddit scripta Latina modis
Aspera res fuerat tantum subiisse laborem
Tantam virtutem gloria & ampla manet.

XCII. CHRISTOPHORVS VARSEVICIVS.

QVod de M. Terentio Varrone D. Augustinus ait, hoc ego iure de Christophoro Varseuicio dixerim, plura eum scripsisse, quam vt legere quidquam vacaret; & plura vicissim legisse, quam vt scribendi otium suppeteret. Quo factum vt non domi tantum clarus & illustris esset, sed singulis fere Principibus Europæ optime notus, quos, partim

Fuit & Stanislaus Varseuic. in Societate IESV egregius scriptor, &t qui

Latinitati donauerit lib. X. Hist. Aethiopiae: in Polonicum vero transtulit ex Hispanico Ludouici Granatensis, Ducem peccatorum.

partim legationis munere functus (erat enim Secretarius Regius & Canonicus Cracouiensis) partim prudentiae acquirendae causa peregrinatus, consulto adiit, consumpsitque totum aetatis cursum in aulis Megistanum, vt mirum de illo videatur, quomodo tot negociis occupatus, potuerit tantam in dicendo peritiam, in scribendo laborem, in tractando argumento iudicium acquirere, cum pacatiores literae, turbas hominum maxime fugiant, queis ille immistus, imo immersus, indefatigabili paene memoria, & alter quasi Iulius Caesar, septem linguas ita calluit, vt singulas natiuas diceres; ac inprimis Latinam qua *librum Pauli Parutae Italicum cunctis ad legendum dedit. Similiter Coriolae Hispani De Concilio & Senatu.* Proprio vero Marte confecit *Libros Rerum memorabilium, Libros de legato & legatione. De morte & immortalitate animae. De optimo statu libertatis, itemque Mastycem libertatis, De sui ipsius cognitione. De factis & dictis Iesu. De Christi fide & Petri sede. Elogia illustrium Poloniae scriptorum. Libellum Paradoxorum. De origine Polonorum. De victoria Regis Stephani. De obitu eiusdem, De morte Philippi II. Hispaniarum Regis. De morte Rudolphi II. Imp. Romani. De rebus gestis eiusdem. De obitu Annae Austriacae Poloniae Sueciaeque Reginae. De auita religione ad Henricum Regem Poloniae. De eadem ad Venetos. Turcicas Orationes quatuordecim ad imitationem Philippicarum Cic. Historiam Turcicam. Apologiam contra Nicolaum Regium Germanum. Paraphrasim in Psalmos, quos vocant Poenitentiales. Paraphrasim in Iubilum D. Bernardi. Historiam de ligno S. Crucis in Caluo monte tractus Sendomiriensis. Encomium Beatissimae V. M. Conciones de Iubilaeo & Ecclesia. De laudibus Tarnouii Comitis, atque demum libros Parallelorum.* Quae quidem vigiliae expeditum animi vigorem, viuidi ingenii aciem, in consiliis de magnis & dubiis rebus capiendis & expediendis solertis mentis celeritatem, antiquitatis notitiam, atque eximiam viri eloquentiam posteris loquentur: nam corpus humo mandatum, mutum sine Elogio ac titulo iacet, qui tamen lucem tam multis viris, imo toti Sarmatiae suo stilo attulit.

Io. Scrobcovicii.

Ex auro fieri solet ex lauroque corona
Quarum haec militibus Regibus illa datur
Harum vtramque tuo suspendam vertice, namque
Conuenit ista tibi, conuenit illa tibi.
Laurea te decoret, comitatum castra Mineruae
Aurea conspicuum nobilitate virum.

Io.

IO. IASCROVICII.

Prodis te libris numerosis, prodis & arte
Quantus es ingenio, quantus & eloquio.

XCIII. FABIANVS BIRCOVIVS.

PAtria Leopolienſ. proſa & carmine bonus, ſed modeſtia & pietate longe melior; quod mundi blanditiis contemptis, veram voluptatem, quæ eſt ſeruire Deo, ſecutus, poſt aſſumptos in Academia Crac. litterarios honores, luſtratosque exterorum mores, FF. Prædicatorum religionem ingreſſus, & re ipſa verbi diuini prædicator effectus, aliquot annis populum in Æde SS. Trinit. Cracou. verbo veritatis pauit. Poſtea Varſouiam relegatus, in Eccleſiaſtem Sereniſſ. Principi Vladislao inuictiſſ. Regis Sigism. III. F. ob miram dicendi ſuauitatem, datus, eundemque in Moſchouiam ſecutus, ſcripſit *Poſtillam in anni totius Dominicas & Feſtiuitates, binos ſermones continentem, vernacule, Latine quoque Eccleſiaſticarum Orationum volumen; tum alia minutiora, vt eſt Ioſue, vt Sermo in exequiis Petri Scargæ Soc. Ieſu Theol. habitus, vt Gratiarum actio poſt reditum e bello Turcico. Laudes D. Hyacincti laudes D. Cantii &c.* Frater vero ſuus Simon Bircouius Med. D. & Profeſſor Acad. Zamoſcenſis, cum plurima poemata Lat. & Græca ſcripſit; tum Dionyſium Halicarnaſſeum De collocatione verborum, in Latinum conuertit.

Baccalaureatus gradum 1587. Magiſterii vero 1594.

NICOLAI ZORAVII.

Olim Lucam habuit magni gens inclyta Lechi
Sæcula delectat quem hæc meminiſſe quoque.
Pœnitet at ſi quem non audiuiſſe loquentem
En Fabianus adeſt non minor eloquio.

Aliud.

Si te Dulichiam Fabiane vocauero Lotum
Non vt ſpero equidem nomen id eſſe malum.
Guſtantes ſemel vt Loti dulcore trahuntur
Sic qui te audit, iam pendet ab ore tuo.

Aliud.

Extat adhuc aliud quo tu ſuperare videris,
Lotum portantem poma ſaporifera.

Dulci gustantes omnes hæc namque sapore
Optatæ patriæ conficit immemores.
Te de diuinis dum audimus verba ferentem,
Omnes cœlestem currimus in patriam.

XCIV. NICOLAVS DOBROCIESCIVS.

PAterno in prædio, haud procul Cracouia Regni Poloniæ Metropoli, nobilibus parentibus natus: in illo spectatissimo totius Sarmatiæ theatro Acad. Crac. Ius vtrumque & litteras politiores ita edoctus, vt nemo eius in disceptando acumen, in abstrusis & ambiguo facilitatem, in euoluendis antiquorum decretis diligentiam, in resoluendis controuersiis solertiam, rebus in omnibus denique, summum iudicium, non sit admiratus. Eius rei argumento sunt disertæ illæ *Orationes ad Reges: Stephanum Bathoræum, Sigismundum III. Maximilianum Austrium, & Macieiouium Cardinalem scriptæ. Similiter Tractatus de Decimis scriptus* atque alia plurima studio pietatis facta. Præcipui etenim Sarmatiæ nostræ Antistites, cum ob multarum rerum vsum, tum ob eximium zelum, quo collapsos mores corrigere, atque Ecclesiæ pristinam disciplinam reuocare studebant, eum suis consiliis adhibere erant soliti. Quibus animi dotibus, cum passim in aulis Principum gratiosus, tum singulis fere & omnibus, in præclaro illo Canonicorum Crac. Collegio charus, vitam plenus dierum lætissime peregit. Conditusque est in Capella Cathedralis Ecclesiæ D. Stanislai, quam ipse sumptu ingenti, sculptis marmoribus exornauerat, Mausoleumque sibi in ea viuus ponendum curauerauat, vbi ei amici atque Collegæ, eiusmodi Cenotaphium, requiem æternam precati posuere.

Ex eius disciplina fuit Iacobus Scrobisouius I. V. D. Canon. & Concionator Leopol. cuius Orationes plurimæ visuntur & Græca Epistolæ Latinaque similiter.

D. O. M.
NICOLAO DOBROCIESKI DE DOBROCIESZ.
I. V. D. CRACOV. ET SANDOMIRIENS. CANONICO.
O MORS INIMICA
QVÆ PRISCAM VIRTVTEM, CLERI ET ACADEMIÆ DECVS,
IMMATVRE SVSTVLISTI
DEFLENT PII DISERTVM ET GRAVEM VERBI DEI
PRÆCONEM.
DOLET DIOECESIS RENOVATA
MAGNI CARD. RADIVILLI EPISCOPI CRAC. CANCELLARIVM.
AT VOS AMICI ET EGENI

DVL-

DVLCEM AMICVM ET PATRONVM DIV COMPLORATE.
EHEV MAGNVS VIR OBIIT.
Die 28. Ianuarii Anno Dom. 1608. Ætatis 49.

EXECVTORES TESTAMENTI
M. PP.

STANISLAI STOSLAVII.

Doctrina & pietatis amor de te Dobrociesci
Dum tibi vita fuit conseruere manus.
Certauitque tuum virtus post funus, honorem
Allatura tuis manibus vtra foret
Fit Diuas inter decretum litibus, & sic
Terra memor docti permanet, astra pii.

XCV. SEBASTIANVS ACERNVS.

ALter vt ita dicam, Naso Sarmaticus, ita enim aptus natus ad fundendum carmen erat, vt vix non totum versu proferret, quod vel in familiari sermone effari vellet, in quo ipso tantam nihilominus energiam ac phrasim habuit, vt multorum iudicio, non recentis æui, frigidique aeris nostri, sed veterum illorum, atque ipsius Ouidii genium habuisse videretur. Honorem ipse litterarium, vbi & litteræ Sarmaticæ ipsæ in Acad. Crac. promeruerat, atque temporis successu vxorem Lublini, licet parum felici coniugio, duxerat, Consulis & Prætoris titulo auctus. Scripsit carmine Polonico *Nautam Dantiscanum seu de nauigatione Polonorum Vandalo secundo illam vrbem versus. Itemque Marsupium Iudæ seu de vario fraudium & auaritiæ genere.* Versu autem Latino. Victoriam Deorum (opus decem annorum) Roxolaniam. Zusannam. Atque soluta scriptione *Honorem Paternum* Demetrio Solicouio Archiepiscopo Leopoliens. nomine Conuentus Sieciechouiensis, inscriptum. Ipse vxoris prodigalitate sub senium ad summam inopiam redactus, in Xenodochio vitam lætus expirauit. Anno reparatæ salutis 1608. ætatis 57.

NICOLAI ZORAVII.

Nasoni patria est Sulmo, Sulmircia Acerno
Ille Poeta fuit, Naso Poeta fuit.
Exul in Euxinis est Naso mortuus oris
Vix hunc non eadem Fata secuta virum.

Eiusdem.

Nomine qui te cunque prior signauit Acerni
Non satis apposite, nam bene laureus es.

XCVI. IOANNES IANVSOVIVS.

TYpographus Regius & Ecclesiasticus Crac. Lazari F. in album Equestris Ordinis a Sigism. III. Rege nostro Potentiss. tempore suæ inaugurationis, ob egregias animi dotes & virtutes asscriptus. Stemma & insigne ferebat (klosnik appellatum) scutum triangulare coloris rubei, in cuius medio lilium erectum album, habens viridem culmum, infixam basi aureæ, cum galea equestri aperta, siue clatrata, coronaque desuper aurea gemmis vndique coruscis, cumque laciniis seu velaminibus albi & rubei coloris vndique dependentibus, vt ab eodem illo ipso solerti manu depictum in medio priuilegio, vidimus. Is iuuenilem ætatem in studiis artium liberalium, adolescentiam vero in aula Maximiliani II. Imper. aliorumque externorum Principum consumpsit: vnde & elegantiam morum, & diuersarum linguarum notitiam, & rerum denique experientiam acquisiuerat. Reliquos autem suæ adolescentiæ annos, in aulis Augusti atque Stephani Poloniæ Regum transegerat. Cumque ad residentiam in patrimonio ab hoc vltimo supplicaret, inter alia, quibus a tanto tamque prudenti Rege in abitu remuneratus fuit, etiam ligni salutiferi frustulum, symbolum synceri in Deum cultus, atque in illum tesseram amoris accepit. Ductaque in matrimonium lectissima in vrbe Cracou. Virgine, tres ex ea filios, Christophorum, Stanislaum, atque Michaelem, suscepit. Et tandem illa breui elata, sacros de manu Cardinalis Macieiouii honores, Archidiaconiamque Sandicensem, ac Solecensis Parochi titulum acceptum, annis circiter decem & quinque gessit ac rexit. Typographiamque hæreditariam, ita sua cura atque industria exornauerat, vt cum præstantissimis etiam exterorum officinis certare auderet, Polonas vero penitus superaret omnes. Idem libros Ecclesiæ & Patriæ vtiles, proprio sumptu, & vel solo publici boni amore, infinitos pæne recudit, necessarios, Marte proprio, nec inuita Minerua conscripsit. Quale est *Statutum Latinopolonicum*, in quo omnia Regni iura, omnes libertates, omnesque consuetudines ac leges, elegantissima methodo complexus est. Simili forma *Eiusdem supradicti statuti, atque sui ipsius defensionem. Iubilæum Cracouiæ celebratum. Orthographiam Polonicam:* & *idio-*

& idiomate Polonico Syon infirmatam. Idæam Reipub. Censorem. Rosariam B. M. V. Artem moriendi. De ieiunio atque cibis vetitis. Officia confraternitatum, S. Annæ, Compassionis Christi, & Misericordiæ. In chartophilatio vero suo reliquit imprimenda *Archidiaconiam Polonice factam, Thronum Regium, Constitutiones Prouinciales, in aliam quam antea methodum redactas & auctas. Solium Dauidis* (partem vltimam: nam tres partes antea sermone Latino euulgauerat) *Sion infirmatam Latine, nam antea vernacule scripserat. Præterea Concionum Fasciculum, Correcturam Iurium. Orechouii Turcicas & Fidelem subditum Polonice translatum. Comitia Varsouiensia anni 1612. Historiam sui temporis. Cæsarum Romanorum vitas Polonice scriptas, tum alia minutiora pleraque, in Æde D. Margaretæ in Noua Sandecz inter rapsodias suas relicta.* vbi & ipse conditus est Anno MDCXIII. ætatis vero suæ, 63.

IO. IASCROVICII.

Palma Ianuseuio victriæ tribuatur ab illis
Qui mandare solent scripta aliena typo.
Propria namque typo committit scripta perenni
Hinc typicus vere iam topographos erit.

XCVII. IACOBVS IANIDLOVIVS.

BOdzentini, oppido Episcopatus Crac. natus, in Philosophicis disciplinis Sebastiano Petritio præceptore vsus, peracri ingenio ad Iuris studia conuerso, arcana scientiæ tanta celeritate complexus est, vt doctoribus suis, in his Io. Foxio Archidiacono Crac. quem studiose diligenterque audiuit, admirationi esset, præsertim cum interioribus litteris tinctus esset non leuiter. Quibus quidem præsidiis ornatus, ad publicam Iurisprudentiæ professionem summa cum laude accessit, & Doctoris insignibus Romæ, quo se ad exploranda clarorum virorum ingenia contulerat, decoratus est. Et Cracouiam deinde reuersus, post solennes aliquot in publico concertationes, apud Ma- Macieouium Cardinalem, Petrum Tylicium, & Martinum Szyskouium, succedentes sibi Episcopos Cracouienses, ob ingenii doctrinæque præstantiam, non minus gratia, quam & præceptores sui, valuit. Rebusque tractandis admotus scripsit *Processum Iudiciarium* ad praxim fori spiritualis in Regno Poloniæ necessarium; tum & alium libellum *De cura pastorali* confectum, qui lucem nondum aspexit; mors enim interueniens limam omnem abrupit. Edito itaque post-

Magisterii gradum anno 1594. obtinuit.

posthumo M. gni illius Socolouii, *De ratione studii*, facto, sub initium anni 1620. vita decessit; conditusque in summa Æde D. Stanislai in arce. Eius obitum non nemo e schola Grammatices huiusmodi versu exornauit.

Patria Bozantina mihi, decus Itala terra,
Cracia mors: rexi Iura, Lycæa, Sophos.
Octo lustra, nouem æstates dum viuere pergo,
Dissecuit vitam Clotho maligna meam.
Hoc situs in tumulo, patriæ defunctus, amorem,
Sceptra Academiæ, reddo, Deoque animam.

XCVIII. PETRVS SCARGA.

Sub Decano Artisticæ facultatis Felice Sieprcio.

ARtibus & moribus optimis in Acad. Cracou. institutus, Philosophicaque laurea anno ætatis suæ, 19. ornatus, mox se in aulam Io. Tarlonis Archiepiscopi Leopoliens. contulit, & ab illo Præpositi Rohatinensis titulo auctus, pastor aliquot annos, compluribus innocentiæ pietatisque editis exemplis, illi Ecclesiæ præfuit; atque breui post Collegio Canonicorum Leopoliensium, simul cum munere Concionatoris Ordinarii adscriptus, perpetuum vitæ tenorem, ab omni vitiorum contagione vacuum atque integrum seruauit. Sed non hic sistendum ratus, totum se diuino cultui mancipans, in numerum Societatis Iesu Patrum recipi curauit, exactoque in studio Theologico in Italia biennio, feliciter in patriam cum aliis Societatis Patribus reuersus est. Et primum Cardinali Radiuillo, postea Regi Stephano, Ecclesiastæ functus officio, adhæsit, ac multos ex Liuonibus, Lituanis atque Roxolanis a Schismate & Hæresi, velut postliminio ad Romanam Ecclesiam reuocauit: multa suæ societatis Collegia a pientissimo Rege, Regnique Dynastis excitari procurauit: multos e Proceribus & Nobilitate Machiauellistica fraude imbutos, ad veram morum regulam, rectamque & Christianam Politiam, suis disertis Concionibus reduxit: multaque demum volumina, tam Romano sermone (vt sunt *De sacramento Eucharistiæ libri tres & de Caluinistarum imposturis articuli XII.*) quam etiam natiuo, in vsum publicum & Ecclesiæ propugnationem erudite admodum conscripsit. Hoc est *Baronii Annales summatim in vnum volumen collegit. Vitas Sanctorum, per annum, adhibita passim SS. Patrum doctrina. Sermones de tempore, De sanctis, De Ecclesiæ Catholicæ ritibus, ceremoniisque solemnioribus, & Sacramentis. Item libros Bibliorum*

Roma Ann. 1569.

Notis

Notis ad margines appositis. *Contra Schisma Græcorum & Roxolanorum. De quatuor Nouissimis, De militari deuotione, Septem Columnas. De monte Pietatis, De confraternitate Misericordiæ. De vnitate Ecclesiæ. Apologiam contra Theophilum Orthologum. Sermones Comitiales. In victorias Ducum exercitus Regni Poloniæ, inque obitus variorum Dynastarum.* Quos omnes tractatus, cum patria lingua scripsisset, quæsitus a quopiam, cur non Romana quoque hæc talia ciuitate donasset, cum satis superque facundus esset (eam enim sibi eloquentiam quotannis Ciceronem, Ecclesiæque Latinos Patres assidue legendo comparaverat, vt sæculi sui Sarmaticus Chrysologus audiret) respondit, vt linguam Polonicam eo magis locupletaret, cum iam Latina sit per se satis abundans, & ab aliis peritioribus, post neglectum, instaurata. Et quamuis passim Orichouius, Cicero Polonicus audiat, & Demosthenes Latinus, plus tamen ille mihi stilo Latino, quam natiuo valuisse semper visus est; in hoc autem Petrum Scargam in tantum excelluisse, vt merito eum cum Fabiano Bircouio, Ordinis Prædicatorum Oratore Polonico præstantissimo, Io. Chrysologum appellem. Reuera enim talem sese tota vita præbuit, maxime, cum apud Serenis. Regem Sigismundi III. annis plus quam viginti Concionatoris officio fungeretur, & discordantes inter sese Principes conciliaret: auaros & tenaces ad largiendum in opibus, & excitandum Confraternitates S. Lazari, ac Misericordiæ, in quibusvis Poloniæ præcipuis ciuitatibus, incitaret: diuinitus reuelationibus ipse multoties consolatus, quo impositos sibi a superioribus labores fortius sustinere posset, pieque & irrepræhensibiliter viuendo, non sine magna sanctitatis opinione obierit: senex quidem & ætate adfecta, qui tamen propter excellentem doctrinam atque virtutem, videbatur omnino mori non debuisse. Anno ætatis suæ 76. a Christo vero incarnato 1612. Conditusque Cracouiæ in noua Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Basilica: laudante pro funere Reuerendo P. Fabiano Bircouio.

IO. SCROBCOVICII.

Non ego credo Petra cretum te simplice Petre,
Instaurante hominum Deucalione genus.
Sed sua præstantes certatim quique lapilli,
Immisere tuis lumina pectoribus.
Cor constans Adamas, niueam mentemque Pyropus
Calcophonos blandum contulit eloquium.

Hinc nostro tantum præ aliis celebraberis orbe
Quanto præstat atro gemma magis silice.

MICHAELIS GRODZICKI.

Excipit aure libens Scargam Respublica quando
Officium peragit nominis ille sui.
Christus adest iudex, accusat Scarga, tribunal
Ædes sacra, gemit terra Polona reus.
Post accusatam vultum induit ipse Patroni,
Decretumque ferant crimina mite rogat.
Sarmata quid metuis tanto sub iudice causæ
Scarga accusator, Scarga patronus adest.

Aliud.

Fulminat in Lechicis Petrus pater optimus oris
Vt solet exceptum reddere petra sonum.
Diuinos dat Scarga sonos, mandata Tonantis
Sacræ Petro vox est, sacraque petra Petrus

STANISLAI STOSLAVII.

Ignea doctiloqui cui vox incognita Scargæ est,
Quæ post fata manent perlege scripta scies.
Illius e libris surgunt incendia lectis
Vt micat occulto mota fauilla foco.

XCIX. SIMON SIMONIDES.

MAgni Io. Samoscii Secretarius. Leopoli in Russia natus, puer domi, adolescens in Acad. Crac. melioribus artibus imbutus, primaque Philosophica laurea, vna cum Nicolao Dobrociescio, sub Decano Anzelmo Bodzentinio, ornatus, breui in Italiam, quæ felicissima omnia ingenia includit, profectus, bibit e sacris illis pectoribus Clauii, Vitellescii, Moreti, Molinæ aliorumque hianti ore abditæ doctrinæ fontes adeo, vt in patriam reuersus, paucos sibi æquales haberet, neminem autem, qui maiores illo latentium litterarum gazas in pectore gestaret. Quas vbi primo obtutu Magnus ille Heros in eo reconditas pernouit, statim virum sic adamauit, vt nusquam eum postea a se dimiserit; sed ornatum beneficiis etiam in aula Principis ita promoueret, vt & baltheo equestri, cum aliis virtute illustribus viris, ob egregias animi dotes, ornandum curarit, atque paulo post lauru Poeti-

Poetica a Clemente VIII. Pont. Max. quod ſolus fere, Magni Lipſi iudicio, ſua ætate poetaſtros, vsque ad inuidiam veteris ſæculi, eruditione ſuperarit; idque non in phraſi tantum, aut numeris poeticis, in quibus eum Catullo ſimilem facit, verum etiam in omnis generis ſcientiarum cognitione. Cuius rei fidem faciunt ſcripta, varia de re, varioque carminum genere a ſe conſcripta. Ac primum *Nenia in obitum Iacobi Gorſcii & Stanislai Socolouii Carmen in imagines Samoſcianæ digetæ, Herculem Prodiceum. Octonarios in D. Stanislai laudes. Flagellum Liuoris. Caſtum Ioſephum, Ioelem, Pantezileam. Odas in victoriam, Nuptias, atque Obitum Samoſcii. Inque victoriam Thomæ Samoſcii, Ioannis F. Polonico vero carmine Eclogas XIV. Scripſit & Epigrammata varia, tam Latina quam Polonica, tum Epiſtolas quoque familiares.* Sed quæ omnia nondum ſunt vno volumine compræhenſa.

IO. SCROBCOVICII.

Grande virum pectus, quicquid molitur accuti.
Lætius aut quicquid Muſa leporis habet.
Id fœcunda ferunt monumenta Simonidis omne
Fontes & cytharas vir tenet iſte Deum.

C. ABRAHAMVS BZOVIVS.

SAcrum hoc, ſapientiæ Myſtarum, agmen claudat Abrahamus Bzouius, Dominicanæ familiæ Doctor Theologus; ſi non maiore, at pari certe doctrinæ gloria exæquans, cuius ſcripta, tam ſublimi ſcriptionis genere ſcripta, per vniuerſum fere Chriſtianum orbem ſparſa, quantæ ſit vir eruditionis & ingenii manifeſte declarant. Vt enim hic omittam *Precationes deuotas, pie ab eo collectas, & in pulcherrimam ordinem digeſtas. Panegyricos ſimiliter, cum Diuæ Czeſtochouienſis miraculorum elucidatione de B. V. conſcriptos: itemque alios Florida Mariana appellatos. Similiter Monile Gemmeum Flores aureos. Theſaurum laudum ſanctis Deiparæ, aliosue de ſanctis & de tempore ſermones a ſe concinnatos Sacrumque Pancarpium intitulatos (Scripſit & Quadrageſimales Conciones, Roſarium Polonice, & ſuper Salue Regina Orationes XL.) Solus fere Pontifex Romanus, quem ſane non abſque ingenti labore & induſtria conſcripſit, & Hypomnematum lib. 16.* Satis ſuperque teſtantur, quantum ingenio, quantumque eloquio & ſuada vir hic inter cæteros polleat. Annalesque Baronii Card. magna eruditione, maiore fide, maximoque omnium commodo, licet non in toto adhuc continuati (dicant quicquid volunt

Cauuletius & Heruartus, negare tamen non poterunt, & hunc virum habere genium æternitatis) palam ostendunt, quid in ea sero posteritas mirari & approbare debeat. Ego parco in laudes ipsius, quia vt dicitur, vino vendibili suspensa hædera non est opus, solum modo carmen coronidis loco addo.

NICOLAI ZORAVII.

Cypridis imperfecte membra reliquit Apelles
Hæc sed nullus qui continuaret erat.
Imperfecta Baronius & sua scripta reliquit,
Hæc qui continuat Bzouius auctor adest.
Ergo pictorum princeps perit artis Apelles,
Illius cum non viuere posset opus.
Viuunt ast per te dignissima scripta Baroni,
Ordinis o Bzouski gloria magna tui.

Regi sæculorum immortali.
Soli Deo inuisibili.
HONOR ET GLORIA.



CATA-

CATALOGVS
ILLVSTRIVM POLONIÆ SCRIPTORVM.

1 ABrahamus Bzouius, Historiographus.
2 Adamus Bursius, Orator.
3 Adamus Suiniarski, Mathematicus.
4 Adamus Romerius, Rhetor.
5 Albertus Oczko, Medicus.
6 Albertus Strumienski, Grammaticus.
7 Albertus Nouicampianus, Theologus.
8 Albertus Nouicampianus, Medicus.
9 Albertus de Brudzeuo, Mathematicus.
10 Albertus Scebresinensis, Poeta.
11 Alexander Guagninus, Historicus.
12 Andreas Cricius, Poeta.
13 Andreas Lipski, Iurisconsultus.
14 Andreas Bochnensis, Theologus.
15 Andreas Patricius, Orator.
16 Andreas Gostinius, Orator.
17 Andreas Schoneus, Orator.
18 Andreas Vargocius, Historicus.
19 Andreas Tricesius, Poeta.
20 Andreas Cochanouius, Poeta.
21 Andreas Modreuius, Politicus.
22 Antonius Anapachanie, Theologus.

23 BArtholomæus Paprocius, Historicus.
24 Basilius Golinius, Orator.
25 Bartholomæus Præmisliensis, Theolog.
26 Benedictus a Cosmin, Theologus.
27 Benedictus Herbestus, Orator.
28 Bernardus Vapouius, Historicus.
29 Bernardus Paxillus, Theolog.

30 CYprianus Louicensis, Medic.
31 Clemens Ioannicius, Poeta.

32 DAuid Hilchenius, Politic.
33 Demetrius Solicouius, Poeta.

34 FAbianus Bircouius, Orator.
35 Felix Herbortus, Orator.
36 Franciscus Scorina, Theol.
37 Fridericus Bartscius, Theolog.

38 GAsparus Cichouius, Theol.
39 Gabriel Ioannicius, Medic.
40 Gelasinus Leopoliensis, Philosoph.
41 Georgius Tyskieuicius, Theolog.
42 Gregorius Czaradzki, Iurisconsult.
43 Gregorius Samboritanus, Poeta.
44 Gregorius Samotulius, Iurisconsult.

45 HIeronymus Pouodouius, Theol.
46 Christophorus Concki, Poeta.
47 Christophorus Varseuicius, Orator.

48 IAcobus Gostinius, Theol.
49 Iacobus Vchanicius, Theol.
50 Iacobus Scrobisouius, Orator.
51 Iacobus Polonus, Theol.
52 Iacob. Cobilinius, Mathematic.
53 Iacob. Prilusius, Iurisconsult.
54 Iacob. Slupecius, Poeta.
55 Iacob. Vuiecius, Theol.
56 Iacob. Vagrouicius, Theol.
57 Iacob. Ianidlouius, Iurisconsult.
58 Iacob. Gorscius, Orator.
59 Ioannes Petricius, Orator.
60 Ioachimus Bielscius, Historic.

61 Ioannes Cantius, Theol.
62 Ioannes Tarnouius, Historic.
63 Ioannes Saracenus, Theolog.
64 Ioann. Tucholiensis, Iurisconsult.
65 Ioann. Vuiecius, Medic.
66 Ioann. Vaelicius, Theolog.
67 Ioann. Rybcouicius, Orator.
68 Ioann. Leopoliensis Theolog.
69 Ioann. Glogouiensis, Philosoph.
70 Ioann. Arundinensis, Theolog.
71 Ioann. Stobnicensis, Philosoph.
72 Ioann. Stobnicensis, Medic.
73 Ioann. Lascius, Iurisconsult.
74 Ioann. Lasicius, Historic.
75 Ioann. Vrsinus, Medic.
76 Ioann. Crasinius, Historic.
77 Ioann. Samoscius, Polihist.
78 Ioann. Clobucius, Oorator.
79 Ioann. Herbortus, Iurisconsult.
80 Ioann. Dlugossus, Historic.
81 Ioann. Cochanouius, Poeta.
82 Ioann. Cadlubcus, Histor.
83 Ioann. Latos, Mathematic.
84 Ioann. Broscius, Mathematic.
85 Ioann. Maczinius, Grammatic.
86 Ioann. Honterus, Grammatic.
87 Ioann. Ianusouius, Iurisconsult.
88 Ioann. Dantiscus, Poeta.
89 Ioann. Lubranscius, Iurisconsult.
90 Ioseph. Sthrutius, Medicus.

91 LAurentius Siradiensis, Rhetor.
92 Laurent. Goslicius, Politic.
93 Laurent. Ceruinus, Rhetor.
94 Laurent. Smiescouicius, Poeta.
95 Leonard. Gorecius, Historic.
96 Lucas Gornicius, Rhetor.

97 MArtin. Neruicius, Theolog.
98 Martinus de Ilkusz, Mathemat.
99 Martin. Bielscius, Histor.
100 Martin. Smiglecius, Theol.
101 Martin. Viasdouius, Theol.
102 Martin. Polonus, Summista.
103 Martin. Cromerus, Histor.
104 Martin. Laterna, Theolog.
105 Martin. Bronieuius, Cosmograph.
106 Martin. Leopolita, Music.
107 Martin. Pilsnensis, Theolog.
108 Martin. Bialobrescus, Theolog.
109 Matthæus Samotulius, Mathematic.
110 Matth. Piscoreuius, Orator.
111 Matth. a Costen, Theol.
112 Matth. Smogulecius, Iurisconsult.
113 Matth. de Miochovv, Historic.
114 Matthias Strycouius, Poeta.
115 Matth. Sisinius, Poeta.
116 Melchior Pudlouius, Politic.
117 Michael Vratislauiensis, Philosoph.

118 NIcolaus Bodzentinius, Poeta.
119 Nicol. de Blonie, Theol.
120 Nicol. Cochanouius, Poeta.
121 Nicol. Copernicus, Mathematic.
122 Nicol. Polonus, Summista.
123 Nicol. Moscicensis, Summista.
124 Nicol. Iaskierus, Iurisconf.
125 Nicol. Dobrocie scius, Orator.
126 Nicol. Vilkouicius, Theol.

127 PAulus Scerbicius, Iurisconf.
128 Paulus Stempouius, Politic.
129 Paul. Palczouius, Polihist.
130 Paul. Plasecius, Theol.
131 Petrus Cochanouius, Poeta.
132 Petr. Volscius, Orat.
133 Petr. Lilia, Orat.
134 Petr. Posnaniensis, Medic.
135 Petrus Posnaniens. Theol.

136 Petr. Scarga, *Theol.*
137 Petr. *Tomicius, Iurisconſ.*


138 S*Ebaſtianus Sleſcouius, Medic.*
139 *Sebaſt. Felſtinenſis, Muſic.*
140 *Sebaſt. Acernus,* Poeta.
141 *Sebaſt. Foxius,* Philoſoph.
142 *Sebaſt.* Petricius, *Medic.*
143 *Sebaſt. Nucerinus, Theol.*
144 *Seuerinus Lubomlius, Theol.*
145 *Sixtus Leopolienſis, Medic.*
146 *Simon Sirenius, Medic.*
147 *Simon Maricius, Orator.*
148 *Simon Halicius, Orat.*
149 *Simon Simonides,* Poeta.
150 *Simon de Louicz, Medic.*
151 *Stanislaus Hoſius, Theol.*
152 *Stanisl. Sauadcius, Mathemat.*
153 *Stanisl. Krzyſtanouicius, Iurisconſ.*
154 *Stanisl. Orechouius, Orat.*
155 *Stanisl. Socolouius, Theol.*
156 *Stanisl. Varſcuicius, Hiſtoric.*
157 *Stanisl. Reſcius, Orat.*
158 *Stanisl. Grodecius, Theol.*
159 *Stanisl. Grochouius,* Poeta.
160 *Stanisl. Sarnicius, Hiſtoric.*
161 *Stanisl. Grempſius, Orat.*
162 *Stanisl. Ilouius, Orat.*
163 *Stanisl. Karnkouius, Orat.*
164 *Stephan. Micanus,* Philoſoph.

165 T*Heodor. Sauadcius, Iurisconſ.*
166 *Thomas* Poſnanienſis, *Philoſ.*
167 *Thom. Treterus, Hiſtoric.*
168 *Thom. Dreſnerus, Iurisconſ.*
169 *Tidemann. Giſius, Poeta.*

170 V*Alentin. Kucborſcius, Theol.*
171 *Valentin.* Poſnanienſis, *Theol.*
172 *Valentin. Vidauius,* Theol.
173 *Venceslaus Grodecius, Geometra.*
174 *Venceslaus Samotulius, Muſic.*

175 *Zacharias Barthy, Medicus,*

FINIS.






DE LA
BIBLIOTHEQUE